2450

2450
xxxi-4


365

Exº de Nra Señora de los Angeles Jesus Maria y Joseph

Es del uso de Manuel Hortz Estudiante en Salamanca y que Combª siendo in Seruic del P. D. Fr. Pedro de M. Sanz.

CVRSVS PHILOSOPHICVS TRINITARIVS

TOMVS TERTIVS.



R.P.F. EMMANVELIS

DE CONCEPTIONE.

NAVARRI, OPPIDI DE AZAGRA:

E SACRO, ET COELESTI ORDINE EXCALCEATORVN SS. TRINITATIS

REDEMPTIONIS CHRISTIANORVM CAPTIVORVM:

OLIM IN PROVINCIA SPIRITVS S. PHILOSOPHIÆ, DEINDE IN HAC CONCEPTIONIS BEATÆ MARIÆ in suo Salmanticensi Collegio Sacræ Theologiæ Scholasticæ Primarij Lectoris, atque ibidem Ministri.

CVRSVS PHILOSOPHICVS.

TOMVS TERTIVS

TRES COMPLECTENS TRACTATVS:

I. IN QVATVOR LIBROS ARISTOTELIS DE COELO: II. IN TRES LIBROS DE ANIMA, AC III. IN EIVSDEM ARISTOTELIS METAPHYSICAM.

NVNC PRIMVM PRODIT IN LVCEM, CVM GEMINO INDICE, ALTERO TRACTATVVM, Disputationum, & Quæstionum, altero Rerum locupletissimo.

SALMANTICAE,
Apud LVCAM PEREZ, Vniuersitatis Typograph. Anno D. 1683.
SVPERIORVM PERMISSV.



ILLMO. ET REVMO.

D·D·FR. ILDEPHONSO
DE LOS RIOS ET GVZMAN.
QVONDAM CIVITATEN-
SIS SACRI PRIMATVS PRÆSVLI.
NVNC IN GRANATENSI
PLAGA ARCHIEPISCOPALI HIERARCHÆ.
CAROLO II. CATHOLICO HISPANIARVM MONARCHÆ A CONSILIIS.

CCE Iam tertio (Illuſtriſs. Princeps) ad tuæ maieſtatis culmen venerabundus properat noſtræ fatigationis recurſus, & curſus. Currunt omnia inceſſanter ad cētrum, vel nativo pondere præſi, vel occulta attrahente virtute: currit hic noſter Philoſophicus rivulus vltra ſemel, & iterum ad te ſapientiæ centrum, ſapientiæ flumen, quod perinde eſt, iuxta illud: *Ego ſapientia effudi flumina:* & certe inſcius, an innata neceſsitate compulſus, an eximia tua virtute attractus? Sed profecto vtroque impulſu currit, quærens in origine lympham, in fonte geſtiens puritatem ebibere, quo ſanè & naturæ ſuæ debitum exoluit, & tuæ celſitudini omne debitum litat obſequium. *Omne* dixi; nec aliquis arbitretur me temere locutum, cum adeo

adeo exiguum munus offerã, nam, & ſi ex ſe exiguum, animo tamen, & numero maximum, animum quidem noſtrum iam pridem iterata obſequij victima pandit, numerum vero hæc vltima *Ternarium*, ſeu vt melius dicam, *Trinitarium*, adimplet: ergo omnia dixi: ſic Philoſohiæ Princeps primo de Cœlo, prædocuit præfatum ternarium numerum omnia ambire, circumluſtrare cuncta. Sic etiam fęlices illi Oriẽtales Chriſto Domino offerenres munera ſummis laudibus celebrantur, quia non ſinguli ſingula, vt perbellè interpretatur Remigius citatus in Caten. Ang. Doctor. ſed ſinguli obtulerunt tria. Sic tandem trina Petri erga Chriſtum amoris proteſtatio ſummum illius ſacrati pectoris amorem exhibuit. Trina ergo etſi exigui muneris oblatio, illud ad ſummum præcellentiæ faſtigium evehit; quo pacto haud immerito, hac tertia noſtri curſus parte, me tibi (Princ. Illuſt.) dixi, omne debitum obſequium rependere, vt qua ſaltim Trinitarium ſimile æſtimationis culmen obtineat. Sed his omnibus parco; hoc vno egregiè extollitur, tanto conſecrari Patrono, quippe quò huius dignitas refulget, eò & illius exaltatur humilitas. Hædera de virgultibus fragilis arborum proceritati adhærẽs aſcendit, cum ſola nequeat incrementi formam ſectari: quali paſſu valuit ad culmen properare ædificij? Alieno ſuſtentata favore caput de ſublimi revelat. O quam fauſtum clienti eſt illum ſortiri Patronũ cuius dignitate etiã munuſcula creſcunt! Debitas autẽ ac eximias dignitates, quibus vniverſo mundo præluxiſti, & adhuc præſtas, egregias virtutes, quibus vniverſum rigas ſplendoribus orbem, Regiam ſtirpem qua generoſa tui ſanguinis vena irrigatur, in medium nunc propalare, nec vacat, nec iuvat, cunctis enim in propatulo ſunt, & iam à nobis prout datũ fuit, ea omnnia primo volumine conſpiciuntur rudi penicillo depicta. Sileant ergo iam ſileãt inurbani ſermonis importuni in tanta celſitudine cantus, & deinceps animus admiratione cõcelebret,

quod

quod dignis vocibus non valet exprimere, gratuletur sibi, quod in te (Magnanime Princeps) omnem virtutis, & sapientiæ pompam invenit suæ fatigationis discursus, in tua nobilitatis vena clarissimam, in virtutis splendore coruscam, in tua eruditionis copia fundatam, & tanta consilij maturitate glorioſam: in melioris dictaminis admiratione ſecuram, in tuæ conſcientiæ rectitudine ſacram, & in experientiæ longitudine miram; in tantæ liberalitatis dono proficuam, & in tot cœleſtium benedictionum amplitudine factam. Vale, & vive, inter mortales diù felix, & apud ſuperos, poſt longa ſæcula æternè beandus, &c.

Illuſtriſsimæ Dominationi tuæ addictiſsimus,

Ex Excalceatorum Trinitaria Redemptrice Familia Minimus.

Fr. Emmanuel à Conceptione.

INDEX

INDEX TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, ET QVAESTIONVM huius tertię partis Cursus Philosophici.

TRACTATVS I. ET DISPVTATIO VNICA.
In quatuor libros Aristotelis de Cœlo.

Quæst. 1. *Vtrum Cœlum sit ex materia, & forma compositum, pag. 2.*
Quæst. 2. *An Cœli sint corruptibiles, pag. 8.*
Quæst. 3. *An Cœli sint animati, pag. 11.*
Quæst. 4. *Vtrum Cœli fluidi sint; an potius solidi, pag. 14.*
Quæst. 5. *De numero, & magnitudine Cœlorum, & stellarum, pag. 19.*

TRACTATVS II.
Continens disputationes, & quæstiones in tres libros Aristotelis de Anima, pag. 22.

DISPVTATIO I.
De anima secundum se, pag. 24.

Quæst. 1. *Quid sit anima, ibid.*
Quæst. 2. *Quotuplex sit anima, 27.*
Quæst. 3. *Quis sit formalis conceptus viuentis. pag. 30.*
Quæst. 4. *Vtrum omnis Anima sit actus informans, pag. 36.*
Quæst. 5. *Vtrum sanguis informetur anima, pag. 39.*
Quæst. 6. *De reliquis, quæ Anima informantur, pag. 44.*
Quæst. 7. *A quo, & quando producatur Anima, pag. 45.*
Quæst. 8. *Quænam sit differentia corporei entis ab spirituali, & incorporeo, pag. 47.*
Quæst. 9. *Vtrum anima rationalis sit immortalis ex natura sua, pag. 53.*
Quæst. 10. *Vtrum anima rationalis sit indiuisibilis, pag. 60.*
Quæst. 11. *Vtrum Animæ materiales sint indiuisibiles, p. 62.*
Quæst. 12. *An partes Animæ materialis sint etherogeneæ, p. 70.*
Quæst. 13. *Vtrum Animæ eiusdem speciei possint esse individualiter inæquales, pag. 76.*
Quæst. 14. *Resoluuntur aliqua dubia circa Animam separatam, pag. 80.*

DISPVTATIO II.
De potentijs Animæ in communi, ac de potentijs Animæ sensitiuæ, ac vegetatiuæ in particulari, pag. 83.

Quæst. 1. *Vtrum potentiæ Animæ realiter adæquate ab ipsa distinguantur, pag. 84.*

Quæst.

Quæſt. 2. *Vtrum potentiæ Animæ realiter inadæquatè diſtinguantur ab ipſa* pag. 92.
Quæſt 3. *A quonam Animæ potentiæ ſpecificentur*, pag. 99.
Quæſt. 4. *In quonam ſubiectentur ſubiecto ſenſationes materiales*, pag. 102.
Quæſt. 5. *Circa potentias in communi aliqua dubia reſoluuntur*, pag 106.
Quæſt. 6. *De ſenſibus externis*, pag. 107.
Quæſt. 7. *De quinque ſenſuum externorum obiectis*, pag. 110.
Quæſt. 8. *Vtrum ſenſibile propriũ indiuiſibiliter exiſtens poſsit per ſenſus percipi*, pag. 116.
Quæſt. 9. *Quæſtiones aliquæ circa ſenſus externos reſoluuntur*, pag. 120.
Quæſt. 10. *De ſenſu interno*, pag. 124.
Quæſt. 11. *De appetitu ſenſitiuo*, pag. 128.
Quæſt 12. *Quinam ex externis ſenſibus ſpeciebus impreſsis indigeant ad ſuas ſenſationes*, pag. 130.
Quæſt. 13. *An etiam ſenſus internus & intellectus ſpeciebus impreſsis indigeant*, pag. 137.
Quæſt. 14 *Vtrum ſpecies impreſſæ ſint formales obiectorum repræſentationes*, pag. 141.
Quæſt. 15. *Quomodo ſpecies impreſſæ concurrant ad actus potentiarum*, pag. 145.
Quæſt. 16. *Difficultates aliquæ circa ſpecies impreſſas reſoluuntur*, pag. 149.

DISPVTATIO III.

De potentijs ſpiritualibus animæ rationalis, pag. 155.

Quæſt. 1. *De intellectu agente, & memoria*, ibid.
Quæſt. 2. *De intellectu poſsibili & eius obiecto*, pag. 160.
Quæſt. 3. *Quodnam ſit primum cognitum à noſtro intellectu*, pag. 164.
Quæſt. 4. *In quo formaliter conſiſtat intellectio*, pag. 173.
Quæſt. 5. *Vtrum intellectio poſsit diuinitus collocari in ſubiecto illam non eliciente*, pag. 186.
Quæſt. 6. *Vtrum verbum mentis diſtinguatur ab intellectione*, pag. 191.
Quæſt. 7. *De prima intellectus operatione*, pag. 195.
Quæſt. 8. *De ſecunda intellectus operatione*, pag. 197.
Quæſt. 9 *De tertia intellectus operatione*, pag. 204.
Quæſt. 10. *De cognitione quidditatiua, intuitiua, & abſtractiua*, pag. 209.
Quæſt. 11. *De cognitione comprehenſiua*, pag. 213.
Quæſt. 12. *Vtrum aſſenſus, & diſſenſus, circa idem obiectum in eodem poſsint compati intellectu*, pag. 217.
Quæſt. 13. *De aliorum actuum intellectus oppoſitione, ſiue incõpatibilitate*, pag. 223.
Quæſt. 14. *De reflexione actuum intellectus*, pag 231.
Quæſt. 15. *Quid ſit Voluntas, & quod*

quod eius obiectum, pag. 236.
Quæst. 16. *Qualiter cognitio ad volitionem, siue amorem necessaria sit*, pag. 239.
Quæst. 17. *De amore, & odio, eiusque diuisione*, pag. 243.
Quæst. 18. *De intentione, & electione*, pag. 248.
Quæst. 19. *De libertate voluntatis*, pag. 253.
Quæst. 20. *Vtrum libertas sit actibus voluntatis intrinseca*, pag. 257.
Quæst. 21. *An sit possibilis pura omissio libera*, pag. 264.
Quæst. 22. *Vtrum voluntas sit perfectior potentia, quam intellectus*, pag. 272.
Quæst. VLt. *De habitibus*, p. 275.

TRACTATVS III.

Continens disputationes, & quæstiones in Aristotelis Metaphysicam, pag. 283.

DIPVTATIO I.

De ente secundum se, & eius diuersis statibus, pag. 284.

Quæst. 1. *De varijs entis acceptionibus*, ibid.
Quæst. 2. *Quid sit entis possibilitas*, pag. 285.
Quæst. 3. *Quid sit essentia, & existentia, & an realiter distinguantur*, pag. 293.

DISPVTATIO II.

De attributis entis, pag. 301.

Quæst. 1. *De vnitate*, pag. 302.
Quæst. 2. *De identitate*, 306.
Quæst. 3. *De radice vnitatis numericæ*, pag. 307.
Quæst. 4. *De entis veritate*, pag. 311.
Quæst. 5. *De entis bonitate*, pag. 313.

DISPVTATIO III.

De diuisionibus entis, & de prædicamento substãtiæ, pag. 315.

Quæst. 1. *Diuisiones entis percurruntur, & quid sit substantia examinatur*, ibid.
Quæst. 2. *De substantiæ diuisione & proprietatibus*, pag. 324.
Quæst. 3. *Quid addat suppositum supra naturam*, pag. 328.
Quæst. 4. *Quis sit effectus formalis subsistẽtiæ*, pag. 339.
Quæst. 5. *Quibus entitatibus cõpetat subsistentia, & an dentur in composito subsistentiæ partiales*, pag. 344.
Quæst. 6. *An subsistentia sit entitas modalis, vel potius res absoluta*, pag. 351.
Quæst. 7. *Aliqua dubia de subsistentia resoluuntur*, pag. 355.

DISPVTATIO IV.

De prædicamento quantitatis, pag. 360.

Quæst. 1. *Vtrum substantia corporea independenter, & antecedenter ad quantitatem habeat partes substantialiter, & entitatiue actualiter distinctas*, pag. 361.
Quæst. 2. *Quis sit conceptus formã-*

malis, siue essentia quantitatis, pag. 365.

Quæst. 3. *An quantitas distinguatur à re quanta, pag. 363.*

Quæst. 4. *Circa species quantitatis aliqua dubia resoluuntur, pag. 377.*

Quæst 5. *De proprietatibus quantitatis, pag. 383*

DISPVTATIO V.

De prædicamento qualitatis, pag. 386.

Quæst. 1. *Quid, & quotuplex sit qualitas, ibid.*

Quæst. 2. *Dubia aliqua circa qualitatem resoluuntur, pag. 391.*

DISPVTATIO VI.

De prædicamento relationis, pag. 395.

Quæst. 1. *Vtrum dentur aliquæ relationes reales, ibid.*

Quæst. 2. *Circa diuisiones relationis aliquæ difficultates resoluuntur, pag. 399.*

Quæst. 3. *In quo differat relatio prædicamentalis à transcendentali, pag. 403.*

Quæst. 4. *Vtrum causæ essentialiter connectãtur cum suorum effectuum posibilitate, pag. 410.*

Quæst. 5. *An effectus posibilitas cum suæ causæ posibilitate cõnexionem habeat essentialem, pag. 424.*

Quæst. 6. *Vtrum causa, & effectus transcendentaliter mutuo referantur, pag. 428.*

Quæst. 7. *de fundamento, siue ratione fundandi relationum prædicamentalium pag. 433.*

Quæst. 8. *Vtrum relatio prædicamentalis distinguatur realiter à fundamento, & termino, pag. 437.*

Quæst. 9. *Vtrum relatio prædicamentalis distinguatur formaliter à fundamento, & termino, pag. 448.*

Quæst. 10. *A quo relatio sumat vnitatem, pag. 451.*

Quæst. 11. *An relatio prædicamẽtalis terminetur formaliter ad relatiuum, an vero ad absolutum pag. 456.*

Quæst. 12. *Aliqua, quæ restant dubia de relatione resoluuntur, pag. 464.*

DISPVTATIO VII.

De Deo, pag. 470.

Quæst. Vnic. *An sit, & quid sit Deus, ibid.*

LECTORI MEO.

IN Tertio te alloquor (Christiane Lector) cum Curis nostris Philosophicis optatum accidisse portum comperio. En vltimam mei *Cursus Trinitarij* Partem exactam. In ea, sicut in præcedentibus, Scholæ clarissimæ *Societatis Iesu* doctrinam tibi defero præstantissimam. Id maxime consentaneum erat; cum beatissima hęc Christi ignita cohors me ingentium beneficiorum debitorem adamantino vinculo iam dudum obstrinxerit.

2 Tertio sublimia encomia de *Societatis Iesu* doctrina adorior, vt nostra tertia pars duabus prioribus amica vicissitudine prodeat conformis. Quod tamen iterato Societatis Scientias velim extollere, haud erit rem arduam aggredi, vel difficilem, in qua me ceteris Catholicorum doctrinis feciſſe iniuriam possim vereri. Notum iam pridem fuit genus laudationis nostrum: nec enim de illorum numero, quibus non est concessum, sive aliorum iniuria alicuius laudes decurrere, esse volui; quin potius, vt omnem, sive *adulationis*, sine *invidiæ* notam, vt certè par erat, à me repellerem, nihil propria voce retuli, verbis odia aspera nulla movi. Idcirco quod *Societatis* doctrina cunctis altior in nostro Cursu Trinitario eat, reliquas Catholicorum doctrinas pias, & sanas toto vertice supra non fuisse à me collocatas haud evincit.

3 Vt verò doctrinam illam (qua *Societas Iesu* montibus errantem virtutem ad vrbes traxit, quaque hæreseos capita calamo amputavit, & ore) non nisi ex *Summorum Pontificum*, aut certè *Eminentissimorum Cardinalium* verbis in prioribus celebravi, sic impręsentiarum ex verbis *Sacrorum Antistitum, & Venerabilium Religionum* præconia laudum illius vellem erumpere; quo melius à me omnem

nem ſiniſtram ſuſpicionẽ abijciam; cum prædictos adulationis, vel etiam invidiæ inſimulare pænè ſacrilegium eſſet. Sed tamen qnia Antiſtites omnes, & innumeros Religioſos Viros in vnum trahi, nimium ſermonem protrahere eſſet, eos ſolum Prælules enuncio, qui ſupra ſacerrimum Religionis habitum ſacras infulas induti fuere.

ECLARISSIMO ORDINE S.P. Benedicti.

4 Illuſt. Tarraconenſis Archiepiſcopus D. Fr. Antonius Perez: (a) [Quando divinus Ieſuitarum ordo Ieſu veſtigia inſectatus, quin immo & faſtigia, quodammodo *omnem pœnè hominem venientem in hunc mundum illuminaſſet*, ſi in ſeceſſu aliquo ſecreto delituiſſet?] Et (b) [ſicut de Beata Virgine Dei genitrice occinit Eccleſia: cũctas hæreſes ſola interemiſti in vniverſo mundo; ideo Ignatius ad Virginis ædes arma ſuſpendit, vt inde fortiora mutuans, *cunctas hæreſes ingularet: per filios nimirum Doctores, eruditiſsimoſque Scriptores*, qui in hoc Sacro Ordine contra Hæreticos procreantur.]

(a) In laurea Salm. cert. 6. Expoſitivo. cap. 6.

(b) Serm. de S. Ignat. Valliſ. Oleti typis edito an. 1610. fol. 17.

5 Illuſt. Pampilonenſis Epiſcopus D. Fr. Prudentius Sandoval: (c) [Actumque eſt Divina Providentia, vt cum Lutherus omnem Eccleſiaſticam harmoniani, atque admirandum concentum diſſolveret, confunderetque, Societas Ieſu rurſum Ordini, & modo reſtitueret, *volumina ad poſteritatem tranſmiſſa eruditione, & ſolidiori doctrina referta.*]

(c) 2. p. Hiſt. Carol. V. Imp. lib. 24. §. 25.

EX SACERRIMO ORDINE S.P. Bernardi.

6 Illuſt. Antiſtes, ſapientiæ ærarium. D. Fr. Angelus Manrique: (d) [Reſpicite tot in Sacram Scripturam commentaria æquè docta, ac acuta, tantam Theologiæ Scholaſticæ excellentiam (vt ſi inter diſcipulos adnumeretur qui ab alio diſcit, nullus hoc tempore Theologus eſt, qui diſcipulus huius Ordi-

(d) Lib. feſt. Salm. Beatific. S. Ignatij fol. 167.

Ordinis non ſit) tot inſuper libros reſpicite, quos in hac,& alijs facultatibus cõſcripſerunt. tantum ſanguinem pro fide fuſſum, tot Sanctos., &c.]

EX COELESTI ORDINE SS. TRINITATIS, Redemptionis Captiuorum.

7 Illuſt. Novæ Segoviæ Antiſtes, Venerab. Marianus Doctor D. Fr. Emmanuel de Reynoſo: (e) [Societas Ieſu hiſce vltimis mundi temporibus *ad illius lumen*, & exemplum venit.] Primarius Toletanus, Regius Concionator,& Theologus,& Prouincialis emeritus, V. P. Fr. Franciſcus de Arcos: (f) Societas Reſpublica eſt ſapientiæ adeo coniuncta,vt de ea dicere poſsimus (quod de Catholica Eccleſia dixit Lactantius lib.6.q.)Non poteſt *nec Religio a ſapientia ſeparari, nec ſapientia a Religione* ſecerni.]

(e) Tract de Cõcept. Serm. 1. fol. 17.

(f) In approbat. tom. 1. de Sanct. Tolet. P. Antonij de Quintanad.

EX SANCTISSIMA, ET SAPIENTISSIMA Religione S.P. Dominici.

8 Illuſt. Epiſcopus Mutinenſis, Magiſter Sacri Palatij,in Concilio Tridentino loco oraculi habitus, D.Fr. Ægidius foſcarius: (g) [O ætas feliciſſima, ſed mea felicior fortuna; quando quidem adeo Sanctos, & Doctos Patres Societatis videre meruerim.] Illuſt. Epiſcopus Palentinus, D.Fr. Ioſephus Gonçalez: (h) [Societas ergo, Ieſu Sole veſtitur ;quia ſub eius protectione, vt vmbra tegitur, ac protegitur lunam ſub pedibus Societas habet, quia *omnem mutabilitatem calcat: ſemper vna, ac ſibi conſtans Societas eſt.* Et in capite eius corona ſtellarum duodecim quia *filys vere Apoſtolicis* tanquam ſtellis fulgentiſsimis coronatur,ſecundum illud Daniel 12. Qui *ad iuſtitiam erudiunt multos*, fulgebunt ſicut ſtellæ.]

(g) Apud Roſam laureatam P.Fr.Hiacinti de Parra, pag. 288.

(h) Serm.in Canonizat. S. Ignatij Valliſ-Oleti typis editoan.1622. fol.4.

9 R.P.Fr. Alphonſus Ciaconius: (i) [PP. Societatis tanquam ex equo Troiano, vt aiunt, rigidi, & inuicti virtutis ſatellites, *ignorantiæ*, & impietatis *expugnatores acerrimi*,Dei Verbo illuſtres, con-

(i) In vita Pauli III.

concionibus vehementes, meditationibus ſublimes praxi ſolertes, *doctrina cõſpicui*, & vitæ exẽplo laudabiles prodierunt] R.P.Fr. Dominicus Gravina (K) [Non eſt cur (Societati) obijciatur, Iſaiæ cap. 33. vbi eſt litteratus? Vbi legis verba põderans? Vbi Doctor parvulorum? Paſsim enim tibi occurrent *doctiſsimi Theologi Scholaſtici*, Scripturarum Interpretes. O vitem abundantem! O vitem fructiferam! O libanum omni amænitate refertum!]

(k) In voce turturis p. 2. cap. 30.

10 R.P.Fr. Ludovicus de la Oliva hęc Hiſpano Idiomate ſcribit: (l) [Quien haze la fieſta ſoy yo; pues os combido à ver la caſa de Salomon, fundada por vn Sãto natural de Eſpaña. Què Letrados? Eſſo es vn abiſmo. Què Theologos Scholaſticos: què ſutiles: què Legiſtas: què poſitivos: què Canoniſtas: què Aſtrologos: què Ariſmeticos: què Geometras: què Philoſophos: què Metaphyſicos: què Logicos: què Latinos: què Griegos: què Rethoricos: què Hebreos: què Confeſſores: què Padres de Animas? Agua de nube es eſta Santiſsima Orden: agua que nos embiò Dios de el Cielo, que parece ſe raſgaron en eſta nube las cataratas de el Cielo, que aſsi ha caido ſu provecho, como la nube indiferentemente en campos, en Deſiertos, en Aldeas, en Ciudades, en Paramos; quiero dezir en Sacros Colegios, en Vniverſidades, en Eſcuelas, en Pulpitos, en Cardenales, en Obiſpos, en Inquiſiciones, &c.]

(l) Contione in Beatificat. S. Ignatij, Vlyſipon. excuſſa, an. 1621.

11 R.P.Fr. Hiacintus de la Parra, hæc Hiſpano ſimiliter idiomate protulit: (m) [La Compañia tiene à Ieſus por fundamento, crecio con ſus favores, florecio con ſu virtud, fructifico con ſus influencias, luce con ſu aſiſtencia, y ſe corona con ſiete diademas, y dones del Spiritu Santo. Aqui florece aſpirando el Eſpiritu Divino, la ſabiduria, el entendimiento, la ciencia, la Theologia Scholaſtica, la Expoſitiva, la Moral, la Philoſophia mas recondita. Deſde que eſta Religion ha levantado vãdeta con el Nombre de Ieſus, dilatando ſu Imperio entre los Gentiles, ſe ha llenado la tierra de buenas letras, y la avenida de ciencias, ha cubierto el mundo

(m) Roſa laureata, pag. 287.

do, ſin aver nacion què no manege libros, ni Provincia, que no los trate, ni Region que no los fabrique, ni Clima, que no ſea Politica, olvidada deſu barbaridad antigua. Deſpues, que la Compaña emprendiò abrir Eſcuelas vniverſales en todo el mundo, abunda en todas partes la ſabiduria, hãſe abierto los entendimiento, han florecido las ciencias.]

EX SERAPHICA RELIGIONE S. P. Franciſci.

12 R. P. Fr. Ioannes de Salcedo: (n) [Glorioſe pro Maria certavit Societas Ieſu Sanctorum, *& Sapientum ad miraculum fœcunda Mater*, Dexterum Eccleſię brachium, digitus Dei, calamus Scribæ velociter ſcribentis; ita ſanè velociter, vt ſuprâ quadringẽti Scriptores *Diuinis, & humanis Scientijs tenebreſcentem iam orbem repente illuſtrauerint.*]

(n) In Aſſertionib. Vrban. VIII. dicatis an. 1625. Pro Comitijs Generalib. Prov. Concept. Præſes.

EX SAPIENTISSIMO S.P. AVGVSTINI Ordine.

13 Illuſt. Archiepiſc. Charchenſis in Peruvio D. Fr. Gaſpar Villaroel: (o) [*Litteris eſt adeo inſtructa Societas, vt ſi Theologia interiret, in ea reperiri poſſet.* Homines *doctrina ita eximij* vnde nam? vnde *doctrina tam multiplex? tanta in docendo peritia* vnde hauri poteſt? Ex oratione: ita certè. Oratio tam frequens, meditationis ſtudium, contemplationis divinarum rerum exercitium, quod in Societate viget, quid aliud, quam revera diſciplinas tradere, *ac ſupremo huic præceptori* operandare.]

(o) In conc. S. Ignatij fol. 6. & fol. 7.

EX SACRO CARMELITARVM Ordine.

14 Illuſt. Protonyſta Boni aeris in Peruvio D. Fr. Petrus Carrança: (p) [Vbi gens *doctior*, quã in Societate Ieſu? Quis Pater filios habuit *Sapientiores*, quam Beatus Ignatius? Turris eſt David armis de Eccleſiæ, Evangelijque defenſionem referta, *impios Hæreticos ſcientia, ac doctrina laceſſendo.*]

(p) In Concione S. Ignatij fol. 9. col. 2.

EX

CVRSVS PHILOSOPHICI PARS TERTIA.

LIBROS DE COELO, AC DE ANIMA, ET METAPHISICAM COMPLECTENS.

IN quinque Tractatus Philoſophiam naturalem in proœmio ſecũdæ partis partiti ſumus, ex quibus cum tres priores in eadem ſecunda parte expoſitos relinquamus, duos reliquos in hac tertia exponendos aggredimur, quibus accedit Metaphyſicalis Tractatus, vt integer Curſus Philoſophicus abſolvatur, & huic parti tertiæ ternarius Tractatuum numerus non deſit, nec minus, quam aliæ fidei, quam in prioris partis proœmio dedimus, correſpondeat.

TRACTATVS PRIMVS,
ET DISP. VNICA IN QVATVOR LIBROS ARISTOTELIS DE COELO.



I ea quæ circa cœlos tractanda ad Aſtronomos, & ad Expoſitores ſacros ſpectant, ipſis relinquamus, reliqua, quæ ad Philoſophiam ſpectant, non ſunt ita multa, vt vnica diſputatione complecti non poſsint, nec ita pauca, & inutilia, vt omnino prætermitenda videantur: qua propter nec hunc tractatum prætermitendum cogitavi, nec illum, vt alios, in plures diſputationes dividere decrevi, ſed potius, quamvis Ariſtoteles plures de hac materia habeat libros, omnia, quæ ad nos ſpectant, vnica diſputatione abſolvere. Faxit Deus, vt, dum de cœleſtibus rebus diſputationem inſtituimus, ad cœleſtia promerenda dona properemus, ibique corda noſtra fixa eſſe procuremus, vbi vera gaudia nos poſſeſſuros, ſperamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm cœlum ſit ex materia, & forma compoſitum.

2692 CIRCA quæſtionẽ hanc prima ſententia tenet cœlum quodvis eſſe corpus ſimplex completum compoſitione ex materia & forma carens, veluti Angelus eſt ſpiritus, iuxta communiorem ſententiam, ex materia, & forma non compoſitus. Hanc ſententiam tenet Carleton in præſenti, & vt probabilem defendit Linceus, *Tomo ſecundo Philoſophiæ lib. 9 tract. 1. cap. 1. num. 2.* pro ea citans Averroem, Durandum, Augeolum, Gabrielem, & alios, plureſque alios citat Henao in Empirologia, loquendo tamen de empyreo. Secunda ſententia, quæ communior eſt inter Theologos, & iuxta quam loquuntur Sancti Patres, tenet cœlum, ſive empyreum, ſive quod vis aliud, ex materia, & forma componi. Nota hic ante quæſtionis reſolutionem, quod cum numerus cœlorum in opinionibus verſetur in præſenti quæſtione omnes cœli, præter empyreum, nomine cœli ſyderei comprehenduntur.

2693 Igitur pro reſolutione dico primo, cœlum ſydereum ex materia & forma componi. Probari ſolet concluſio primo, quia cœlum ſydereum habet accidentia plura ex ijs, quæ conveniunt ſublunaribus com-

compositis, habet enim lucem, quãtitatem, & motum: ergo ipsum etiã similiter ex materia, & forma componi censendum est. Secundo quia Cœlum videtur in Genesi denotari ex aqua factum esse, cum enim ibi dicatur: *fiat firmamentum & diuidat aquas ab aquis*, factum fuisse firmamentum, in quo Sol, Lunaque positæ fuerunt, ex aquæ materia videtur verisimile; cum enim sit dividens aquas ab aquis, in medio earum factum fuisse, est credendum: cumque in medio aquarum non videatur aliquid vacuum fuisse ante Cœli productionem, censendum spatium illud aqua fuisse etiam repletum, illamque in Cœlum conversam fuisse consequẽterque ex ipsa materia aquę Cœlum stellatum constare. Hæ rationes adiuncta communi authoritate, & quod in oppositum nullæ vrgentiores adhibeantur, & si conclusionem nostram magna efficacia non probent, reddunt tamen eam verisimiliorem.

2694 Dico secundo verisimilius etiam est, quod empyreum constet ex materia, & forma. Quamvis conclusio præcedens non satis constet, adhuc hæc secunda est minus firma, cum secunda ratio pro ea adducta, pro hac secunda non militet: prima vero, etsi militet, non tamen ita vrgenter; Lyncæus enim negare videtur in empyreo quantitatẽ, cum asserat probabile esse, quod non sit integraliter compositum: quod etsi singulare sit, & vrgens fundamentum non habeat, efficaciter tamẽ non video quomodo possit impugnari. Adhuc tamen aliquam vim pro hac secunda conclusione prima illa ratio habere videtur; cum lux saltim in empyreo admittatur ab omnibus, & quantitas etiam verisimilius sit admittenda; cum enim magnum occupet spatium, quamvis possibile sit, quod sit in illo indivisibiliter, totum scilicet in toto, & totum in qualibet spatij parte, videtur id ex mera ipsius possibilitate, ipsi non concedendum; cum corporibus Beatis non concedatur, & à non paucis indivisibilitas cõtra conceptum corporis iudicetur, & ab ipso Lyncæo divisibilitas saltim iudicetur esse vna ex conditionibus corporis stricte, & pure talis: cẽsendum igitur est empyreum Cœlum quantum, & extensum esse, ac proinde ex quantitate, & luce ita suaderi eius compositionem ex materia, & forma, vt, etsi efficaciter satis non persuadeatur, adiuncta tamen communi authoritate, & carẽtia fundamẽti vrgentioris, ad oppositum, nostra conclusio verisimilior iure censeatur.

2695 Adverte tamen, quod iuxta non paucos Doctores non solum Cœlum empyreum quantitatem habet; & compositionem integralem, sed etiam repugnat corpus ea compositione carens, cum enim non pauci conceptum rei materialis, & corporeæ in divisibilitate constituant, eo ipso, quod aliquod ens sine partibus integrantibus sit, divisibilitatem ad rem corpoream necessariã non habebit, ac proinde corpus

dici non poterit. Iuxta sententiam autem, quam Deo dante in libris de anima probabiliorem esse videbimus, non repugnat res corporea indivisibilis, quia ad corporeum sufficit dependentia à corpore, aut quod ad illius compositionem ordinetur, repugnat tamen indivisibile corpus, quia corporis nomine intelligitur substantia quantitate molli affecta, ac proinde sine partibus integralibus repugnat, nisi corpus aliter accipiatur. & fiat quæstio de nomine.

Soluuntur argumenta.

2696 Contra nostram secundam conclusionem præsertim obijcies primo: non repugnat corpus subsstantiale completum essentialiter simplex, sive carens compositione ex materia, & forma: ergo tale de facto datur: sed nullum potiori ratione tale esse potest, quam Cœlum, præsertim empyreum; ergo Cœlum est corpus completum simplex essentialiter. Antecedens multi, & graves Doctores defendunt cum Lyncæo, Oviedo, Carleton, & Henao, & constat primo: quia possibilis est spiritus completus simplex: ergo & corpus. Secũdo & præcipue, alijs rationibus omissis, quia in eo nulla ostenditur repugnantia. Consequentia autem probatur: quia si tale corpus esset possibile, & non daretur, vniversum esset incompletum, nec haberet pulchritudinem, & varietatem, quam habet, eo admisso: ergo possibile sit tale corpus, dari de facto concedendum est. Minor subsumpta non videtur minus certa: tum quia nullum aliud corpus datur in quo sit Doctoribus æqualis ratio dubitandi: tum quia Cœlum deservit præstantissimo fini, vnde ei concedi debet suprema inter corpora perfectio. Consequentia autem ex ea minori deducta est omnino manifesta.

2697 Ad argumentum hoc respondent non pauci, negando antecedens, ad cuius primam probationem negant consequentiam, quia si antecedens est verum, ideo est, quia in eo nulla reperitur repugnantia: in consequenti autem repugnantia reperitur: ex qua etiam constat ad secundam probationem. Quod autem repugnantia reperiatur probant primo: quia corpus illud haberet quantitatem; alias corpus non esset, & simul eam non haberet, quia quantitas corporis propria est proprietas materiæ primæ, quam non haberet illud corpus. Secunda repugnantia, alijs omissis, quæ videri possunt in Henao, *lib. 2. exercit. 4. sect. 2. num. 14. & 15.* & in Lyncæo *tom. 2. lib. 3. tract. 2. cap. 2.* est, quod tale corpus, si daretur, esset operativum; cur enim ea perfectio, quæ imperfectioribus subsstantijs conceditur, illi negari posset? Et non esset operativum, quod constat, quia nec operari posset transeunter, nec immanenter: primum constat, quia si operaretur transeunter, aut esset sine dependentia ab extraneo subiecto, aut cum illa; si sine illa

ergo creative. Quod creaturæ vires superat: si cum ea dependentia: ergo à subiecto penderet in operari: quod dici nequit, cum habeat esse à subiecto independens: secundum autem etiam probatur: quia illud corpus aut haberet vitam incompletam, & sic foret homo, aut aliud vivens compositum; aut completam, & sic foret Angelus.

2698 Quamvis autem probabilis sit ista responsio, placet tamen antecedens argumenti concedere, quia illud apparet magis probabile: nec implicationes numero præcedenti allatæ vrgent: primo namque si ad corpus requiratur, quod habeat quantitatem, quæ est materiæ proprietas, forsan probabilius erit, quod nequeat dari corpus simplex; sed adhuc nõ omnino certum, tuncque quæstio erit de nomine: videtur autem probabilius, quod ad corpus sufficiat quantitas, quæ impenetrabile, & extensum suum subiectum faciat, sive sit ipsa, quam habet materia prima, sive non: vnde corpus illud posset habere quantitatem ad corpus requisitam, quamvis quantitatem, quæ proprietas est materiæ non haberet: vnde constat ad primam implicationem allatam. Ad secundam autem respondetur illud corpus operari posse transeunter, quia posset operari cum dependentia à subiecto, modus enim operandi, quoad hoc, nõ sequitur semper modum essendi; cum etiam Angelus independens à subiecto sit in esse, & non in operari. Præterea operari posset, immanenter non vitaliter suas passiones producendo: & etiam vitaliter, quia de possibili non est cur dari nequeat vivens completum, quod Angelus non sit; nec est cur deessent qualitates necessariæ ad vitaliter operandum; quia quamvis in corporibus compositis disponant ad formam substantialem, non est cur ibi non possent solum disponere ad operationes vitales.

2699 Dices tamen ex Magistro Aguirre *in præsenti disput. 63 num. 4.* & ex P. Fr. Ioanne ab Annuntiatione *in tractatu etiam de Cœlo* (quem simul cum tractatu de Meteoris in volumine vno super addit ad Cursum Complutensem ab ipso ad breviorem, & meliorem methodum redactum) *disputat. 1. q. 1.* Dices, inquam, corpus substantiale completum essentialiter simplex non esse materia; quia ista essentialiter est incompleta: neque forma incompleta, propter eandem rationem; alias esse non posset forma completa: ergo repugnat tale corpus completum. Minor probatur; quia, si tale corpus esset forma completa, esset spirituale Ex eo namque, quod Angelus sit forma completa per se subsistens, probant communiter Theologi *1 part. quæst. 50.* ipsum esse substantiam spiritualem. Respondeo tamen corpus illud neque futurum materiam, neque formam; & quidem nec completam, nec incompletam: sicut enim ex dictis in Physica constat, tam essentiale est

formæ, quod ſit ens inconpletum, quam materiæ. Vnde falſum reputo, nō ſolum, quod tale corpus ſimplex completum eſſet forma completa, ſed adhuc, quod talis ſit Angelus. Vnde ſi aliquando Angelus dicitur forma completa, id non contingit, quia rigoroſe talis ſit; ſed abuſive, & vt denotetur maior ſimilitudo, quam habet cum forma, quam cum materia. In hoc autem abuſivo ſenſu tale corpus completum dici potius deberet materia completa, quam completa forma. Hinc, ſi demus, quod Angeli immaterialitas probatur ex eo, quod ſit forma completa per ſe ſubſiſtens, vis probationis non conſiſtit in eo, quod forma completa ſit; ſed in eo, quod eo ipſo, quod, adhuc abuſive ſit forma completa, corpus non eſt, nec illud componit; ex eo autem, quod ſit per ſe ſubſiſtens à corpore non dependet: hæc autem ſufficiunt, vt ſpiritualis ſit. Cum verò è contra corpus completum dici non poſſit, quod, adhuc abuſive eſt forma, & neceſſario dicendum ſit, quod eſt corpus, dici nequaquam poteſt, quod ſpirituale ſit. V. dicenda *in lib. de Anima diſputat. 1. q. 8.*

2700 Ergo ad argumentum conceſſo antecedenti; nego conſequentiam, ad cuius probationem dico, verum eſſe, quod, non admiſſo corpore completo ſimplici, non eſt tanta varietas in vniverſo: inde tamen nec ſequitur, quod ſine eo ente ſit incompletum vniverſum, nec, quod de facto tale detur corpus; primum non ſequitur, quia ſolum dicitur incompletum illud, cui deficit aliquid ipſi debitum, cumque tale corpus completum ſimplex ex eo, quod poſsibile ſit, non ſit debitum vniverſo, ex eo, quod non detur, non eſt cenſendum vniverſum incompletum eſſe. Quod etiam non ſequatur dari tale ens, conſtat, quia innumera etiā ſunt entia poſsibilia, quæ varietatem maiorem vniverſi componerent, ſi darentur, & tamen inde, quod dentur, nullus infert: ex illa ergo pulchritudine, & varietate præciſſe ſumpta, numquam deducitur alicuius entis exiſtentia. Ex fine etiā perfectiſsimo empyrei, non deducitur eius ſimplicitas, quia ad id ſufficit, quod valde reliqua omnia excedat corpora, quod contingere poteſt propter ſuæ formæ perfectionem ſupra alias, quin ſit neceſſum, quod ſimplex ſit.

2701 Obijcies ſi Cœlum ex materia, & forma componeretur, eius materia aut eſſet ſpeciei eiuſdē cum materia ſublunarium, aut diverſæ: ſed nec poteſt eiuſdem eſſe ſpeciei, nec diverſæ: ergo dicendum potius, quod materia, & forma non conſtet. Prima minoris, ſive contradictionis pars probatur primo: quia, ſi materia Cœli eſſet eiuſdē ſpeciei cum materia ſublunarium, in iſta introduci poſſet cœleſtis forma: vnde non eſſet cur à cœlis ea multoties non introduceretur. Secundo probatur: quia ſi Cœlorū materia eſſet eiuſdem ſpeciei cum ſublunaribus, illa haberet potentiam ad ſublunares

res formas, quæ potentia, cum numquam sit eas habitura, esset superflua, immo & violenta: quorum neutrum est dicendum. Tertio denique: quia ad finem componendi incorruptibile compositum aptior est materia eius tantum formam recipere potens: ergo talis est cœlestis materia, & consequenter diversæ speciei à sublunari.

2702 Deinde probatur secunda contradictionis, sive minoris pars: primo quia non est necessitas multiplicandi specifice materias; cum Cœli incorruptibilitas sine illius materiæ specifica diversitate possit explicari, dicendo, quod proveniat à formæ, & vnionis, incorruptibilitate. Secundo quia congruum est satis, quod materia Cœli non sit alterius speciei à materia corporum glorificatorum: illa autē sunt eiusdem speciei cum sublunaribus. Tertio quia materia Cœli nō debet esse minus perfecta, quā sublunaris: sed esset minus perfecta, si esset diversæ speciei: ergo diversæ speciei nō est. Min. probatur: quia, si esset diversæ speciei, materia cœlestis solum posset recipere formā, quam habet; sublunaris vero omnes sublunares: sed inter sublunares sunt aliquæ magis perfectæ, quam cœlestis: ergo materia sublunaris haberet potentiam ad formam perfectiorē, quam cœlestis: ergo esset perfectior; cum perfectio materiæ metienda sit per ordinem ad formam, quam recipere potest. Et si dicas, quod potentialitas est imperfectio, & cum materia sublunaris haberet maiorem potentialitatem, haberet etiam maiorem imperfectionem. Contra est; quia materia sublunaris nō haberet maiorem potentialitatem ita, vt secundum se præcisse sumpta, minus de actu haberet, sed solum maiorem, quia secundū se sumpta plures actus respiceret: prima autem maior potētialitas solum est, quæ maiorem cōtinet imperfectionem; secunda potius maiorem perfectionem.

2703 Respondetur ad argumentum hoc concessa maiori, negādo minorem; quia, quamvis quæstio sit anceps satis, an materia cœlestis differat specie à sublunari, communiter tamen Doctores eam in alterā cōtradictionis partem resolvunt, & non in vtramque, nisi forte problematice, vt facit Lyncæus, apud quē pro quavis parte Doctores vide *tom. 2. lib. 2. tract. 6. c. 2. & 3.* Vide etiā Henao *exercit. 5. sect. 1.* Et alios Recentiores. Et si inquiras in quam ergo partem est nobis hæc anceps quæstio resolvenda. Respondeo, quod, & si vtraque pars sit satis probabilis, secunda tamen quæ asserit materiam Cœli esse eiusdem speciei cum materia sublunarium est nobis defendenda; tum quia circa Cœlum sydereum secunda ratio, qua illud ex materia componi probavimus, eam eiusdem speciei cum sublunaribus esse persuadet: tum quia rationes pro hac parte allatæ, quæ non solum de sydereo, sed etiam de empyreo loquuntur, aliquanto efficaciores mihi videntur. Quapropter pro argumēti

solutione, & huius quæstionis omnimoda resolutione restat ad oppositas obiectiones in argumento allatas respondere.

2704 Ad primam ergo respondeo, quod, quamvis sublunarium materia sit Cœlestis formæ capax, Cœli tamen non habent virtutem introducendi eam eo, quod, quo magis virtutem ad suam formam defendendam à contrarijs habent, eo minus habent ad eam introducendam in subiectis extraneis. Ad secundam respondeo, potentiam materiæ Cœlestis ad sublunares formas non esse superfluam, quia deservivit iam, vt pro priori ad formam Cœlestem esset potens ad sublunares, & modo est tantum ab extrinseco impedita: nec ideo est violenta, quia magis appetit formam, quam habet, quam omnes alias, vnde illa perseverante non potest propter aliarum defectū esse violenta. Ad tertiā denique respondetur, ad incorruptibile cōpositū aptiorem esse materiam illius solum formæ capacem, sed etiam aptam satis esse materiam ad alias etiam indifferentem: nihil autem cogit ad ponendam aptiorem materiam; sufficit enim aptam assignare.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Cœli sint corruptibiles?

2705 CIRCA præsentem difficultatem prima sententia tenet Cœlos corruptibiles esse. Tenuerunt hanc sententiam communius Philosophi antiquiores Aristotele, eāque tenent modo nō pauci Recentiores Mathematici eandemque, vt probabilem, amplectitur Linceus, *tom. 2. lib. 9. tract. 1. cap. 6.* Eam etiam tenet Pater Martinus Delrrio, Pater Salmeron, & alij, citanturque pro ea non pauci ex Sanctis Patribus. Opposita autem sententia est magis recepta, & inter Theologos, & Philosophos communis, eamque verisimiliorem sive probabiliorem ego iudico, quia, & si rationes non multum vrgeant, vrget magis authoritas Doctorum, quam pro contraria.

2706 Sententia ergo nostra Cœlos incorruptibiles esse asserens probari solet primo: quia ad ornatū & perfectionem vniversi pertinet, vt sint in eo corpora corruptibilia, & corpora etiam incorruptibilia. Non vrget multum, quia non omnia possibilia, quæ vniversum magis ornarent admittenda esse verius videtur. Secundo, quia si Cœlū esset corruptibile, iā tot sæculis ab igne corruptum fuisset Cœlum lunæ ipsi immediatum. Sed nec vrget, quia sicut ignis aerem sibi immediatum ex inferiori parte non cōsumit, sed ad summum aliquas partes illius corrūpit, ita tamē, vt aer aliūde alias de novo adquirere soleat, quo semper perseveret, sine considerabili diminutione, sic contingere poterat in Cœlo, immo etiam quia Cœlum difficilius est ab igne corrumpi, cum maiori fundamento id poterat asseri.

2707 Tertio probari posset: quia vniversum sublunare est incorruptibile,

bile; quoad ſpeciem : ergo Cœleſte quoad individuum etiam. Probatur cõſequentia: quia *propter quod vnũquodque tale, & illud magis* : cum ergo incorruptibilitas corporũ ſublunariũ ſit propter incorruptibilitatẽ Cœleſtiũ, ea eſſe debet maior, & conſequẽter ſi iſta eſt, quoad ſpeciẽ, illa, quoad individua. Reſp. tamen poteſt adagiũ illud ſæpe fallere, & in præſenti falsũ eſſe conſtat, quia etiã plura ſublunaria corrũpuntur propter Cœleſtiũ influxus. & tamen non licet arguere, quod Cœleſtia ſint magis corruptibilia. Præterea ſalvari poſſet Cœleſtia eſſe magis incorruptibilia, ſi firmius quoad ſpeciem eſſent incorruptibilia, quamvis aliqua individua corrumpi poſſent.

2708 Quarto probari ſolet experientia, qua, cũ tot mutationes inferior mundus patiatur, nullam in Cœlis tot ſæculis experti ſumus. Non nimis etiam vrget ratio, vt cõijci poteſt ex dictis in reſponſione ad ſecundam, ex contrariorumque argumentis. Quinto denique probari ſolet, quia Cœlum non cõtinet quatuor primas qualitates, quæ ſunt principium corruptionis, nec illarũ aliquam. Quod autem eas non contineat, probatur : quia illę primario conveniunt elementis, & ex illis derivantur ad mixta: cum ergo Cœlum diverſæ, & perfectionis naturæ ſit ab elementis, ipſumque potius in elementa influere, quam ab eis influxũ participare, videatur compertum, dicendum, quod nec ex ſe habeat primas quatuor qualitates formaliter, nec eas ab elementis participet: vnde & dici cõſuevit, quod Cœlum eſt incapax peregrinarum impreſſionum; quamvis autem hæc ratio non omnino convincens ſit, magis vrget, quam præcedentes, & ſaltim omnes ſimul, communi authoritate adiuncta, noſtram ſententiam probabiliorem reddunt, quæ adhuc magis argumentorum ſolutione roborabitur.

Soluuntur argumenta.

2709 Sed contra ſententiam, quam probabiliorem diximus, objici ſolent, primo Sanctorum Patrum authoritates. Sed explicari facile poſſunt omnes, ſi dicamus eos loqui de corruptibilitate, quæ ſupernaturaliter Cœlis convenire poteſt, quãnos non negamus; non tamen de corruptibilitate, qua ab aliquo agente creato corrumpi naturaliter poſſint, quam ſolum tenuimus.

2710 Objicies ſecundo; cœli in fine mundi ſunt corrumpendi vt plures ex ſacris interpretibus teſtantur: ergo ſunt naturaliter corruptibiles Conſequentia probatur: quia conformius videtur rationi, quod res de facto aliquando corrumpenda fuerit facta talis, vt ex natura ſua ſit corruptibilis, quam incorruptibilis Hoc argumentum ſatis probabiliter rem perſuadere mihi videtur, admiſſo ſemel antecedenti: ſed eius efficacia eſt ſatis dubia primo: quia & ſi probabilis ſit conſequentia, probabiliter etiam negari poteſt, quia vt Cœli in fine mundi à Deo corrumpantur, neceſſum non eſt,

eſt, quod ſint naturaliter corruptibiles; potius enim, ſi naturaliter incorruptibiles ſint, portentoſior redditur illorum renovatio à Deo tunc facienda. Secundo eſt dubia argumenti efficacia, quia communior eſt inter Theologos, & Sanctos Patres ſentẽtia, quod Cœli renovandi ſint, non quia corrumpendi, ſed quia purificandi; vnde falſum erit argumenti antecedens. Abſolute tamen modo de antecedenti non iudicamus, quia id pertinet ad Sacræ Scripturæ interpretes.

2711 Tertio obijcies: Cœlorum aſtra ſunt naturaliter corruptibilia: ergo & ipſi Cœli. Antecedens probatur experientia aliquarũ ſtellarum, quæ in Cœlo apparuerũt: inter quas eſt celebris ea, quæ in conſtellatione caſiopeæ apparuit anno 1572. & poſt biennium evanuit: etiamque à Divo Auguſtino refertur *lib. 21. de ciuit. Dei. cap* 8. ſydus veneris mutaſſe magnitudinẽ, & figuram. Confirmatur ex cometis, qui in Cœlis ſæpe apparuerunt, vt à pluribus Aſtrologis eſt obſervatum: ergo illi ex materia Cœlorum fuerunt generati, & conſequenter forma Cœlorum, quoad illam partem corrupta. Circa materiam huius argumenti, eiuſque confirmationis vide plura in Nierembergio. *lib. 6. de vita ſtellarum præſertim cap.* 8.

2712 Reſpondent diverſimode Doctores ad argumentũ iſtud: primo enim aliqui dicunt, tam ſtellas, quam cometas de novo apparentes miraculoſe produci ad aliquid ſingulare ſignificandum: vnde non ſequitur Cœlos naturaliter corruptibiles eſſe. Sed ſolũ ſupernaturaliter, ſed quamvis non minora miracula à Deo facta fuerint in Cœlis aliquando, cum dictas productiones miraculoſas fuiſſe non conſtet, tales cenſendæ non ſunt; alias quodvis opus nobis incognitum miraculoſum dici poſſet. Alij reſpondent prędictas ſtellas, & cometas vere in aere eſſe, quamvis in Cœlo eſſe videantur. Sed cum peritis in arte ſit credendum, eas in Cœlo extitiſſe credo, quia id aſtronomi plures obſervaſſe perhibentur apud Euſebium Nieremberg. Alijs præterea omiſsis.

2713 Reſpondeo ad argumentum ſimul, & confirmationem, tam ſtellas, quam cometas de novo aliquando apparentes, non de novo produci, cum apparent, nec cum nõ apparent corrumpi, ſed propter diverſos ſuos motus, etſi ſemper ſint, aliquando à noſtris aſpectibus recedere, aliquandoque accedere. Prætẽrea non pauci exiſtimant cometas aliud non eſſe, quam plurium ſtellarum aggregatum, quæ ſeparatæ cerni nõ poſſunt, adiuvantibus etiã ſolaribus radijs. Similique modo dici poteſt ſydus veneris magnitudinem, & figuram mutare potuiſſe, propter acceſſum, vel receſſum parvarum ſtellarum. Omnia ſunt non facilia: ſed mirum non eſt, ſi de Cœleſtibus ratio à nobis reddi non poteſt, qui in terrenis adhuc cognoſcendis caligamus.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

An Cœli sint animati?

2714. QVAMVIS non defuerint, qui animã rationalem Cœlos habere crediderint, iam tamen omnes Catholici vnanimiter tenent Cœlos anima rationali non constare; imo nec vegetativa, aut sensitiva. Existimat tamen Pater Eusebius Nieremberg. *lib. 6 de vita stellarũ cap. 24 & 25.* Non improbabiliter dici posse, astra Cœli vivere, vita quadam, à vegetativa, sensitiva, & rationali diversa, quæ loco motiva dici possit, & sit minus perfecta, quã sensitiva, perfectior tamen, quam vegetativa. Hanc etiam sententiam sequutus est, quamvis problematice, quidam ex nostris R. citans etiam pro ea Ægidium, & Caietanũ. Cum vero sententia opposita sit iam omnium Philosophorum, præter dictos, Theologorum, ac Sanctorum Patrũ, ea vt vera tenenda est, quam etiam pro conclusione nos statuimus: eius autem prima probatio sit Theologorum, ac Sanctorum Patrum authoritas. Secunda, quod quartum, & novum vitæ genus statuendum non est sine speciali fundamento, & necessitate: sed non adest speciale fundamentum, aut necessitas ad ponendum quartum vitæ pure loco motivæ genus & illud Cœlis tribuendũ: ergo Cœlos non animari anima loco motiva tenendum est; minor huius probationis, in qua tota illius est difficultas solutionẽ argumentorum constabit.

Soluuntur argumenta.

2715. Obijcies primo: Deus in mundi creatione processit ab imperfectioribus ad perfectiora: sed post productionem plantarum produxit Cœlos & astra: ergo ista sunt plantis perfectiora: sed si nullam vitam habeant esse non possunt perfectiora; quia quodvis non vivens, quovis vivente, est imperfectius: ergo dicendum Cœlos, & astra vita loco motiva, vegetativam excedente pollere. Ad hoc tamen argumentum responderi poterat negando minorẽ subsumptam, quia, quamvis viventia ex genere suo perfectiora non vivẽtibus sint, non videtur à ratione alienum omnino, quod aliqua non vivẽtis species, aut individuum aliquam viventis speciem in perfectione excedat; quia excessus vitæ potest per alias perfectiones compensari, & excedi: quod mihi videtur non in verisimile; quamvis enim sol non vivat, cur verisimile non erit, quod caulis truncum in perfectione excedat, sed, quidquid de hoc sit, Respõderur adhuc ad argumentum, negando illius maiorem, illam enim pluribus retundit instantijs quidam R. Nostet sufficiat nobis vnam, aut alterã adducere. Prima sit, quod Angelus cæteras creaturas, hominẽque ipsum in perfectione excedit, & tamen non post eas, sed ante hominem, imo & ante plãtas creatus est.

Se-

Secũda sit: Cœlum empyreum, quod reliquis Cœlis perfectius esse credendum est, & tamen ante ipsos est creatum: corruit ergo dictum argumentum.

2716 Secundo obijciẽs: astra moventur à se: ergo sunt viventia. Ad hoc argumentum, quod latius proponitur à R. *n.* 2714. memorato Respondet ipse, eo quod tãtum problematice eam sententiam defendat, negando antecedens; eo quod cum communi sententia dicat Cœlos nõ à se sed ab Angelis moveri: ego vero, permisso modo antecedenti, nego consequẽtiam. Et primo eam instat: lapis movetur à se: ergo est vivens: sicut ergo ad instantiam respondebunt non sufficere quemcũque modum se movendi, vt aliquid vivere dicatur, sic etiam nos respondemus. Cœlum ergo, sive astra non vivere existimo, quia quamvis se movere concedatur, ille motus non est vitalis, nec vitæ signum, eo quod non sit per se ab intrinseco; ad hoc enim vt per se ab intrinseco sit, debet non posse produci ab alio, nec in alio: terminus autẽ motus Cœlorum potuit in alio produci, & etiam in ipso ab alio, sicut de cæteris motibus localibus dicemus Deo dante in libris de anima, dum de conceptu viventis ex professo agamus.

2717 Inquires autem modo, an antecedens, quod omisimus, verum sit. Respondeo communiter Doctores existimare Cœlos nõ à se, sed ab Angelis moveri: aliqui tamen sentiũt, quod quamvis à se non moveantur, non moventur ab Angelis, sed à Deo specialiter. Cum tamen Deus causis secundis communius committat ea, quæ ipsis facile committi possunt, cõgruentius est, quod motum astrorum Angelis tribuamus, cum ab eis facile possint causari: cumque etiam sic ferat communis Patrum consensus, cẽsendum est omnino, potius ab Angelis astra, quam à Deo specialiter moveri. Sunt tamen deinde alij, qui existiment astra à se moveri, sicut lapis à se movetur in centrum, cur enim sicut natura lapidis in centri quietem naturaliter propendet, non poterit talis astrorum esse natura, quod in perpetuum motum non minus naturaliter propendeat. Confirmatur autem hoc primo: quia lapis cum opus est ad replendum vacum à se sursum etiam movetur: ergo etiam astra, dum per loca sibi naturalia moventur, à se moveri sunt censenda. Probatur consequentia: quia non alia ratione lapis sursum à se, & naturaliter in posito casu movetur, nisi quia id expedit communi vniversi bono, sed etiam communi vniversi bono expediunt motus astrorum: ergo ipsos efficiunt astra ipsa naturaliter & à se.

2718 Quod idem astrorũ motus ab ipsis fiat, confirmatur secundo: quia, si ponamus Angelum movẽtem vnum astrum, aut omnes Angelos ab astris movendis cessare, astra se movebunt, aut non? Si primum: ergo Angeli necessarij non sunt, vt astra moveant; si secundum,

in-

incredibile videtur, quod lapis, vt bono vniversi prospiciat sursũ moveatur, &, quod astra, vt ipsi etiam bono prospiciant, se per loca naturalia movere non possint. Tertio denique confirmatur: quia aquæ concedimus virtutem ad reducendum se ad frigiditatem pristinam, impedimentis ablatis, ne ad Deum, vel causas alias vniversales recurramus, dũ causam particularẽ possumus invenire: ergo similiter, dum possibile est, quod astra se moveant, recurrendum non est ad Deum, vel Angelos, vt ipsa moveant; sed ipsa se movere est credendum qua propter astra se movere tenenent illi, qui astra vivere superius asserebant, & præter eos Pater Tellez, & apud ipsum Guillermus Parisiensis & Vallesius, in eamque videtur Oviedus inclinare: & mihi quidem satis probabilis videtur, quamvis plures Sancti Patres ab Angelis astra moveri affirment, & id veritatem catholicam esse aliqui illorum asseverent; forsan enim intelligi possunt de motibus irregularibus, & extraordinarijs, de quibus certissimum debet esse ab Angelis causari in astris; de regularibus tamen videtur certitudinem non habere tantam, vt opposita sententia, quam iam probavi, probabilitate careat, quamvis propter communem authoritatem in re, de qua nobis parum constat, communi sententiæ sit adhærendum, nec ista amplius evitterari possunt, quamvis amplius in eis immorari possemus; sed ad quid mora sine fructu?

2719 Præterea inquires, an motus. Sit movilibus cœlestibus naturalis. Respondeo affirmative cõtra Hurtado, Arriagam, Amicum, & Alphon. aientes esse præternaturalem, & contra alios aientes esse violentum. Responsio nostra probatur ab aliquibus, quia cuilibet corpori naturali ex materia, & forma constanti est naturalis aliquis localis motus: ergo talis est Cœlis ipsorum motus. Non vrget ratio ista, bene enim eam instat quidam R. ex nostris in empyreo, quod nullum motum localem sibi naturalem habet, & tamen ex materia, & forma componitur. Responsio ergo aliter probanda ex nuper dictis, quia, scilicet, motus Cœlorum, sive astrorum est ab intrinseco. Et si dicas: nullus locus est naturalis Cœlestibus movilibus: ergo neque motus, cum à termino specificetur. Respondetur quemlibet locum, per quem movetur quodvis Cœleste corpus, esse illi naturalem, quoad adquisitionem, nõ tamen, quoad permanentiam, quia ipsis est connaturalis motus perpetuus, dum durat necessitas Cœlestis influxus: sufficit autem, quod locus sit naturalis, quoad adquisitionem, vt motus in illum naturalis dicatur.

2720 Denique inquires, an cessante astrorum motu, cessarent omnes motus sublunares. Respondetur negative cum communiori sententia contra quosdam Thomistas, quos novissime refert, & sequitur Magister Aguirre *disp. 73. sect. 6.*

Con-

Constat responsio primo: quia non est cur tanta dependentia in sublunaribus ponatur à motu astrorum; satis enim est, quod, destructis astris & eorum concursum Deo non supplente, perirent inferiora, quin etiã dicamus omnes inferiorum motus à motibus illorum dependere. Dices non posse astra sine motu influere in inferiora sublunaria: sine influxu autem illorum non possunt ista moveri. Respondetur astra influxura in inferiora, etiam si non moverentur: vnde quamvis non possent in sublunaribus tunc tot motus exerceri, nec ita perfecti, aliqui tamen exerceri possent. Secundo constat responsio authoritate D. Thomæ, qui *quæst. 5. de potentia art. 10.* ait: *Quod cessante motu Cœli maneret in homine motus cordis. Opusc. etiam 1. cap. 8.* ait: *Quod si corpus humanum viuum maneret post cessationem motus Cœli cum eadem membrorum dispositione, eodem modo moveret manum, & lignũ.* Non ergo ex mente Divi Thomæ cessarent motus omnes sublunares, motu Cœlestium corporũ cessante.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Cœli fluidi sint, an potius solidi?

2721 NOMINE Cœli intelligunt Expositores sacri non modo empyreum, & inferiores globos, in quibus sunt astra, sed etiam non raro totam regionem aeris. Igitur certum est apud omnes, quod Cœlum inferius sumptum pro regione aerea sit fluidum, & non solidum; deinde de empyreo Cœlo; quod sedes Beatorum est, & felicissimum regnantium cum Deo palatium, conveniũt Doctores etiam solidum esse, creditur que communiter quadratum esse ex parte superiori, iuxta illud Apocalipsis 21. *Ciuitas in quadro posita est.* Quamvis autem solidum sit, & beati non sint supra illud, sed intra illud, non obstat hoc, ad hoc vt Beati per illud possint deambulare, & oculis omnia in ipso existentia cernere; eius enim transparentia omnia patefacit visui, & Beatorum penetrabilitas ambulationi per corpus solidum impedimentum tollit: vt autem possint loqui, non obstat aeris defectus; quia potest esse ibi aer, aut alia materia apta ad respirationem, non obstante Cœlorum soliditate, per hoc solum, quod ea materia penetrabilis fiat. Quapropter præsens quæstio solum est de Cœlo, aut Cœlis supra aeris, aut etiam ignis regionem existentibus, & infra empyreum.

2722 Prima ergo sententia tenet Cœlos dictos solidos esse: vnde in eis astra erunt veluti clavus, aut nodus in tabula, & sicut iste movetur, ad motum tabulæ, sic astrum quodvis movebitur ad motum Cœli, in quo ipsum, dicto modo, est. Secunda sententia primæ omnino opposita Cœlos omnes stellarum fluidos esse ait, vnde astra in eis moveri exi-

existimat veluti pisces in mari, aut aves in aere. Tertia sententia tenet Cœlum stellarum fixarum sive inerrantium solidum esse, Cœlos vero planetarum errantium esse fluidos. Prima sententia communis est inter Philosophos, pro eaque referri solent plures ex Sanctis Patribus. Secundam tenet Nieremberg. citato iam *lib. 6. de vita stellarum*, iamque aliqui Recentiores Philosophi, & communius Recentiores Astrologi, necnon ex Sanctis Patribus plurimi. Pro tertia denique sententia militat vnus, vel alter recentior.

2723 Secundam sententiam asserentem, Cœlos fluidos esse, amplector: ea autem probatur experientijs & demonstrationibus, quas medio tubo optico nacti sunt Recentiores Astrologi plurium motuum astrorum, qui componi non possunt cum Cœlorum soliditate consequêterque cogunt fateri Cœlos fluidos esse. Quamvis autẽ quis facile posset negare Astrologorum experientias, nescio an prudenter, cum enim nullum fundamẽtum sit satis vrgens ad Cœlorum soliditatem stabiliendam, & res semper sit dubia, & divinabilis, non est cur vir non Astrologus, quod Astrologi plures se adeptos esse confidenter testantur, negare audeat; cum iure in proloquium abierit: *peritis in arte credendum est.* Igitur credendum iudico in hoc Astrologis, quorum experientiæ in Eusebio Nieremberg, & alijs videri possunt; ne tamen omnino omnes prætermittam, vnam ex eis adduco.

2724 Vt autem experientia capiatur notandum est, maiorem esse Cœlorum numerum apud eos, qui Cœlos solidos esse dicũt, quam apud alios: existimant autem ex illis omnium infimum, & immediatum elementis esse Cœlum Lunæ, hocque dicunt primum. Secundum & huic immediatum dicunt esse Mercurij Cœlum. Tertium Veneris. Quartum Solis Quintum Martis. Sextum Iovis: septimumque Saturni. Communius hoc dicunt addentes etiam alia, & diversitatem habentes in aliquibus, quæ ad præsens non interfunt, & inferius sunt referenda. His ergo modo suppositis, experientia, de qua testificant Astrologi, est, quod Mercurius, & Venus aliquando visa sunt supra solent: cumque ista astra sint inferiora Sole, vtpote in secundo, & tertio Cœlo, non videtur quomodo cõponi possit, quod supra solem extiterint, nisi Cœli fluidi sint; cum Cœlum inferius semper sub superius moveatur, & in illo suum astrum fixum sit velut nodus in tabula; imo quamvis non ita fixum esset, non videtur, quomodo Cœlum superius ascendere posset, si illud solidũ esset.

2725 Respondẽt aliqui Cœlos habere quosdam canales, per quos astra permeare possint, & suos cursus conficere. Contra tamẽ est, quod hoc ex se satis incredibile appareat; tum quia oporteret Cœlum canalibus plenum esse, & cum isti deberent esse latissimi, vt per eos possent ingentissimi Planetæ transire, magna pars, aut forsan maior Cœlorum in

cana;

canalibus consumeretur. Deinde nõ videtur, quomodo illi futuri essent; si enim essent vacui id natura abhorret; si pleni corpore aliquo fluido, aut illud esset aer, & id, quo dicitur fundamento? Aut cœleste corpus fluidum, & quærendum, si iam tanta copia cęlestis corporis fluidi admitatur, cur non admitatur etiam totos cœlos fluidos esse, tantummodoque astra solida. His ergo canalibus relictis.

2726 Respondent alij Mercurium, & Venerem habere quosdam epyciclos, quibus ita movetur quodlibet eorum speciali motu, vt modo magis, modo minus distans sit à terra, modoque supra, modo infra Solẽ. Sed etiam isti epycicli, qui ad soliditatem Cœlorum stabiliendam cogitantur, nequaquam solidi sunt, sive solidum fundamentum habentes; ex eis enim destruitur Cœlorum numerus ab existimantibus Cœlos solidos communiter admissus; aiunt enim communiter vnum Cœlum Mercurij esse, aliud Veneris, aliud Solis: cum autem epyciclus cuiusvis Planetæ debeat contineri intra ipsum Cœlum Planetæ, aut sequitur numquam per epyciclum Mercurium; & Venerem posse supra solem assurgere, aut quod vnum sit Cœlum Solis, Veneris, & Mercurij, & non tres, vt communius ferunt. Deinde Cœlos multiplicant propter diversos eorum motus, & motus Cœlorum multiplicant propter motus Planetarum: per epyciclos autem totum hoc destruitur, cur enim dici non poterit singulos Planetas in vnico Cœlo moveri, Cœlo quo ad reliqua immoto, propter diversos cuiusque Planetæ epyciclos, medijs quibus moveatur. Verisimilius ergo est censendum Cœlos fluidos esse propter hanc, & alias Astrologorum experientias; & quamvis plerumque non ita convincant experientiæ de Cœlo stellarum fixarum, quia tamen aliquæ forsan circa illud militant, cum pro eo etiam ipsi Astrologi convincantur, de eo etiam fluiditas est prædicanda.

Soluuntur argumenta.

2727 Contra nostram tamen sententiam de Cœlorum fluiditate obijcies primo plures scripturæ authoritates, quibus Cœlorum soliditas comprobatur, præcipua earum est *ex lib. Iob. cap.* 39. vbi ait: *Tu forsan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt?* Varias tribuunt sacri Expositores huic textui expositiones, ex quibus vim nullam contra nos habere constat: eis tamen professoribus omissis, dici potest primo per soliditatem tum hic, tum in alijs Sacræ Scripturæ locis solum denotari constantiam in esse, sive incorruptibilitatem, vnde non sequitur non esse fluidos, bene enim stat fluidos esse, & incorruptibiles; & si enim divisio in rebus corruptibilibus ad corruptionem disponat, quatenus per divisionem subiectum fit minus po-

potens ad resistendum contrarijs, tamen ex divisibilitate præcisse non potest inferri corruptibilitas. Secundo dici potest ad præfatum locum verba relata esse Eliud Iob amici, cuius tamen stultitiam Deus postea reprehendit: vnde forsan ea sententia Eliud nō approbatur, sed refertur, & damnatur, quod potius pro nobis est.

2728 Secundo objicies stellæ fixæ eundem ordinem, eandemque distantiam inter se, & à nobis servare solent: si autem Cœli essent fluidi non ita contingeret, cum facile in varias partes deflectere possent. Respondetur tamē, quod, quamvis Cœli sint fluidi, possunt stellæ servare suam distantiam, & si tum, eo quod aut regantur ab Angelo, qui regulas à Deo præscriptas inviolabiliter servat, aut moventur à se per determinatum spatium, & determinato ordine, illum servando ex innata propensione ita inviolabiliter, vt quamvis Cœlum non resistat, vt versus alias partes ferantur, nunquam tamen ipsæ versus alias ferri conentur, sicut, quamvis aer lapidi non resistat, vt à via recta ad centrum in suo descensu deviet, ipse tamen numquam deviat, quia sponte inclinatur ad rectum versus centrum iter.

2729 Tertio objicies: non potest aliquid moveri simul motibus contrarijs, nisi alter ei conveniat ratione sui, alter vero ratione alterius: sed multi Planeræ moventur motibus contrarijs; ergo alter convenit ipsis ratione sui, alter vero ratione Cœli, in quo sunt affixi, & consequēter Cœlo sunt affixi, quod eius probat soliditatem. Ad hoc argumentum respōdet Lyncæus, quia, etsi oppositam teneat, nostram sententiam probabilem relinquit, quod non repugnat, quod adhuc motu proprio, idem Astrum, sive Planeta moveatur motibus contrarijs, præsertim adiuvante intelligentia. Ego vero primo non capio adhuc argumenti vim, quia potius si Planeta esset Cœlo affixus, tantum moveretur motu Cœli, non autem proprio illi contrario; eo enim ipso, quod motu contrario moveretur affixionem perderet, sicut homo eo ipso, quod in navi possit moveri motu contrario motui navis, non est illi affixus, & clavus, qui illi est affixus, eo ipso moveri non potest motu contrario.

2730 Deinde, vt omnino opponar Lyncæo, sicut ille existimat, vt argumentum solvat, non solum esse posibile, quod idē Astrum moveatur motibus contrarijs simul, altero proprio, altero proveniente à Cœlo, sed etiam quamvis vterque sit proprius: ego dico non solum implicare dictum motum, si vterque sit proprius, sed etiam implicare, quantumvis alter sit proprius, alter vero proveniat à Cœlo, in quo est, aut ab alio. Quāvis autem oppositum late probet Lyncæus *tom. 2. lib. 9. tract. 2. cap. 4* illud, nisi forte quæstio sit de nomine, ita falsum iudico, vt vix impugnationem mereatur. Vt autem eius falsitatem percipias

nota eo modo defendere Lyncæum motus oppoſitos in Cœlis, quo motus oppoſiti contingunt dum homo fertur in navi verſus orientem, & ipſe in eadem verſus occidentem ambulat, imo hoc exemplo ſuam ſententiam confirmat. Modo ergo ſic argumentor: niſi quæſtio ſit de nomine, eſt omnino falſum, quod ille homo in navi poſsit ſimul motibus contrarijs moveri: ergo & falſum eſt, quod aliquid vnquam contrarijs motibus moveri poſsit. Antecedens probo: quia deſignet Lyncæus vnum inſtans illius motus: aut in illo percurrit homo ſua deambulatione aliquid ſpatij, aut non: ſi non percurrit; ergo non movetur verſus occidentem: ſi percurrit, aut navis verſus orientem pro eo inſtanti nihil percurrit, aut tantum, quantum homo verſus occidentem, aut amplius: ſi nihil; ergo non movetur ille homo verſus orientem; ſi tantum; ergo manet in eodem loco, & tantum verum erit, quod in eo inſtanti fecit motum ſaltationis ſurſum in eundem locum cadens: ſi amplius; ergo non movetur verſus occidentem, quia conatus ille, quem ponebat, vt verſus occidentem moveretur; cum non adquirat terminum propiorem occidenti, non poteſt dici, quod ſit motus in occidentem ſed tantum, quod ſit conatus in occidentem, & de facto, quamvis illuc non moveat, retardet tamen motum, ſive conatum in orientem ita, vt non ita in orientem appropiet, ac appropiaret ſi non daretur ille conatus in occidentem: niſi ergo conatus tantum ad motum motus appelletur, quod erit terminis abuti, non poteſt dici, quod tunc moveatur homo ille motibus contrarijs.

2731 Dices tamen ex Lyncæi Doctrina, non poſſe aſsignari inſtans, in quo moveatur homo à ſe, aut à navi, ſed tempus determinatum, quia, iuxta ſententiam Ariſtotelis, noſtramque, in inſtanti non fit motus: quia continuum ex indiviſibilibus non componitur: debet ergo aſsignari pars temporis aliquota: cum ergo quæcumque aſsignata contineat plures partes, in quacumque poteſt moveri motu in orientem, motuque in occidentem; quia ſecundum vnam partem in ea incluſam movebitur verſus vnam, ſecundum aliam verſus aliam: cumque nulla poſsit aſsignari pars aliquota, ſive determinata, in qua non ſint plures partes indeterminatæ, nulla aſsignari poteſt, in qua, ſecundum diverſas illius partes, non dentur contrarij motus. Propter hoc præſertim, quod habet Lyncæus in quinta, & vltima probatione, dixi: *Niſi quæſtio de nomine ſit.* Quia conceſſo, quod in hac reſponſione intendit Lyncæus iam eſt quæſtio de nomine: cum nos ſolum contendamus, quod in eadem parte aliquota ſecundum eandem, aut eaſdem ſui partes, ſecundum quas movetur verſus orientem, ſit impoſsibile, quod verſus occidentem

mo-

moveatur ; quod vero ſecundum diverſas illius partis partes id poſſit evenire , nec negamus , nec continet difficultatem vllam de re præſenti , ſed tantum de re ſemper in intelligibili alterius loci propria, videlicet, de continui compoſitione.

2732 Deinde ad argumentum , quidquid ſit de quęſtione de nomine , dato , quod moverentur aſtra contrarijs motibus ſimul , id dici poſſet æque , ſive ſint Cœli fluidi , ſive ſolidi , dicendo vno motu moveri à ſe , ſive à proprio Cœlo , aut Angelo , alio rapi à primo mobili : hoc autem eſt tali admiſſo motu ; vere etenim loquendo iudico non moveri reliquos Cœlos , aut Aſtra ad motum primi mobilis ; quia cum illud non intendat occupare locum Cœlorum, aut Aſtrorum, non eſt cur ea moveat illa impellendo : & cum etiam non ſit cur eis iudicetur alligatum, etiam non trahit illa poſt ſe , vnde nullatenus , quod ea ſecum rapiat , eſt concedendum , vt bene Oviedus *in præſenti puncto quarto, prima & ſecunda concluſione.*

2733 Quarto obijcies: ſi Cœli fluidi eſſent , ſicut aves per aerem volantes aliquem ſonum edũt, Aſtra , cum magno impetu raperentur per Cœlum fluidum, & cum ingentis ſint magnitudinis , ſonum maximum ederent ita , vt à nobis audiretur : cum ergo non audiatur , cenſendum Cœlos fluidos non eſſe. Concedunt Cœlos Aſtrave, ſonum , concenſumve formare Divus Ambroſius , Divus Anſelmus, & Philo Iudæus : rationem autem, cur non audiatur , ait iſte vltimus, eſſe divinam voluntatem quia ſi Cœleſtem harmoniam audiremus, neque de victu neque de veſtitu; nec de alijs rebus neceſſari s ad vitæ conſervationem curaremus,ſemper mentis exceſſu rapti. Dici autem veriſimilius poteſt, quod talis ſonus non audiatur, quia etſi exceſſivus , diſtantia tamen eſt exceſſiva , ſufficienſque , vt ille non percipiatur. Nec deſunt , qui dicant, quod ſicut aqua, etſi fluida , eſt ſubiectum, aut ineptum, aut parum aptum ad ſonum , ſic Cœleſtia corpora, etſi fluida ſint : vnde non mirum, quod non audiatur ſonus, qui aut non eſt, aut non ita magnus, vt cogitabatur.

QVÆSTIO QVINTA.

De numero, & magnitudine Cœlorum, & ſtellarum.

2734 CIRCA numerum Cœlorũ plures valde ſunt Doctorum opiniones. Communis ſatis ſententia inter eos , qui Cœlos ſolidos eſſe aſſerunt, eſt Cœlos eſſe vndecim , ſeptem videlicet *quæſtione præcedẽti num.* 2724. enumeratos, & inſuper octavum,in quo ſint omnes ſtellæ fixæ: nonum, quod glatiale, ſive cryſtalinum dicitur,decimum, primum mobile,ad cuius motum omnes alios moveri exiſtimant, vndecimumque Empy-

reum. Ex his autem Oviedus quinque tollit ſuponendo Cœlos ſolidos eſſe, quia nec admittit primum mobile, nec Cœlum cryſtalinum, Marti etiam, Mercurio, ac Veneri Cœlos non aſsignat proprios, ſed ponit in Cœlo ſolis ita, vt per epyciclos proprios in eo moveantur. Si autem Cœli fluidi ſint, adhuc magis diminutum facit Cœlorum numerum; ſi enim omittatur Empyreum, & aer, qui etiam ab aliquibus Cœlum dicitur, tantum remanere vnum Cœlũ ait, in cuius parte ſuperiori ſint ſtellæ fixæ; & errantes per reliquum vagentur.

2735 Omiſsis ergo alijs opinionibus, quas prolixum foret referre, vereſimilius cenſeo tres tantum eſſe Cœlos. Dupliciter tamen eos explicari poſſe exiſtimo; primo enim circa illum locum Geneſeos: *Fiat firmamentũ & diuidit aquas ab aquis.* Aliqui Interpretes nomine firmamenti intelligunt aerem, dicuntque aquas ab aquis dividere, quia in media aeris regione ſunt aquæ pluviales, & per infimam dividuntur ab aquis ſupra terram immediate exiſtẽtibus. Alijvero nomine firmamenti intelligunt Cœlũ Lunæ, Solis, & Aſtrorum, ſiue ſit vnũ, ſiue plures ſint Cœli, ſupra coſque omnes aiunt eſſe aquas ab aquis terræ diviſas, & illas quaſi congelatas, & ſolidatas Cœlũ glatiale, ſeu cryſtalinum eſſe dicunt. Iuxta primum ergo modum explicandi textum illũ dicendum primum Cœlum eſſe aerẽ, ſecundũ, Cœlum omnium ſtellarũ, tertiumque Empyreum, nullaſque aquas ſupra Cœlum ſydereũ contineri. Iuxta ſecũdam vero expoſitionem dicendum primum Cœlũ eſſe ſydereũ, in quo ſint Planetæ, & ſtellæ omnes, ſecundum glatiale, ſiue cryſtalinũ, tertium Empyreũ. Quęnam autẽ ex dictis interpretationibus verior ſit, non ad nos modo attinet, ſecum contendant Interpretes. Quod autem neceſſarium nõ ſit primũ mobile conſtat ex dictis *quæſt. præc. n.* 2732. Quod denique omnium ſtellarũ errantium, atque fixarum vnicum ſit Cœlum, cõſtat, quia poſita Cœlorum fluiditate non eſt neceſsitas Cœlos pro Aſtrorum motibus multiplicandi.

2736 Circa Cœlorum magnitudinem notandum eſt eius conceptum vix poſſe à noſtra imaginatione formari: vt autem aliquid de ea percipiamus iuvabit primo magnitudo ſtellarum infra referenda: deinde iuvabit ſcire, quod ambitus Cœli Lunæ iuxta eos, qui plures aſsignant Cœlos, continet milliaria 75802 50. Denique iuvabit ſcire primum mobile tantum ſpatij occupare iuxta ea, quæ apud Lyncæum demonſtrat P. Clavius, vt vnus eius circulus contineat 38360016 0 milliaria: cõſequẽterque ſi homo vellet illud ſpatiũ percurrere, quod quotidiè à primo percurritur mobili, ſingulis diebus quadraginta milliaria percurrendo, conſumeret in ea peregrinatione 959004. dies, qui ſi ad annos reducantur cõficiunt 2625 6. annos. Vnde qui eam peregrinatio-

tionem ab initio mundi incepiſſet, modo pertranſiſſet iam quartam illius partem, & aliquid amplius: ſi autem magnitudo Cœlorum vix noſtra mente percipi poteſt quam erit imperceptibilis, & ſupra captum magnitudo, infinitudove magnitudinis in perfectione conditoris Cœlorum!

2737 Stellarum fixarum numerum communiter Aſtrologi dicunt eſſe 1022. & qui plures addunt, vſque ad 1600. eas extendunt. Stellas autem innumerabiles eſſe ex multis ſcripturę locis colligitur: vnde dicendum eſt dictas ſtellas eſſe, quæ obſervari potuerunt ab Aſtrologis, ſed adhuc mihi paucæ videntur; quia etiam rudis arator pluſquam bis mille ſtellas poterit numerare: forſan autem ſtellæ, quas numerant, erunt eæ, quarum ſpeciales effectus obſervare potuerunt: vnde quæ videri poſſunt, multo plures ſunt, adhuc omiſſo, quod via, quæ dicitur lactea iuxta veriorem ſententiam eſt compacta ex multitudine ſtellarum parvæ magnitudinis, quæ ſeorſim videri non poſſent.

2738 Circa magnitudinem ſtellarum, quas non obſervarunt Aſtrologi, nihil dicere poſſumus. Circa eas vero, quas obſervarunt, diviſionem earum faciunt in ſex menſuras magnitudinis, in vnaquaque determinatum numerum ponentes. Aiunt ergo ſtellas primæ magnitudinis continere magnitudines terræ: 107. ſtellas magnitudinis ſecundæ 20. tertiæ magnitudinis 72. quartæ 54. quintæ vero 36. ſextæ denique magnitudinis ſtellas continere aiunt terræ magnitudines 18.

2739 Stellæ autem errantes ſunt ſeptem Planetæ ſuperius enumerati. Eorum maior eſt Sol, qui continet 166. magnitudines terræ, & non nihil amplius. Iupiter continet magnitudines terræ 95. Saturnus 91. Mars 1. Luna autem, Venus, & Mercurius ſunt ipſa terra minores, ita, vt terra habeat 39. magnitudines Lunæ, Veneris vero 37. ac denique Mercurij magnitudines continet terra 21952. Pauca quædam hic addi poſſent circa Cœlos, & Aſtra, alia plura ad Aſtrologos remittendo, quia tamen ea, quæ addi poſſent, ad ipſos etiam ſpectant, ea etiam illis relinquo, quia curſus hic noſter pro incipientibus à me elaboratur, quibus magis expedit ſingulos Philoſophicos tractatus breviter, quoad neceſſaria expoſitos habere, quam quoſdam ad ſatietatem ipſis exponi, & alios omitti; aut omnes ita late exponi, vt potius obruantur, terreanturve, quam erudiantur, aut alliciantur. Qui autem plura de hoc tractatu deſiderat, videat Magiſtrum Aguirre in ſua Novantiqua Philoſophia, qui illum non minori eruditione, & latiori adhuc calamo, quam alios tractatus Philoſophicos, pro Magiſtris erudiendis exponit.

(o)

TRACTATVS SECVNDVS.

CONTINENS DISPVTATIONES, ET QVAESTIONES IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

EGIMVS Tractatu præcedenti de Cœlo quamvis breviter, prout ad commodam noſtri curſus diſtributionem expedire iudicavimus. In hoc autem de anima agemus, quæ nobilior Cœlo, ſive, vt melius dicam, nobilius Cœlum eſt, magis perfectum, & ſpatioſum, atque ſpecioſum magis. Tum quia ab imperfectioribus ad perfectiora contendimus. Tum etiam, quia ſic Theologiæ, cui magis, quam alij deſervit, magis appropinquat. Evadet autem eo longior, quo eius materia dignior, & magis accedens ad inſtitutum noſtrum. Tres autem libros Ariſtotelis de anima in tres dividemus diſputationes; quia tamen in primo vix Philoſophus tractat aliquid ex his, quæ à Philoſophis communiter iam diſputantur; in ſecundo verò, & tertio, plura valde, & ſunt aliqua, de quibus DD. dubitant, an ad ſecundum, an potius ad tertium ſpectent librum, vt animadvertit Alphonſus in proæmio ad librum tertiũ, ideò materiam cuiuſque diſputationis materiæ cuiuſque libri Ariſtotelis non alligabimus, ſed in numero diſputationum Ariſtotelem imitando ſtilum clariorem ſequemur, in prima diſputatione tractando ea, quæ ad animam ſecundum ſe ſpectant: in ſe-

ſecunda, tum animæ in communi, tum animæ ſenſitivæ in particulari potentias exponẽdo: ac tandem in tertia de potentijs, quæ animæ rationalis propriæ ſunt, diſputando, ante iſta autem omnia aliqua præmittendo.

2741 Præmitto, ergo primo, quod nos, & communiter DD. ipſo exercitio ſupponimus, hunc tractatum ad philoſophiã ſpectare: ratio eſt, quia, & ſi poſsit ita anima inſpici, vt eius tractatio, ad Metaphyſicam, aut etiam ad Theologiam poſsit ſpectare; tamen poteſt etiam ita conſiderari, ſine vlla vi, quatenus entis naturalis, quod eſt Philoſophiæ obiectum, eſt compoſitiva, cum & ea, quamvis rationalis ſit, natura dicatur, & compoſitum ex ea, tum naturam, tum ens naturale eſſe *ſecundo libro Phiſicor.* dixerimus.

2742 Præmitto ſecundo quæſtionem eſſe de nomine, an anima, anve corpus animatum ſit obiectum huius partis Philoſophiæ. Ratio cur de nomine ea quæſtio mihi videatur, eſt, quia vtriuſque partis DD. circa res, quæ in hac Philoſophiæ parte tractantur, concordes ſunt: vnde ſolum in eo, quod alij eas tribuant principio *quo*, quod eſt anima; alij principio *quod*, quod eſt corpus animatum, poſſunt diſſentire: cumque facile, ſuo modo, cuique illorum tribui poſsint, de nomine tantum iſti DD. contendunt. Re ergo bene inſpecta, dici debet, & animam, & corpus animatum eſſe obiectum huius partis Philoſophiæ. Quod anima ſit eius obiectum, conſtat; quia, ſi aliquid obeſſe poſſet, eſſet, quod ea ſit ens in completum; ſed vidimus iam, in proemiali quæſtione ad Phyſicam, quod etiam entia incompleta ſint obiectum Philoſophiæ: ergo nihil prohibere poteſt, quod anima tale dicatur. Quod autem corpus animatum etiam ſit huius tractatus obiectum, conſtat; quia huic parti Philoſophiæ etiam debet aſsignari pro obiecto ens completum, ſi commode poſsit: cum ergo tale ſit corpus animatum, iſtud aſsignari debet. Nec obſtat, quod omnia, quæ in hoc opere tractantur, circa animam verſari videntur; eo enim admiſſo, ſimul dici adhuc poſſunt ſpectare ad corpus animatum; cum enim corpus animatum includat præter animam materiam, & de iſta fuerit iam ſermo habitus in primo libro Phyſicor. recte de corpore animato, quidquid opus eſt, agitur in præſenti, ſi quidquid, ei ratione animæ convenit, eviſceretur.

)(*)(

DISPVTATIO PRIMA.

De Anima secundum se.

2743 IN hac prima disputatione de anima secundum se agemus, de ea plura disputando, quæ in secundo libro de anima communiter differuntur; & ad sequentes remittendo, quidquid ad eius potentias spectans, in secundo, & tertio disputatur.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit anima.

2744 PRIMA Animæ definitio ab Aristotele tradita, & communiter recepta sic se habet: *Anima est actus primus corporis physici organici, potentia vitam habentis.* Actus primus dicitur anima in eo sensu, in quo formam substantialem actum primum esse dicebamus libro primo Physic. Cum enim anima totum per se substantiale constituat non minus, quam formæ non viventium, cum illis debet convenire, esseque, sicut ipsæ, intrinseca, & substantialis; vnde per hanc particulam excluduntur formæ accidentales, & convenit anima, cũ alijs formis substantialibus non viventiũ. Sicque habet ea particula rationẽ generis. Per reliquas definitionis particulas differt anima à reliquis formis substãtialibus, quæ animæ rationem non habent. Ad maiorem tamen claritatem sunt eæ particulæ modo explicandæ.

2745 Dicitur igitur anima actus corporis Physici, vt denotetur, quod est actus corporis, non mathematici, quod est quãtitas, sed Physici, quod est substantia. *Organici*, dicitur, quia corpus, cuius actus est anima, debet habere partes dissimilares, non vtcumque, sed cum tali dispositione, & ordine, vt harmonia actuum vitalium possit exerceri, quod recte explicat ipsa particula *organici*, & si metaphorice sumpta; in embrione autem, & cadavere, etsi sint organicæ dispositiones, non tamen omnes necessariæ; aut si omnes erit pro brevissimo tempore, & per accidens, quatenus materia embrionis per eas disponitur adventis formam; cadaveris vero, quia accidentia corrupti, aut non statim pereunt, pereunte substantiali forma; aut saltim non ita, quin similia, numero diversa, frequenter producantur: *Potentia vitam habentis* intelligendum de vita accidentali, quæ

est

est vita in actu secundo: sic enim, & à Philosophis intelligitur, & manuduxit in nostram explicationem particulæ *organici*: vnde est eius particulæ declaratio, sicque non tam nos eam particulam *organici*, declaramus, quam ipse Aristoteles eam nobis per istam vltimam particulam declarat, atque adeò, ea vltima particula, nec est superflua, nec tam obscura, ac videtur aliquibus.

2746 Circa particulam *corporis physici*, & si conveniant DD. in eo, quod supra diximus, poni, scilicet, Iy *physici*, vt excludatur mathematicum, contendunt, tamen nõ parum, an per eam intelligenda sit sola materia quantitate, & dispositionibus affecta, an vero materia ipsa, iam cum forma substantiali corporeitatis, aut quæ sit distincta ab ipsa anima, aut quæ cũ ipsa anima sit identificata, & corporeitatis forma dicatur, quatenus eum tribuit gradum. Circa hanc autem contentionem primo, quod nomine *corporis* non intelligatur materia, cũ forma corporeitatis ab anima realiter distincta, constat ex eo, quod talis forma, nunquam detur in materia, vt contra Scotũ probavimus libro primo Phisic. Circa duos autem alios dicendi modos vtrumque habere doctos Patronos video, atque vtrumque probabilitate non carere existimo: si autem nomine *corporis physici*, intelligatur materia cum forma substantiali, ipsa videlicet, anima, dum dicitur anima *actus corporis physici*, debet intelligi actus illius constitutivus; si vero materia intelligatur sine tali forma, intelligi debet, quod anima sit actus eius corporis informativus: sicque potest dici, quod non solum quolibet ex his modis intelligatur recte ea particula, sed etiam vtroque simul; in vno autem sensu anima erit actus, sive forma constituens corpus in potentia proxima ad operationes vitales; in alio anima erit actus informativus corporis, quod habet potentiã remotam ad eas operationes, hoc est aptitudinem, vt ea mediante, possint illæ in ipso exerceri. Vbi etiam adverte, quod dum nomine corporis intelligatur ipsum informatum iam anima, non definietur anima per aliquid prius ipsa in genere causæ formalis; bene tamen per aliquid prius in genere finalis causæ. Nec est inconveniens, quod ipsa anima sui definitionem ingrediatur diverso modo, & quasi in obliquo.

2747 Hic aliqui late disputãt, an anima sit actus primus nõ solum ordine naturæ, aut intentionis, sed etiam ordine dignitatis, sive perfectionis: sentiunt enim aliqui cum Caietano, quod etsi anima sit perfectior operatione sua, entitative, non tamen in ratione actus. Verius tamen est, quod etiam in ratione actus sit perfectior. Ratio est, quia actuat secundum suam entitatem, vnde nõ stat, quod entitative sit perfectior, & talis non sit in ratione actus. Fundamentum æquivocationis adversariorum est, quod non distinguunt inter actuare magis, & vltimo actuare: & cum

cum operatio vltimo actuet, existimant etiam magis actuare, sed falso; cum operatio solum actuet accidentaliter; anima vero substantialiter: Quod autem minus potentialitatis relinquat, provenit non ex eo, quod magis actuet, sed quia, etsi actuet minus, supponit tamẽ iam actuatum subiectum per animam: Per se tamẽ præcisè non actuat, ita vt potentialitatem non relinquat formaliter sed partim formaliter, partimque præsuppositive.

2748 Etsi dicant, quod habitus se habet, vt potentia, respectu actus, & tamen est in ratione actus minus perfectus. Respondendum pro nunc (exactius enim hæc examinari debẽt in materijs de habitibus, ac de peccatis) quod habitus est minus perfectus, non quia sit potentia, vt cumque, sed quia est potẽtia nimis incõpleta respectu actus: cum autẽ anima nõ sit ita incõpleta respectu operationis, nulla est ad ipsã consequẽtia.

2749 Secundo definitur ab Aristotele anima, quod sit id: *Quo primo viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus.* Hæc autem definitio, debet intelligi disiunctive, vel distributive, secundum distributionem accommodam, ita vt omne, quod est principium vivendi, id est, nutritionis, & accretionis, aut vivendi, & simul sentiendi, aut denique vivendi, & sentiendi, ac intelligendi, sit anima: sic autem solum potest obesse huic definitioni, quod videatur potius divisio: sed ad hoc potest respondeti, quod per primum principium vivendi definitur anima in communi, postea vero adduntur reliqua, quibus explicantur animæ particulares ad maiorem rei claritatem. Quod autem ait Alphonsus definiri animam in communi præcisive sumptam; non tamen animam secundum se ego capere non possum; existimat enim ille, quod ea, quæ conveniunt animæ secundum se sumptæ debent omni animæ convenire; non tamen ea, quæ conveniunt animæ præcisę: sed hoc capi nequit, quia anima, quæ est præcisa, est quę contrahitur ad inferiora: cumque ea contractio fiat non per hoc, quod detrahatur, aliquid rationi præcisæ; sed per hoc, quod illi addatur differentia, nõ minus omnia, quæ conveniunt animæ pręcisę, debent convenire inferioribus, quam, quę illi secundum se sumptæ conveniunt; nec ego vllam possum cogitare disparitatem.

2750 Communis sententia tenet primam animæ definitionem esse essentialem; aliqui tamen dicunt secundam essentialem non esse; existimant enim eam dari per effectus: sed falluntur; datur enim per principium effectuum, & cum prima omnino coincidit, solumque ab ea differt in maiori claritate: *Sicut ista homo est principium sentiendi, & intelligendi ab hac, homo est animal rationale.* Vnde etiam colliges, quod, quamvis secunda definito cõmuniter dicatur esse primæ demonstratio, non est talis proprie loquẽdo, sed improprie, demonstratione,

pro

pro declaratione, sumpta: sicut etiâ se habet prima definitio nuper posita hominis respectu secundæ. Differunt ergo duæ animæ definitiones in eo, quod secunda est clarior, prima speciosior.

2751 Nec refert si dicas cum M. Aguirre *in præsenti disput. 75. num. 22.* quod si anima definiatur sub munere naturæ ista secunda definitio, est essentialis, secus, si sub munere essentiæ. Hoc enim supponit, quod inter essentiam, & naturam aliqua intercedat distinctio, sive formalis, sive virtualis intrinseca; quod falsum esse probavi tractatu de voluntate Dei, inter agendum de constitutivo naturæ divinæ; & ratio est, quia essentia cuiuslibet rei est radix omnium existentium in tali re: ergo quamvis præscindere posit ab operatione, aut etiam à principio, & radice proxima operationis; à radice tamen remota illius præscindere nequit; ac proinde, istâ rationem secum identificat formaliter, & virtualiter. Hoc autem sufficit, vt sit natura, quia de istius ratione, potius est, quod sit radicale principium, & radix operationis, quam quod proximum illius principium sit. Hoc autem confirmari potest, tum quia sive in definitione prima animæ, sive in prima definitione hominis, ex adductis numero præcedenti, quæ ab omnibus, vt essentiales habentur, aliquis ordo ad operationem explicatur. Tum etiâ ex communi modo loquendi, & cõcipiendi, in quo pro eodem sumitur explicare essentiam rei, atque rei naturam explicare. Vnde rursus falsum esse constat; quod rigorosè loquendo prima ex dictis animę definitionibus per secundam demonstretur, vt communiter dicitur, nec non quod secunda demonstretur per primam, vt vult Aguirre; vtrumque enim falsum est in rigore, solumque verum, vt diximus demonstratione pro declaratione sumpta.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quotuplex sit anima.

2752 POST definitionem animę eiusdem trademus divisionem, pluraque circa eam, aut eius membra disputabimus, quia, & divisio animæ scitu est digna, & non parum conducit ad eius essentiam penetrandam, ad cuius etiam maiorem penetrationẽ conducent ea omnia, quæ post ea, quæ ad divisionem spectant in tota hac disputatione subijciemus. Igitur communis sententia, animam dividit in vegetativam tantum; vegetativam, ac sensitivam; ac tandẽ in vegetativam, sensitivam, & rationalem. Anima vegetativa pure, est, quæ convenit plantis; anima sensitiva, supra vegetativam est, quæ convenit brutis: anima denique rationalis, est, quæ cõvenit homini. Primæ operationes sunt nutritio, & augmentatio: secunda præterea habet sentire. Tertia his omnibus addit intelligere. Iuxta istam animæ di-

diviſionem, tria etiam animatorum genera ſolent aſsignari, ſcilicet, vegetativum, ſenſitivum, & intellectivum. Tria autem circa deviſionem iſtam explicanda ſunt. Primũ quod non ſit ſuperflua: ſecundum, quod non ſit diminuta: tertium an ſit vniuoca, vel potius analoga.

2753 Primo ergo, quod non ſit ſuperflua, ſeu quod non conſtet pluribus membris, quam oportet, conſtat ex eo, quod tribus membris dividentibus convenit ratio diviſa; ſi enim illis non conveniret maxime eſſet, quia, vt Stoici aiebant, planta non eſt vivens; ſed conſtat, quod planta vivit: ergo, &, quod tribus membris dividentibus ratio diviſa conveniat. Minor probatur primo, ex illo Pauli 1. *Corinth.* 15. *Tu quod ſeminas, non viuificatur niſi prius moriatur.* Secundo probatur, quia planta nutritur, & augetur, per intus ſumptionem, & attractionem, habetque partes diſsimilares ad hoc munus neceſſarias: ergo vivit; id enim eſt viventium proprium, conſequenterque eius forma eſt anima.

2754 Quod autem poſita diviſio non ſit diminuta, conſtat ex eo, quod non dantur plures animæ, aut plura viventium genera, quam, quæ in ea enumerantur, quia operari vitaliter ſolum poteſt contingere tripliciter, ſcilicet, per organa corporea, & corporeas qualitates: per organa corporea, & qualitates aliquo modo incorporeas: ac deinde ſine organo corporeo, nec qualitate corporea; ſed triplex iſte vitaliter operandi modus continetur in noſtra diviſione, tam animæ, quam animati, vt conſtat: ergo ea eſt adæquata, & nullatenus diminuta.

2755 Quidam R. ex noſtris duo hic aſſerit ſingularia; primum eſt dari quatuor genera animarum: ſecundum, quod ſex, ad minus, ſint genera animatorum. Hic in primis ego in conſequentiam magnam, invenio. Si enim ſunt ſex genera animatorum, cur non etiam ſex genera animarũ? Ego enim non percipio, quomodo in animatis reperiatur diverſitas, quæ ab animabus ipſis non proveniat, nec quomodo diverſitas provenire poſsit ab animabus, quin ipſę diverſe ſint.

2756 In primis ergo, quod quatuor ſint animarũ, genera prob. quia Cœli, & Aſtra, ſunt viventia; cumque diverſa vita, ac omnia viventia à nobis enumerata vivant, dabitur quartum animarum genus. Sed huic argumento ſatisfecimus iam in lib. de Cœlo. Deinde ergo quartum animati genus probat; quia dantur animalia ſenſitiva & non loco motiva, vt chonchilia, quę in petris naſcuntur, & non moventur progreſsive: hoc autem ſic probat ſupponendo tantum tria genera animarum; alias facilius poſſet: id autem facit, quia quartum animæ genus tantum problematice defendit. Ait ergo, adhuc ſuppoſito, quod tres tantum ſint animæ, quod vivens ſenſitivum, aliud eſt ſenſitivum loco motivum, aliud ſenſitivum non loco motivũ, Quintum genus addit, quia aliud eſt ſenſiti-

sitivum visivum, vt equus, aliud sensitiuum non visiuum vt talpa. Sextũ denique addit quia est aliud sensitiuum generatiuum, aliud sensitiuum non generatiuum. Additque etiam, quod si sint animalia, quibus deficiant ex propria specie alij sensus alia genera viuentium multiplicabuntur, vt si sint animalia, non audientia, aut non olfacientia, talia autem reperiri credit, & ego etiam. Sed iterum credere non possum, nec capere quod plura sint animatorum genera, quam animarum. Vnde existimo, quod dabuntur plura, tam animarum, quam animatorum genera, si genera pro speciebus sumãtur, vt vulgariter solent: contenta tamen omnia sub genere sensitivo, in secundo membro communis divisionis contento: quod verum esset, etiam si illæ species essent subalternæ, quod communiter saltim, nõ ita est, præcipue ex præcisa differentia assignata. Nec enim ex eo, quod talpa non videat plus illum differre à mure, quam istum ab equo vllus credidit: Doctrina autem prædicti Recentioris maiorem, inter vtrumque facit distinctionem: fatetur tamen ipse se illam apud nullum vidisse: & quidem quam parum habet fundamẽti videns, libenter id credo.

2757 Adverte tamen quod cõmunis satis sententia apud Complutenses, & apud Magistrum Aguirre, quam etiam ipsi sequuntur, sustinet, quod quamvis tria tantum sint genera animarum quatuor tamen sint vivendi modi. Si autem illorum alij qui vellint propter hoc, quatuor animatorum genera concedere, ex dictis *numero* 2755. refutandi sunt; si vero id non contendunt, non solum quatuor vivendi modos eis largiemur, sed sex, aut plures ex dictis numero præcedenti; imò & sexcentos, quod facile comperiet, qui per plures domos alicuius civitatis discurrat.

2758 Attendendo divisionem supra factam, constabit facile, duo prima membra esse species subalternas; vltimum vero speciem infimam. Dubitant tamen aliqui, an omnibus proprie conveniat ratio divisa, & consequenter dicta divisio sit vnivoca. Respondetur tamen affirmative; quia ad hoc, quod divisio sit vnivoca, sufficit, quod ratio communis proprie participetur, etsi in dividentibus membris aliqua reperiatur inæqualitas ab earum differentijs orta: sed his tribus membris dividentibus communiter assignatis ratio divisa proprie convenit, consequenterque inæqualitas provenit solum à differentijs: ergo posita divisio est vniuoca, & non analoga. Minor constat ex dictis *num.* 2752. Et vt magis constet deber explicari, in quo conceptus viuentis, formaliter consistat: ex quo etiam, tam divisio animæ, in hac quæstione tradita, quam definitio tradita quæstione præcedenti lucem claram accipient.

QVÆSTIO TERTIA.

Quis sit formalis conceptus Viventis?

2759 VIVENTIS substantię à non viventi variæ solēt differentiæ assignari; primo enim viventia à determinata sui parte sumunt materiā argumentationis, vt animalia ab ore; plantæ vero à radicibus; non viventia autem à quavis parte augētur eodem modo. Secundo augmentatio in viventibus æqualis est in omnibus partibus, servata proportione, non viventia autem in vna tāum parte, omne incrementum possunt desumere. Tertio viventia modo dilatantur, modo constringuntur, vt alimentum versus omnes partes emittant, pluribusque partibus dissimilaribus constant; non viventia autem nec ea vtuntur dilatatione, nec tanta sunt prædita dissimilitudine partium. Quarto denique, alijs omissis, partes à viventibus abscissæ facile pereūt, difficile augescūt; at partes abscissæ à nō viventibus diu durare possunt, eademque facilitate, atque ante augescūt. Huiusmodi differētiæ sunt claræ inter corporea viventia, & nō viuētia, de quibus præsertim agere Philosophis incumbit: quia tamen viventia corporea communem conceptum viuentis participant, quis sit iste communis conceptus est in præsenti examinandū, hanc ergo de cōceptu viventis quæstionem satis inter RR. molestam aggredimur.

2760 Viuens, autem, aliud est in actu primo, aliud in actu secundo: viuens, seu vita in actu secundo, est operatio, seu exercitium vitale: viuens autem in actu primo, est radix, sive principium talis operationis, & exercitij: vnde si principium sit proximum dicetur viuens, in actu primo proximo; si remotum, viuens in actu primo remoto: si sit substantia, dicetur viuens substantiale; si accidens viuens accidentale. Vnde ex suppositione, quod potentiæ distinguātur ab anima; ita vt anima, non immediate operetur, sed solum mediis potentijs, anima erit vita radicalis, & remota in actu primo; substantialis tamen; intellectus vero, v. g. erit vita proxima in actu primo; accidentalis tamen; intellectio denique ipsa erit vita in actu secundo, etiam accidentalis. Quamuis autem tribus his modis vita sit explicanda, facile tamen in vno sensu eorum explicata, in alijs à quovis poterit explicari: quapropter maior, & præcipuus huius quæstionis labor est viuens in actu primo substantiale explicare.

2761 Viuens ergo in actu primo definiunt aliqui, quod sit *mouile ab intrinseco*, vitamque consequenter in actu secundo dicunt, *motum ab intrinseco*; ista tamen communis definitio, si amplius non explicetur, communiter impugnatur; in motu gravium deorsum, leviumque sursum: atque etiam in motu, quo quælibet essentia suas producit pas-

passiones: isti enim, motus ab intrinseco sunt, & tamen non sunt vitales. Nec dicere valet, quod non sunt ab intrinseco per se, quia possunt produci in subiecto distincto. Nam contra est, quod de passionibus, naturaliter loquendo, id non potest verificari, quod sufficit, vt immanentes, & ab intrinseco per se dicantur. Deinde in motu, gravium, si vbi adquisita sint modi, etiam essentialiter, nō possunt in alio subiecto produci: & si sint res, tamen semper motus ille, non potest esse in alio, ab aliove subiecto, quidquid de termino sit; cum motus, tam ab agente, quam à passo diversitatem sumat. Iā ergo motus, tum gravium deorsum, & levium sursum, tum etiam ille, quo essentia suas passiones producit per se, immo & essentialiter, sunt ab intrinseco: nisi ergo magis definitiones positæ explicentur, malæ sunt.

2762 Etsi iterum dicas, motū lapidis deorsum, non esse ab ipso, sed à generante, similiterque motū, quo essentia passiones suas producit. Inquiro à te, an cum dicis motum lapidis produci à generante, intendas illum Physice, vere, & proprie, à generante produci; an vero solum intendas ipsi attribui, quatenus determinat lapidem ad talē motum, & ipse illum producit, cum ea determinatione, & necessitate. Si primum dicas, dicis falsum, vt nos probavimus disputatione septima Physicor. quæstione secunda. Si dicas secundum, accedis iam ad veritatem, quatenus ad definitionē nostram, inferius tradendam accedis: cumque adhuc sint aliæ difficultates, quæ melius ex nostra definitione solventur, vt constabit dum eas recolamus, semper cōperietur, quod definitio communis, nisi amplius explicetur, est mala, & solum bona, si per nostram infra tradendam explicetur.

2763 Pater Arriaga *disp 2. sect. 1. subsect. 5.* Existimat; non dari conceptum communem vitæ, quia vitam pure vegetativam ait consistere in eo, quod res per intrussumptionem se nutriat, non tamen esse ab intrinseco; quia si duo vegetabilia penetrarentur, vnum eorum posset alterum vegetare: cum ergo hoc, quod est se per intus sumptionem nutrire, nullam habeat convenientiam, cum sensitiva, & intellectiva vita, non potest communis conceptus vitæ omnibus illis conveniens assignari. Sed contra est primo, quia id est contra communem sensum Doctorum, qui in prædicamento substantię sub genere viuentis ponunt sensibile, & insensibile, quod salvari non posset, si viuens vniuocum vtrique commune non posset assignari. Deinde fundamentum, quo mouetur dubium est satis, & nimis voluntarie affertur, quod in casu penetrationis duplicis vegetatiui, quodlibet posset aliud vegetare; cum enim non possit vegetare aliud contiguum, cur aliud penetratum tam facile vegetare posse credit Arriaga? Denique cum penetratio

tio naturaliter contingere nunquam posit, iam saltim naturaliter nequibit vegetatio produci in extraneo subiecto: ergo naturaliter saltim vegetatio erit ab intrinseco, in hocque convenit, cum vita sensitiva, & intellectiva, contra quod existimabat Arriaga: non ergo solide à communi sententia recedit.

2764 Oviedus autem *in præsenti controu. 2. §. 4.* vivens in communi in actu primo definit esse illud: *Quod est principium actionis ex sua essentia immanentis, quæ supponat aliquid aliud præter purum actiuum, & passiuum illius, respectu cuius immanens dicitur.* Sed contra hanc definitionem obijci potest ex Spinula, quod sicut, dum augetur planta, actio est immanens, & supponitur præter activũ, & passivum illius, aliquid aliud, scilicet, pabulum, id contingit omnino, dum augetur ignis: ergo iuxta positam definitionem, non minus erit vitalis augmentatio ignis, quam plantæ, tumque hoc admittendum non sit, nec admittenda. Erit Oviedi definitio.

2765 Si autem pro Oviedo respondeas, vnionem augmenti plãtæ esse essentialiter immanentem; vnionem vero augmenti ignis immanentem esse, non tamen essentialiter. Contra est, quia si loquamur de qualibet vnione illarum determinate sumpta, non est cur vna dicatur immanens essentialiter, & non alia, cum quælibet sit modus æqualiter rei, cui augmentum vnitur; si vero sermo sit de vnione in communi sumpta, eo quod vnio augmenti plantę non potest fieri ad aliã plantam nisi ad eam, quæ illud producit, bene tamen vnio augmenti ignis: contra est quia talem vnionem augmenti plantæ non posse fieri nisi ad eam, quæ illud producit naturaliter est verum, aut vero similius: quod autem non possit fieri supernaturaliter, falsum & absque vllo fundamento dictum: sic autem fieri non posse requirebatur, vt illa vnio, potius, quam vnio augmenti ignis, essentialiter immanens diceretur.

2766 Alij Societatis Recentiores apud Alphonsum sic vitam, sive viuens definiunt. Viuens est: *Quod vltra complementum in esse substantiali, & virtute operatiua, determinatum est ad producendum in se perfectionem, aut terminum, qui naturaliter non possit ab extrinseco produci.* Sed contra eam objicit Alphonsus, quod iuxta eam productio perfectionis, per quam completur viuens in virtute operativa non est vitalis; sed hoc est falsum: ergo mala definitio. Minorem probat, quia per intellectionem cõpletur viuens in ratione principij operativi volitionis: & tamen productio intellectionis est vitalis: iam ergo productio perfectionis complentis viuens in virtute operativa esse potest vitalis.

2767 Et si dicas non excludi actionem à ratione vitalis ex eo, quod compleat virtutem operativã, in ordine ad aliquam operationem,

nem, sed ex eo, quod cõpleat in ordine ad omnes. Insurgit Alphonsus inde effici, quod actio productiva voluntatis sit etiam vitalis, quia per eam non completur vivens in virtute operativa in ordine ad omnes operationes; sed tantum in ordine ad volitiones: & si dicas iterũ, quod quamvis, vt actio excludatur à ratione vitalis, non sit necessarium, quod per eam compleatur vivens in ordine ad omnes operationes absolute; bene tamen, quod compleatur in ordine ad omnes vnius seriei: hoc autem modo cõpletur, per productionem voluntatis, non autem sic per productionem intellectionis. Contra hoc insurgit Alphonsus, dupliciter, omisso tamen primo, quia non ita vrget. Sic insurgit secundo: quia virtus operativa hominis per nutritionem completur in ordine ad operationes omnes vnius seriei, vt ad deãbulationes, immo etiam ad locutiones, & discursus, quamcumque enim seriem harum operationũ non potest elicere nisi in certa magnitudine, per nutritionem adquisita: ergo si vera est posita solutio, nutritio, non erit actio vitalis.

2768 Vivens ergo in actu primo melius, & clarius definitur: *Quod sit mouile per se ab intrinseco ad perfectionẽ sibi nõ debitã pro instanti primo suæ existentiæ, & pro reliquis præcise, vt pendẽti à sua causa efficiẽte* Hæc definitio est explicatio communis definitionis *n.* 2761. traditæ, & iuxta eam loquitur D. Th. 2. 2. q. 179. art. 1. & cõmunius DD. qui magis ex professo hanc quæstionẽ examinant, quibus novissime suffragatur M. Aguirre *disp. 76. sect. 4.* In ea ergo *per mouile ab intrinseco* denotatur ad vivẽs requiri, quod habeat potentiã immanenter operandi. Particula *per se* talis immanentiæ, aliquam exigentiã reperiri debere denotat, consequenterque non sufficere, quod, præter exigentiam immanenter operetur. Deinde ad vivens requiritur, quod perfectio, quam producere potest, non sit debita pro primo suæ existentiæ instanti, vt excludatur à ratione vitalis, productio subsistẽtiæ, passionũ, & reliquarum perfectionum, quę ad statum connaturalẽ rei pertinent, & pro primo instanti suę existentię ei debentur. Additur etiã: *Et pro reliquis præcise, vt pendenti à sua causa efficiente* Quia si sic debeatur idem est, ac pro primo instanti deberi, quoad præsens intentum, vtroque enim modo vivens illam perfectionem producit determinatus à sua causa, quod obstat rationi viventis.

2769 Huius autẽ definitionis bonitas, ex eo debet constare, quod omnibus viventibus conveniat, & nulli, non viventi: ea enim non cõvenit lapidi, in centrum descendenti, nec cuilibet essentiæ, vt suas passiones producenti; quia istæ perfectiones sunt debitæ modo superius dicto Convenit autẽ, viventi, rationali, sensitivo, & vegetativo. Hoc enim vltimũ, etiã ab intrinseco, & immanenter per se operatur, quãvis

enim forma in vegetatione producta nõ recipiatur in parte eã producẽte; recipitur in alia, quæ cum ipsa vnũ compositum efficit, quod ad immanentiam, sufficit.

2770 Ex data autem definitione colliges aliquas dari operationes, quæ propriæ sunt viventiũ, & tamẽ vivens non dicatur tale in ordine ad ipsas, dilatatio enim cordis, & arteriarum, respiratio, locutio, deambulatio, & similes propriæ viventium sunt, quatenus, aut ad actiones vitales sunt requisitæ, aut aliquas vitales actiones supponunt, vt actum appetitus, aut cognitionis: in ordine ad eas autẽ non dicitur tale vivens, neque consequenter ipsę vitales, quoad substantiã, dicuntur, quia non sunt per se immanentes; idẽ enim terminus, qui à vivente per eas actiones producitur in ipso, potuit produci in alio, atque etiã ab alio, si ipsi affigeretur.

Soluuntur argumenta.

2771 Obijcies primo. ignis accipit incrementa substãtialia, pro primo instanti suæ generationis nõ debita: & tamẽ iuxta omnes non vivit: ergo alicui non viventi convenit vivẽtis definitio à nobis tradita. Resp. disting. mai. Ignis accipit incremẽta substantialia, pro primo instanti suę generationis, non debita vt cumque, conc. mai. ab intrinseco per se nego mai. & conc. min. nego cons. quia ad vivens in nostra definitione requiritur, quod se moveat ad suam perfectionẽ non debitã, non vt cumque, sed per se ab intrinseco: quod autẽ sic non se moveat ignis, cõstat, quia idem augmentũ, quod in se ipso ignis producit, potuit produci in ipso ab alio; necnon ab ipso in alio. Adverte tamen quod, dum produceret alius ignis hoc ipsum augmentũ quod producitur modo ab igne augmentato, non solũ posset eadẽ forma ignis produci, sed etiã vnio eadem, saltim iuxta principia nostra; dũ autem ignis, qui modo in se augmentũ producit ipsum produceret in alio, produceret eandẽ formã, quę vt *quod* perficit, non tamen eandẽ vnionem, quę est perfectiva, vt *quo*: ratio est, quia vnio est modus extremorũ: vnde quocumque variato, eam variari necessariũ est: sufficit autẽ, quod idẽ terminus, & perfectivũ, vt *quod* possit in alio produci, vt dicamus terminũ nõ esse ab intrinseco absolute, & prout ad vivens est necessariũ: & hoc adhuc necessarium non erat ad nostram responsionẽ; sufficeret enim ad illã pręcise, quod idem terminus, vt *quo*, & vt *quod* posset ab alio produci. Obserua dicta, in hoc numero, pro completa intelligentia eorũ quę *n.* 2770. dicta manent.

2772 Secundo obijcies. Angelo debetur pro primo instanti suæ productionis cognitio sui: & tamen per eam vivit: ergo male nostra definitio viventis illud definit in ordine tantum ad operationes non debitas. Neque valet dicere talem cognitionem non deberi, aut non deberi huius determinate speciei; quia saltim nulla est repugnãtia, in eo, quod detur Angelus, cui cognitio determinas

nata determinatæque speciei sit pro primo instanti debita, in eoque possibili Angelo instauratur argumentũ. Resp. admisso, quod Angelo defacto existenti, aut potsibili sit debita determinata cognitio sui in primo instanti suę productionis eum non vivere per illã. Ratio est, quia tunc talis Angelus à sua causa determinaretur ad talem intellectionẽ producendã, sicut ad cæteras proprietates: vnde non magis per illius intellectionis productionẽ viveret, quã per productionẽ reliquarũ proprietatũ.

2773 Sed replicabis: ergo Deus non vivit per suam intellectionem. Probas conseq. quia divina cognitio est ipsi in omni instanti debita: ergo si Angelus, cui deberetur cognitio sui, non viveret per illam, nec Deus vivit per suam cognitionem. Respõderi poterat nos non agere in præsenti de vita increata, sed decreta solũ. Sed quia quantum fieri potsit sine Dei imperfectione, aut creaturæ infinita perfectione, debent assimilari vita creata, & increata. Respondeo negando conſ. ad cuius probationem etiã nego conſ. quia etsi nostra definitio viventis, vt iacet, Deo non conveniat, purgatis tamen imperfectionibus, & quodam eminentiori modo ei recte adaptatur respectu suæ intellectionis ipsi semper debitæ, quamvis Angelo non possit respectu eius intellectionis, quæ ipsi semper deberetur. Ratio disparitatis est, quia ex eo quod Angelo sit debita, eã producit determinatus ab alio, nempe à sua causa, quod obstat rationi viventis ex eo autem, quod Deo debeatur sua intellectio, non sequitur, quod eam producat, vt determinatus à sua causa, vel ab aliquo alio (loquor in Deo de productione impropria) vnde quamvis Angelo, vt vivat sua intellectione, obstet quod ei debita sit, id non obstet, vt Deus, sua intellectione, vivat. Et si replices iterum ex hac doctrina sequi etiam Deum vivere per productionem omnipotentiæ, & aliorũ attributorum. Concedam consequentiam; ea enim nihil absurdi, immo nec falsi, videtur continere.

2774 Tertio obijcies: aer movetur quoquo versum, ad replendum vacuum. Et tamẽ ille motus non est debitus illi, nec per eum vivit: ergo per motum non debitum contingit etiam, quod substantia non vivat, quod est contra nostram definitionem. Respondetur, cuilibet corpori vniversi deberi contiguitatem cum alio; vnde & ei, ad impediendum, quod ea auferatur, motus debetur: sicut quia lapidi centrum debetur, ei extra centrum, motus in illum debetur. Sed dices: tam lapidi, quã aeri debentur illi motus ex suppositione tantum: hoc autem debitũ non sufficit, ad impediendam vitalitatem; alias, nec intellectio foret vitalis; cum intellectui debeatur ex suppositione speciei, & reliquorum requisitorum: ergo tam aer, quam lapis non erit cur non vivat prædictis motibus, si nostra definitio sustineatur. Respondetur tamen negando minorem: ad instantiam in ea adduc-

tã, dico adhuc ex suppositione non deberi intellectui intellectionem, quia quãvis, posita specie, intellectio sit debita, non est debita soli intellectui, sed ipsi, & speciei. Cũ vero lapis extra centrum est, ipsi soli debetur motus, cum nec deberi possit loco, in quo est nec carentiæ cẽtri: similiterque est de motu aeris sentiendum.

2775 Vidimus iam, quid sit vivens in actu primo remoto, ex quo facile colligi potest, quod vivẽs in actu primo proximo, est quævis potentia, quæ ipsi datur, eique debetur, ad operationes, illas in ordine ad quas vivens constituitur; seu potius est ipsum vivens in actu primo remoto prout tali potentia præditum; ac vestitum. Colliges etiam, quid sit vivens, seu vitale in actu secundo; est enim operatio, in ordine ad quam viventi in actu primo cõvenit definitio tradita. Vnde Colliges nec habitus naturales, nec supernaturales, neque species vivere, quia habitus, etsi cum vivente efficienter concurrere teneat probabilis opinio, non ei debentur ad operationes illas vitales, sed præter debitum ei tribuuntur; species autem vitales non dici ex eo oritur, quod, etsi cum vivente concurrant, non tam concurrunt ex parte illius se habendo, quam ex parte obiectorum, quod obstat vitalitati accidentali, quæ poterat eis convenire.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm omnis anima sit actus informans.

2776 TAntum est in præsenti difficultas circa animã rationalẽ; cũ enim difficilius sit, quod ea corpus informet, si ipsam informare cõperiatur, omnem animam iam actũ informãtem esse negabit nullus. Circa eã ergo iam negare nõ licet absolute esse formam, actumque informantẽ; id enim definitum est in Concil. Bienensi *in Clementina de Sum Trin. cap.* 5. Nec caret ista veritas ratione naturali; constat enim primo, quia per animam rationalem constituitur homo: ergo ea est vera vnita corpori, in quo cõsistit informatio; & non mere assistens, veluti Navarcus, respectu Navis, aut Angelus respectu Cœli, quem movet. Antecedens est indubitatum. Probatur consequẽtia. Si anima tantum assisteret corpori, non posset cum illo hominem constituere: ergo si hominem constituit, vere corpori est vnita. Antecedens verũ videtur, quia alias etiã homo assistens navi ipsam constitueret hominem, & Angelus assistens Cœlo, ipsum Angelizaret. Secundo Probatur ea veritas ex eo, quod eadem necessitas informationis appareat in anima rationali, ac in materialibus animabus: cum ergo istas informare materiam proculdubio habeatur, eandem, animã rationalem informare, censendũ est:

Ad

2777 Adhuc tamen poteſt eſſe difficultas, an anima rationalis reduplicative vt rationalis informet; eſt tamen mihi difficultas levis, cõſentioque libenter communi ſententiæ contra Caietan. & Ferrar. aſſerenti animam rationalem etiam reduplicative, vt talem corpus informare. Ratio eſt primo, quia oppoſitum, non ita conſonum videtur, Biennenſi. Concilio. Secundo, quia id vere informat hominis materiã, quod hominem vere vt *quo* conſtituit: ſed hominem vt *quo* conſtituit anima, non ſolum quatenus vegetativa, & ſenſitiva, ſed etiam quatenus rationalis: ergo materiam informat etiam, quatenus rationalis. Tertio, quia anima rationalis, non ſolum, vt rationalis ſpiritualis eſt, ſed etiam, vt vegetativa, & ſenſitiva: ergo ſi non obſtante ſpiritualitate informat, quatenus vegetativa, & ſenſitiva eſt, ea ſpiritualitas non obſtabit, vt informet, quatenus rationalis: ſi autem ea non obſtet quid aliud obſtare poſsit non video: nec aliquid momenti afferri poſſe credo, quod informationem animæ, in quantum rationalis, impugnet, quod etiam contra eius informationem abſolutam non militet: vnde à ſententia Caiet. omnino iudico recedendum.

Soluuntur argumenta.

2778 Argumenta contra noſtram doctrinam militanti a præſertim impugnant, vt in fine numeri præcedentis aiebam, quod anima rationalis abſolute corpus informet; quæ eſt doctrina catholica; nõ tamẽ ideo omittenda ſunt; obijcies ergo primo anima rationalis eſt ſpiritualis: ergo non poteſt informare corpus materiale. Reſp. negando conſ. ſicut enim formæ, ſupernaturales ſubiectis naturalibus vniuntur, ſic forma ſpiritualis ſubiecto materiali vniri poteſt; huius enim vnionis nulla affertur repugnantia; cum tamen ipſam dari fere experiamur; cũ alio modo non ſe habere animam rationalem, quam animæ aliæ materiales experimento conſtet. Illud autẽ proloquium, actus, & potentia debent eſſe in eodem genere, rigoroſe intelligi, nequire expẽdimus *diſp. 2 phiſ.* Vnde in præſenti ſolũ poteſt indicare, quod debent eſſe in eodẽ genere entis incompleti, hoc eſt, quod debet vnumquodque eorum incompletionem habere; non tamen, quod in alio sẽſu in eodẽ genere eſſe debeãt; cum hoc plures patiatur inſtantias. Adverte tamẽ, quod iſta ſolutio non differt à communi, quę aſſerit animam rationalem eſſe materialem vt *quo*; eſſe enim materialem vt *quo* tantum eſt, quod poſsit rẽ materialẽ informare: vnde argumentum vtrũque, ſeu potius id ipſum impugnat: ac proinde brevius, & clarius noſtra ſolutione ſatis fit argumento.

2779 Secundo obijcies: omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo anima ſpiritualis non poteſt recipi in re materiali. Reſpõdet. ant. & ſi proloquium ſit,

falsum esse, nisi cum grano salis intelligatur: hunc ergo sensum habere debet: omne, quod recipitur, iuxta capacitatem recipientis, recipitur; vsque modo autem non est probatū; quod res materialis sit incapax recipiendi rem spiritualem, nisi forte receptio pro eductione sumatur, qualiter in præsenti non accipitur.

2780 Tertio obijcies: operationes animæ rationalis, vt talis nō reperiuntur in omnibus corporis partibus, sed in pluribus desunt: ergo illas non informat, vt rationalis. Respondeo primo hoc argumento adhuc non evinci, & si vim haberet, quod anima absolute non informet, vt rationalis, sed tantum, quod, vt talis, non informet omnes partes. Deinde adhuc hoc non est verū, quia est mala consequentia facta: quod enim in pluribus partibus operationes animæ rationalis, vt talis, non eliciantur, non est informationis defectu, sed defectu dispositionum organicarum.

2781 Inquires, an anima rationalis, & quomodo includat vegetativam & sensitivam: & similiter quomodo anima equi includat vegetativam animam. Aliqui de hoc longam quæstionem excitant: mihi autem, terminis penetratis, videtur quæstio sine difficultate. Sentio ergo primo, animam rationalem formaliter esse vegetativam, & sensitivam vt *quo*. Ratio est quia effectus sentiendi, & vegetandi non minus præstantur ab ipsa, quam ab animabus alijs sensitivis, & vegetativis formaliter: ipsa ergo censenda est formaliter vegetativa, & sensitiva. Secundo iudico animam rationalem non includere formaliter, nec eminenter proprie, sensitivum, & vegetativum, quod est in animabus bruti, & plantæ Ratio, quare non contineat illa formaliter, est, quia sensitivum se habet, vt genus respectu hominis & bruti, & vegetativum similiter respectu hominis, bruti, & plantæ: eodem prorsus modo, ac animal respectu hominis, & equi, cum ergo, etsi homo sit formaliter animal, nemo dicat, quod est formaliter illud animal, quod reperitur in equo, similiter in prædicato sensitivi discurrendum est. Quod autem nec eminenter proprie illud contineat ex eo constat, quod homo non potest altiori, aut perfectiori modo elicere sensationes equi, aut Leonis. Tātū ergo potest dici quod cōtineat illud sensitivum eminenter improprie, quatenus vna, cum sit, & elicit sensationes eis generice similes, & simul perfectiores operationes habet, sic sentio de cōtinentia Physica: si autem de Metaphysica, seu Logica, sermo sit, quomodo sensitivum, vt sic contineatur in anima rationali, deducendum est ex Logica; ibi enim traditur, quomodo quodlibet genus contineatur tam in specie, quam constituit, quam in differentia, quæ ipsum contrahit. Advertē tamen, quod dum in Logica vsurpatur verbum *formaliter*, sumitur prout contraponitur ad realem continentiam; dum vero in præsen-

senti eodem verbo vtuntur Philoso phi illud vsurpant prout contra ponitur ad continentiam virtualem, aut eminentialem.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm sanguis informetur anima.

2782 VIDIMVS, quod omnis anima sit actus informans corpus: nunc quę corporis partes illa informentur visuri sumus: & primo est difficultas de sanguine, vtrum ea informetur, ex cuius solutione obiter constabit; quid de aliis tribus humoribus dicendum sit. Igitur circa sanguinem prima sententia tenet eum nequaquam vivere, nec anima informari. Pro hac sententia citari solent S. Thom. S. Bonavent. Alensis Scotus, Durandus, Suarez. Rubius, Murcia, & plures alij. Secunda sententia sanguinem anima informari defendit. Hanc tenet Hurtadus, Arriaga, Oviedus, Caietanus, Medina, Valentia, atque alij. His enim temporibus valde anceps est quæstio hæc, & fere magis prudenter sibi cuiusque sententiæ DD. arbitrantur, quã aliquid firmum, & momenti pro sua sententia præsumant invenire. Pat. Lynceus tertiam sententiam noviter profert dicens sanguinem humanũ anima informari; Belluinum autem nequaquam, si supponatur cũ cõmuni sententia Belluarũ animas divisibiles esse.

2783 In hac ergo ancipite quæstione probabilior mihi videtur sententia affirmans sanguinem animari. Probatur autẽ primo, quia ossa in homine, vere informantur anima rationali: ergo sanguis in homine similiter anima rationali animabitur, consequenterque in Bruto Belluina. Probo consequentiam: ideo ossa in homine animantur anima rationali, quia vera sunt hominis pars. sed sanguis humanus vere illius est pars: ergo vere in illo anima rationali informatur. Maior huius syllogismi constat; quia in ossibus nulla operatio, aut signum animæ rationalis apparet: ergo quod ea informetur, tantum provenire potest ex eo, quod sit vera illius pars. Minor autẽ probatur primo ex Trid. *Sess. 13. cap. 3.* Vbi definit in Eucharistia: *Esse corpus sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini, animamque sub vtroque vi naturalis connexionis, qua partes Christi Domini inter se copulantur.* Vbi & quod sanguis sit pars, & quod cum anima copuletur, satis clare indicatur. Secundo probatur authoritate Innocentij III. *in extrauag. de celebratione Missarum.* Vbi sic statuitur: *De latere Christi exiuit sanguis, & aqua. vt esset signum, corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores, quod est de ratione, & compositione veri corporis humani quale verbum assumpsit.* Sanguis ergo est de compositione humani corporis, veraque pars illius. Tertio probatur illa minor ratione, quia si homini deficeret sanguis mutilus, & imperfectus maneret: ergo

quia ipſe eſt illius pars, vereque ad eius integritatem ſpectat.

2784 Hæc vltima minoris probatio convincere nō poteſt omnino; facile enim dicent adverſarij ſanguinem non eſſe veram animalis partē, & eo deficiente, aut dicent animal non remanſurum mutilū, cuius oppoſitum non facile probabitur; aut dicent remāſurum mutilum nō quia ei deficiat pars ei vnita; ſed quia deficit pars ad eius conſervationē omnino neceſſaria. Sed quamvis cōvincere omnino non poſsimus, quod ſanguis ſit pars animalis, id tamen verum eſſe ita ſibi perſuadet vnuſquiſque, vt nec adverſarij ipſi negarent, niſi viderēt id neceſſarium eſſe ad ſuam ſententiam defenſandam; immo adhuc aliqui illorū abſolute non audent negare ſanguinem eſſe hominis partem, ſed dicunt eam eſſe ſecundariam: vnde omnino negare eam eſſe hominis partem inveriſimile eſt: dicere autē eam eſſe ſecundariā non ſufficit; quia ſi, vt id aſſerentes volunt, pars ſecundaria nō informaretur anima, in homine daretur duplex forma ſubſtantialis, alia vitalis, qua informarētur partes eius primariæ, alia non vitalis, qua informarentur partes ſecundariæ: ſed hoc dici nequit: ergo inutilis eſt ea partium diſtinctio. Minor probatur, quia ſi ea non eſſet vera, etiam daretur in homine duplex forma vitalis, ſeu duplex anima; ſed hoc eſt falſum vtpote contra Concilium Conſtantinop. 4. *Can.* 11. Ergo minor eſt vera. Maior huius ſyllogiſmi probatur: quia ſicut ſanguis eſt pars minus præcipua, & ſecundaria cōparative ad corpus, & in ea nulla cernitur operatio vitalis, ſic plura oſſa, & plures partes carnis, comparative ad caput, ſunt minus præcipuæ, & in eis nulla apparet operatio vitæ intellectualis, immo in aliquibus, nec animalis iuxta non paucos: ergo ſi in ſanguine illa ratio ſufficiat, vt nulla anima informetur, ſed forma non vitali, in alijs partibus ſufficiet, vt non animentur anima rationali, ſed ſolū vegetativa, & ſenſitiva, conſequenterque in homine daretur duplex anima, alia videlicet vegetativa, & ſenſitiva tantum, aliaque rationalis.

2785 Secundo probatur concluſio, quia, vt ex communi Theologorū ſententia diximus tract. de Incarnatione, Verbum Divinū fuit immediate vnitum ſanguini humanitatis Chriſti Domini: quod adeo verum eſt, vt ſententia oppoſita, quam tuentur Durand *in* 4. *d.* 10. *q.* 1. & Gabr. *in Can Miſſ. Lect.* 53. varijs cenſuris à pluribus afficiatur; ſed ſic eſt; quod ea communis ſentētia bene intelligitur, ſi ſanguis informetur anima; non autem ſic, ſi anima non informetur: ergo tenendum eſt ea informari. Minor, quoad ſecundam partem, probatur primo, quia ſi ſanguis anima non informetur non erit pars humanitatis Chriſti, ac proinde non erit vrgens titulus vt ipſi immediate Verbum vniatur. Secundo, quia ſi Verbū aſſumpſiſſet ſanguinem non informatum ani-

anima, iam assumpsisset vnam naturam rationalem, & aliam irrationalem, quod ad minus sine fundamento dicitur. Tertio, quia si sanguis anima non informaretur, informaretur, diversa forma substantiali, ac caro: vnde non facile explicari posset, quomodo cum ea vniatur, vnione sufficienti ad constituendum vnũ per se. Quarto denique, quia subsistentia Verbi vnitur loco personalitatis creatæ humanitatis: si autem sanguis non animaretur, non subsisteret per humanitatis personalitatem, sed per aliam subsistentiam, quæ personalitas non esset.

2786 Tertio denique probatur conclusio nostra, quia communius concipiunt homines, quod sanguis anima informetur: cum ergo nulla ratio oppositum vrgenter suadeat, vt ex solutione argumentorum constabit, eam animari tenẽdum est. Alijs parco rationibus, quia in eis nõ multum efficaciæ contineri cum multis existimo. Tantũ adverto me disparitatem non cognoscere, inter sanguinem humanum, & Belluinũ: quãvis enim absolute perfectior sit humanus sanguis, quã Belluinus; comparative tamen, vtroque, scilicet, ad suam formam comparato, ita perfectus est Belluinus, ac humanus, quin oppositum possit, aliquomodo conijctari. Fateor tamen, quod suppositio, quod anima Belluina, & sit divisibilis, & partes habeat æterogeneas, satis probabiliter discurrit Lyncæus: sed consequentis in verisimilitudo persuadet aliquod ex his duobus principijs esse falsum: vnde, & ipse Lincæus primũ falsum esse sentit, & consequenter in re, & defacto fatetur sanguinẽ belluinum animari: nos vero infra q. 11. & 12. aliter discurremus, sentientes contra Lyncæũ animas belluinas divisibiles esse, & ea supposita divisibilitate, defendentes, contra ipsum etiam, earum partes homogeneas esse.

Soluuntur argumenta.

2787 Objcies primo sanguis est alimentũ animalis: ergo non informatur anima. Cons. prob. quia si sanguis informaretur anima, dum ipso nutriretur animal, non adquireret novã formã substantialẽ: sed hoc est falsũ: ergo eo ipso, quod sanguis sit alimentũ, nõ informatur anima. Minor prob. quia si alimentũ in nutritione nõ adquireret novã formã substantialem, nõ esset substantialis nutritio, sed accidentalis: cum ergo nutritio substantialis communiter dicatur, in ea alimentũ formã substãtialem debet commutare. Resp. neg. cons. ad cuius probationẽ neg. min. & ad eius probationẽ conc. ant. dist. cons. ergo cũ nutritio sit substãtialis debet in ea alimentũ formã substantialem commutare, in eo sensu, in quo substantialis est nutritio, conc. conseq. aliter nego conseq. nutritio ergo quatenus est conversio immediata sanguinis in carnẽ nõ est substantialis, & sic in eo sensu necessarium non est, quod per eam adquiratur nova forma substantialis; quatenus autem nutritio est conversio mediata cibi in carnem, aut im-

immediata in ſanguinem ſubſtantialis eſt, & ſic iam datur commutatio formæ ſubſtantialis immediata, aut mediata; cum alimentum immediatum, quod eſt ſanguis diverſam formam ſubſtantialem habeat, atque cibus, qui in ipſum immediate cõvertitur, & iſte etiam diverſam, ac caro, in quam convertitur mediate. Nec probari poteſt, quod nutritio, etiam ſecundum quod eſt converſio immediata ſanguinis in carnẽ, ſubſtantialis dici debeat. Alias apud alios hoc argumentum habet ſoluriones non ita veriſimiles, ac noſtra.

2788 Secundo obijcies: ſanguis non eſt vnitus reliquis corporis partibus: ergo non informatur eadem anima: patet conſequentia, quia vna anima non poteſt informare materias diſcontinuatas, aut non vnitas. Reſpondetur negando antecedens; quia ſanguis eſt iecori vnitus ſecundum aliquam partem immediate, & ſecundum alias mediate: vnde omnibus partibus corporis eſt mediate, aut immediate vnitus, quã ſolum vnionem etiam habent reliquæ partes ad alias.

2789 Tertio obijcies: Sanguis extra venam exiſtens in vaſe, dum vena ſcinditur, ſimilis eſt intra venas exiſtenti; ſed extra illam exiſtẽs non vivit, ſeu anima informatur: ergo nec exiſtens intra illam. Minor videtur certa cum oppoſitum incredibile appareat. Reſpondetur primo negando minorem; nec enim poteſt omnino oſtẽdi, nec omnino eſt oppoſitum incredibile, cur enim intẽſtina ſæpe ſæpius, ob vulnus infli-ctum, extra ventrem exiſtentia vivere concedunt omnes, ob continuationem cum exiſtentibus in ventre, & dicant omnino incredibile, quod ſanguis extra venam cum ſimili cõtinuatione, non vivat? Secundo reſpondetur diſtinguẽdo maiorẽ eamque concedendo de ſimilitudine accidentali, & negando de ſubſtantiali, eo quod ſanguis quamvis habeat formam ſubſtantialem viventis, ob ſuam tenuitatem non poſsit illam conſervare, niſi dum intra venas exiſtit: vnde, conceſſa minori, neganda eſt conſequentia.

2790 Quarto obijcies: Sanguis non augetur per intus ſumptionem, ſed per iuxta poſitionem, per novũ, ſcilicet, ſanguinem in Hepate, aut corde de novo productum: ergo ſanguis, non vivit, nec animatur. Reſpondetur negando antecedens; ſanguis enim, quamvis in corde, aut Hepate augeatur, poteſt augeri per intus ſumptionem, ita ſcilicet, vt partes ibi reſidentes, prius vi Hepatis, aut cordis, per intus ſumptionem, augeantur, & poſtea partes ſanguinis, quæ ibi propter augmentum ſuperfluunt, reliquis etiam corporis partibus communicentur. Prætetea etiam videtur quod in ſingulis corporis partibus ſanguis poſsit, aliquantulũ ſaltim, per intus ſumptionem augeri quamvis præcipue, aut magis in corde, aut Hepate augeatur. Nec obeſt, quod dicunt aliqui ſanguinem non habere poros,

per

per quos attrahat alimentum, eo quod fluidus; cum enim nõ ſit ſumme fluidus, aliquos retinet poros, quamvis non tot habeat, ac partes ſolidæ.

2791 Obijcies quinto: ſi ſanguis informaretur anima, eſſet vera corporis pars: cumque omnes corporis Chriſti partes ponantur, vi Verborum, in Euchariſtia, ſub ſpeciebus panis, ſub eis poneretur, vi Verborum ſanguis Chriſti, quod eſt contra Tridentin. ne ergo hoc dicamus, dicendum potius ſanguinem non animari. Hoc argumentum, & ſi ſanguis non animetur, eandem vim habet, cum verius ſit, & à pluribus adverſarijs admiſſum, quod ſanguis ſit corporis pars. Reſpondetur ergo, nomine corporis exiſtẽtis in Euchariſtia intelligi carnem, & partes ſolidas, prout contra ſanguinem diſtinguntur; & ſi enim ex vi terminorum poſsit etiam intelligi ſanguis, tamen ipſa contrapoſitio textus, qua ſanguis potius poni dicitur ſub ſpeciebus vini, ſine dubio denotat corpus, quod ſub panis dicitur poni ſpeciebus, eſſe corpus, quod contra diſtinguitur à ſanguine, eamque non includit. Alias rationes eiuſdem intelligentiæ reddunt alij non omnino contẽnendas.

2792 Hic nota primo, quod quamvis Div. Thom. pro contraria ſententia communiter referatur minime pro illa S. Doctorem ſtare cõpertum eſt; cum potius pro noſtra ſtare clare, iudicet Arriaga 3. *p diſp.* 22. *ſect.* 3. *à num.* 36. & quidem magno cum fundamento, idque ipſum ſentiunt ex Thomiſtis non nulli RR. apud Mag. Aguirre *diſp.* 77. *ſect.* 3. Vnde cum ipſe D. Thomas docet quod ſanguis nõ eſt pars actu corporis viventis, ſed in potentia tantum, intelligendus vtique eſt, de partibus, quas vocant vltimas, & perfectas, vt ſunt càro, & oſſa, quam expoſitionem indicat aperte ipſemet D. Thom. in authoritate, quam *ex* 3. *p. q.* 31. *art.* 5. contra ſententiam noſtram allegat M. Aguirre *ſect. cit. num.* 33.

2793 De reliquis humoribus, vt colera, melancholia, & flegma, idem ſentiendum iudico, atque de ſanguine, etſi non ſit ita commune; videtur enim mihi eſſe paritatem rationis in eis, ſaltim in ea puritate, & defecatione, in qua pertinent ad viventis integritatem, & ad eius cõſervationem ſunt neceſſarij: poſſunt enim etiam aliquando reperiri, ita impuri & imperfecti, vt anima non mereantur informari. Quam diſtinctionem duplicis humoris etiam in ſanguine probabiliter plures ponũt, & per eam ſoluunt primum argumentum dicentes ſanguinem impurum, & imperfectum eſſe alimentũ animalis, eumque anima non informari: purum vero, & defecatum, non eſſe alimentum, ſed partem, animaque informari.

QVÆS-

QVÆSTIO SEXTA.

De reliquis, quæ anima informantur.

2794 VIDIMVS, quod sanguis, & alij tres humores anima informentur, quamvis oppositum sit satis probabile. Deinde carnem anima informari nemini est dubium. Ossa autem eadem etiam informari extra dubium debet esse; cum illa vere nutriantur, & sint corporis pars valde præcipua, & à quo totius corporis structura dependet, & organizatio. Aliqua tamen adhuc restant, de quibus dubitari solet merito, an anima informentur: & illa modo à nobis percurrenda sunt: in eis enim, non minor est inter DD. varietas.

2795 Dico ergo primo dentes animari anima totius viventis. Probatur conclusio, quia dentes eiusdē speciei sunt cum alijs ossibus, eodemque modo per intus sumptionē, & versus omnes partes augentur: ergo eodem modo, ac illa animātur.

2796 Dico secundo vngues, & capilli etiam animantur eadem viventis anima, hanc conclusionem tenet Echalaz pro se, & contra se plures citans: dum tamen contra se Authores citat fallitur existimans eos esse ipsi & nobis contrarios, nō quia dicant capillos, & vngues anima non informari, sed quia dicunt nō informari eadem anima, sed alia pure vegetativa; vtrumque enim cōmuniter dicunt, tantum quē inter eos, quos vidi P. Iosephus Morete in manu scriptis cum paucis, quos ipse citat modo ab Echalaz relato Philosophatur. In primis ergo cōtra Morete, & quemvis aliū eo modo Philosophantem probatur, quod, si anima informētur, debeant anima totius informari: quia, si capilli, & vngues pure vegetativa anima informarentur maxime, quia in eis tātum apparet vegetativa operatio: sed hoc non sufficit: ergo tali anima nō informantur, sed potius anima totius. Minor probatur, quia si capilli informarentur anima pure vegetativa eo, quod sola vegetatio in eis appareat, ob similem rationem omnia hominis membra, præter caput, anima vegetativa, & sensitiva tantum informarentur: sed hoc dicendum non est, quia sic in homine darentur tres animæ, vegetativa, scilicet, pro capillis; vegetativa, & sensitiva pro reliquo corpore, & rationalis pro capite, quod est contra Concilium Biennense in homine plures animas non dari statuens: ergo quod tantum vegetativa operatio in capillis, & vnguibus appareat, non sufficit, vt dicamus, eas diversa, ac pure vegetativa anima informari.

2797 Quod autem aliqua anima informentur capilli, & vngues, probatur: quia augentur per intus sumptionem; à determinata enim parte augmentum sumūt, & vngues etiam versus latitudinem, si radantur crescunt; quod autem, dum sic

non

non raduntur, non crescant provenit ex eo, quod ad terminum illius incrementi devenerint, etiamque in capillis credendum est, quod versus latitudinem, seu grositiem crescunt: quod autem hoc non percipiatur facile, provenit ex eo, quod cito, versus eam partem, pervenitur ad terminum augmenti sui. Confirmatur autem hoc, quia capilli se habent in animali sicut plumæ in avibus: in eis autem clarius appareret, quod per intus sumptionem augeantur; cum in eis appareāt fibræ, per quas attrahant alimentum. Id ipsum, quod dictum est de vnguibus, dicendum est etiam, ob rationis paritatem, de rostris avium, pisciumque squamis.

2798 Dico tertio lac, & semē anima non informantur. Ista cōclusio probatur: quia lac, & semen non sunt de integritate animalis; cū pueri, & virgines ea non habeant, quin ideo mutili censeantur. Præterea nō tam deserviunt ista animali ea habenti, quam ad alterius generationem, & sustentationem: ergo non est cur anima animalis ea habentis informentur, de quo nostra procedit dubitatio; quod enim semen informetur alia anima, prolis, videlicet, generandæ, & si videatur tenere Senertus apud Spinulam, id tamen est cōtra totam Philosophiā in brutis, & in hominibus contra Theologiam bonā ita, vt erroneum merito iudicetur, vt perpendit late Spinula *disp.* 3. *sect.* 1. & nos de hoc aliquid quæst. sequenti. Ad hoc autem, vt lac anima animalis ea habētis informetur, non iuvat, quod sit sanguis nimis coctus; id enim falsū est, vt perpendit Oviedus ex nimia sanguinis, & lactis, in qualitatibus diversitate.

QVÆSTIO SEPTIMA:

A quo, & quando producatur anima.

2799 DOctor Spinula n. precedenti citatus, & M. Aguirre *disp.* 8. latissime impugnāt sententiam Gabrielis Senerti aientis animam propagari cum semine, non solum belluinam, sed etiam humanam: vnde & animam, humanam etiam, non à solo Deo, sed à generante etiam creato produci existimabat. Contra istam tamen sententiam, stat communis Philosophia, & Theologia: Philosophia quidem, cum omnes post dies aliquos à seminis in vtero materno susceptione fœtum animari teneant, quod quidem non ita esset iuxta sententiam Senerti; cum semen iam secum animam portaret. Dicendum ergo est belluinas animas produci à generante, Deo concurrente cum ipso ita, vt non producantur in semine, dum primo ipsum producitur, sed in fœtu dum medio semine ad dispositiones pervenit necessarias ad animæ informationem terminandam: hoc enim

enim est iuxta communem Philosophiam, & oppositum contra illam. Secundo dicendum est animam rationalem produci à solo Deo, dum materia est disposita ad eius informationem terminandam. Patet hoc, quia anima rationalis non dependet in suo esse à materia, consequenterque debet produci per creationem: ergo non potest produci ab alia anima, sed à solo Deo. Probatur consequentia, quia alias iam naturaliter anima Patris cõcurreret ad creationem, & vere crearet, quod est contra omnes Patres, & Theologos. Deinde, si Pater concurreret effective ad productionem animæ sui filij, aut hoc fieret per potentiam materialem, aut per spiritualem: neutrum dici potest: ergo non concurrit. Minor, quoad primam partem constat; quia non apparet, quomodo res materialis possit attingere productionem rei spiritualis. Quoad secundam autem probatur: quia in anima non datur alia potentia spiritualis, nisi intellectus, memoria, & voluntas, quæ ad generationem animæ prolis non possunt concurrere: nulla ergo potentia pater, aut eius anima possunt effective attingere animam filij, consequenterque illa à solo Deo per creationem producitur, cum adsunt dispositiones ad eius receptionem necessariæ.

2800 Præterea, si Pater in semine animam communicaret, aut communicaret eandem, quam ipse habet, aut aliam: si eandem, iam filius eandem animam, ac Pater, haberet, & sic omnes homines mundi eandem numero animam haberent, quod est erroneum. Si aliam, omnia semina suam diversam animam rationalem haberent: vnde, cum plura pereant sine eo, quod soboles ex ipsis generetur, aut anima illorum periret, quod est contra eius immortalitatem, aut innumeræ plures animæ in Limbum abirent, quã in infernum simul, & Cœlum; ac etiam semẽ deberet baptizari, quod est absurdissimum, ita vt nemo auderet id facere, vere existimans id sine peccato mortali, fieri non posse. Sentiendum igitur est semen, præcipue humanum, anima diversa non animari. Eandem tamen animari etsi probabile sit, non tamen ita, vt Senerto possit iuvare; cum ita ea animetur, iuxta sententiam probabilem, solummodo, dum est in generante; non tamen ita, vt se cum ferat eam animam, & cum ipso ea genito communicetur.

2801 Sed dices primo: generatio est productio causæ vnivocæ: ergo inea debet produci similis forma, & consequenter anima similis. Secundo semen vivificat prolem: ergo ipsum habet vitam, & consequenter animam. Tertio organizatio est effectus seminis: ergo ipsum est vitale, quomodo enim, nisi vitale esset, posset organizationem ad vivens requisitam producere. Quarto semen attrahit sanguinem, & alia ad viventis formationem necessaria; ergo vitam, atque animã habet.

Resp.

2802 Respondetur tamen ad has obiectiones: ad primã, quod, vt generatio sit actio vnivoca, sufficit, quod terminus totalis sit similis specifice producenti, quod salvatur, sine eo, quod generans producat formam illius. Ad secundã respondetur, semen tantum vivificare prolem dispositive, aut instrumentaliter, ad quod necessarium non est, quod ipsum vitam habeat. Ad tertiã resp. negando consequentiã, quia organizationis productio nulla est ratio cur debeat dici vitalis; cum sit solum talis partium dispositio. Ad quartã denique, etiam nego consequentiam; quia non omnis attractio vitalis est, vt passim experimur: ex eo ergo præcise, quod attrahat semen, vitam, aut animam habere, colligi non debet.

2803 Circa secundum, quod titulus huius quæstionis inquirit, dubitari potest, an anima producatur prius tempore, informatione. Circa materiales animas non est dubium, quia tunc producuntur, quando materia est vltimo disposita ad eas recipiendas, & sustentandas: sed dispositio, quæ est vltima ad receptionem formæ, est vltima ad vnionem: ergo in eodem instanti, in quo producuntur, vniuntur, atque informant materiam. De anima autem rationali poterat remanere dubium: sed nullum remanet: quia ipsam produci prius tempore informatione est error in fide damnatus in Conc. *Constantinopolit.* 5. *act.* 11. *in Epist. Sophronij.* Constat etiam ratione; quia Deus in productione rerum naturalium se accõmodat exigentiæ ipsarum rerum: cum ergo nec anima ipsa, nec materia petat, vt producatur anima ante informationem; quia anima, vtpote forma corporis, potius petit statim, ac est, informare; materia vero tunc petit formam rationalem produci, cum est vltimo disposita ad eius vnionem, sive informationem, à Deo producetur in eodem instanti, in quo informat, & nequaquam prius tempore ad eam informationem.

QVÆSTIO OCTAVA.

Quænam sit differentia corporei entis ab spirituali, & incorporeo.

2804 HÆC quæstio necessaria est in præsenti, tum quia cum in definitione animæ *corpus* ingrediatur, corporis plenior notitia clariorem reddit definitionem: tum, & præcipue, quia quæst. sequenti dicemus, quod anima rationalis spiritualis sit, quod non bene percipietur, si entis spiritualis à corporeo differentia non innotescat. Advertendum tamen est primo aliquã esse differentium inter *corpus*, & *corporeum*, & etiam inter *spiritũ*, & *spirituale*; *corpus* namque, & *spiritus* sumuntur pro rebus præcipuis, quæ sunt in linea corporali, & spirituali; *Corporeum* autem, &

& *ſpirituale* latius patent, & ſe extendunt ad alias res, quæ in vtraque ſunt linea, & ordine rerum, etſi minus præcipuæ ſint, & propterea corporis, aut ſpiritus nomen non ſortiantur. Igitur materia prima, quæ quantitatem aut radicat, aut iuxta alios identificat ſecum, & cõpoſitum ex illa, & quacumque forma reſultans non ſolum dicitur *res corporea*; ſed etiam *corpus*. Anima etiam rationalis, Angelus, ac Deus non ſolum *res ſpirituales*, ſed etiã *ſpiritus* dicuntur. Aliæ autem affectiones, & accidentia corporis, & ſpiritus: ſi ſunt corporis *corporeæ* dici poterunt; non tamen *corpus*; ſi ſpiritus ſunt, *ſpirituales* dici conſueverunt; non tamen *ſpiritus*. Igitur præſentis quæſtionis difficultas præcipuè verſatur in indaganda differentia rei ſpiritualis à corporea, & vtriuſque aſsignando conſtitutivo ex quo colligi poſsit, quæ res ſpirituales, quæve corporeæ ſint.

2805 Mira ergo eſt in hac quæſtione diſſenſio, & varietas, dũ aliqui rationem *corporei* in diviſsibilitate, & rationem *ſpiritualis* in indiviſsibilitate conſtituunt. Alij vero rationem *corporei* in impenetrabilitate, & *ſpiritualis* in penetrabilitate, quamvis iſtorum vni diverſum modum impenetrabilitatis aſsignent, atque alij, vt facilius adverſaria tela evitent. Singulos dicendi modos in particulari referre nimis operoſum eſſet, quapropter ad noſtrum aſſenſum propero, & dico primo: *Corporeum eſſe, quod aut corpus eſt, aut illud componit, aut ab eo habet naturalem dependentiam.* Secundo dico ſpirituale eſſe: *Quod nec corpus eſt, nec illud componit, nec ab eo naturalem ſortitur dependentiam.* Sic bene deſcribi res ſpirituales, & corporeas (definiri enim definitione rigoroſa non poſſunt, cum ſub vtroque genere res valde diverſæ contineantur, & quæ ſub vna definitione cadere non poſſunt) ex eo conſtat, quod nulla ſit res corporea, cui prima definitio non conveniat, nec, cui conveniat ſecunda, & ſimiliter nulla ſpiritualis, cui ècontra ſecũda non conveniat, aut cui conveniat prima, vt diſcurrenti per ſingula planum fiet.

2806 Sed dices nobis reſtare explicandum, qui ſit *corpus*, cum ab eo dependeat tam corporei, quam ſpiritualis entis explicatio. Reſpõdeo tamen id eſſe explicatu facillimum, ideoque à me per ipſum vtramque entis differentiam eſſe explicatam; nomine enim corporis intelligo id ipſum, quod omnes, eo nomine percepto, communiter intelligimus; ſtatim enim, eo audito, quivis percipit rem affectam, aut identificatam cum quantitate tali, quæ aut in impenetrabilitate conſiſtat, aut impenetrabilitatem naturaliter inferat: vnde omnia entia ſublunaria, & cœleſtia, quæ aliquo ſenſu noſtro percipi poſſunt, corpora eſſe concipimus, quia dicta quãtitate affecta eſſe iudicamus, aut cum illa identificata, Vna

2807 Vnde colliges primo, quod quamvis nostra explicatio videatur accedere ad illam, quæ res corporeas in divisibilitate constituit, & incorporeas in indivisibilitate, recedit tamen valde ab ea; quāvis enim iuxta nostram sententiam omne corpus sit divisibile; tamen nec omne corporeum iuxta eam est divisibile; cum bene compati possit, quod aliquid à corpore naturaliter dependeat, & tamen indivisibile sit, vt de facto ponuntur à pluribus animæ brutorum. Nec etiam iuxta nostram explicationem omne spirituale indivisibile esse debet; si enim detur, per possibile, vel impossibile, aliquod ens, quod etsi extensum sit, & habeat partes, ac quantitatem, talis tamen extensio, & quantitas nec consistat in impenetrabilitate, nec impenetrabilitatem inferat, tali rei poterit nostra spiritualis entis definitio convenire, si aliunde nec corpus componat, nec à corpore dependeat naturaliter. Et hac ratione vbicatio angelica, qua spatio divisibili coexistit, poterit spiritualis esse, quod iuxta alias sententias non ita facile potest salvari; si enim dicas, quod talis vbicatio est indivisibilis, & in plures spatij partes replicata, id à me credi non potest; sic namque eadem vbicatione vbicabitur Angelus in spatio quatuor punctorum, ac in spatio trium, sola vna replicatione multiplicata, quod falsum mihi est; quia, eo ipso, quod vna constituat Angelum in tribus punctis, alia in quatuor, sunt vbicationes essentialiter diversæ, cum quælibet habeat pro prædicato essentiali Angelum in tali, & tanto spatio constituere, quin possit aliter aliqua illarum concipi. Iuxta nostram autem sententiam, cum divisibilitate, & extensione vbicationis illius stat spiritualitas, quia ea extensio nec est, quæ constituit corpus, nec, quæ illud componit, aut ab eo naturaliter dependet. Vnde iuxta nostram sententiam dari poterit quantitas spiritualis, talemque habebit dicta vbicatio angelica.

2808 Secundo colliges, quod, quamvis etiam nostra sententia videatur accedere ad illam, quæ res corporeas in impenetrabilitate consistere existimat, & spirituales in penetrabilitate, ab ea longe recedit; ex nostra namque sententia solum sequitur, quod omne corpus sit impenetrabile, non tamen, quod omne corporeum, vt illa sententia tuetur, neque etiam, quod omne spirituale penetrabile sit.

2809 Animadvertere tamen in præsenti oportet Lyne. circa hanc quæst. singulariter nimis discurrisse *lib. 6. Met.* Ait enim 1 rem esse spiritualem cōsistere in eo, quod incorporea sit: rem autem incorpoream esse triplicem negationē, asserit, importare, videlicet, quod non sit corpus, quod à corpore non dependeat in genere causę materialis, ac deniq; quod nō habeat cōditionē aliquācorporis propriā. Sex autē cōditiones corporis proprias assignat. 1. quod

integraliter sit divisibile. II. quod sit visibile, seu corporeis sensibus perceptibile. III. quod impenetrabile sit cũ alia re eiusdem rationis. IV. quod sit mortale, sive corruptibile formaliter, aut radicaliter, hoc est, quod corrumpi possit, vel sit causa, & principium vt aliud corrũpatur. V. quod irrationale sit. VI. demum, quod libero arbitrio non sit præditum. Subiungit deinde Lyncæus non implicare, quod eadem res simul spiritualis, & corporea sit, nõ improprie solum, sed proprie, & rigorosè. Præterea late per tractatũ integrum enti spirituali pure tali sex conditiones assignat oppositas his, quas corpori pure tali assignaverat.

2810 In dicta tamen doctrina Lyncæi, si ad verba ipsius attẽdamus ad hoc, vt res sit spiritualis, necessarium est, vt nullam corporis conditionem habeat; iuxta omnium enim Sũmulas *nõ habere aliquam conditionem corporis*, idem est, *ac nullã corporis conditionem habere* Si vero ad eius attendamus mentẽ, ne sibi contradicat, aut doctrinam suã male componat, iudicandum est ad rẽ spiritualẽ sufficere, quod aliqua careat cõditione propria corporis pure talis, etsi habeat alias, dummodo alias duas priores negationes sortiatur, videlicet, quod nec sit corpus, nec à corpore dependeat. Vt tamẽ res non solum sit proprie spiritualis, sed etiam spiritualis pure, sex conditiones corporis debet omnino exuere, sexque oppositas admittere. Hæc est doctrina Lyncæi à mendis, & æquivocationibus depurata.

2811 Etsi contra Lyncæum obijcias, quod intellectio angelica est spiritualis pure, & tamen nõ habet sex conditiones, quas ipse entibus pure spiritualibus assignat, cum immortalis non sit. Resp. 1. negando pure spiritualẽ esse, sed aliquod vestigium materialitatis habere, frequenterque indicat, præter animam rationalem, Angelum, ac Deum, omnia alia spiritualia entia non pure talia, sed simul materialia, & corporea partim esse. Secundo respondet, admittendo intellectionem Angelicam esse pure spiritualem, eã tamẽ aliquomodo immortalem esse dicendo; ait namque eam subiectari in subiecto immortali, quod sufficit, vt immortalis sit æquivalenter iuxta illud proloquium: *Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*. Isto tamen proloquio alios fallat Lyncæus, illud enim nos cũ grano salis intelligendum diximus tum *disp. 1. Physic. q. 19. n. 1573.* tum etiam in hac *disp. q. 4. n. 2779.* & nullus somniavit, quod semper debeat esse tãta perfectio recepti, atque eius, in quo recipitur: nec, si id adhuc requireretur, haberet intentum Lyncæus; inde enim potius inferri deberet intellectionem esse debere formaliter immortalem, quam de facto esse immortalem æquivalenter. Vnde secunda solutione omissa.

2812 Contra primã solutionẽ, & simul contra doctrinã, quæ ad illã ducit, sic argum. nulla res proprie spiritualis potest esse simul corporea; ergo nec intellectio angelica est cor-

corporea partim, nec datur, aut dabilis est res, quæ simul sit spiritualis & corporea. Prob. ant. rem spiritualem esse est incorporeã esse: sed non potest vna res esse proprie incorporea, & simul corporea: ergo non potest vna res esse spiritualis proprie, & simul corporea. Minor, in qua iuxta Lync. est difficultas, prob. incorporeũ, cum idem, sit ac non corporeũ, contradictorie opponitur corporeo: ergo non potest vna ras simul incorporea, & corporea esse. Patet cons. quia alias eidẽ rei prædicata cõtradictoria convenirent. Nec valet dicere ea prædicata posse cõvenire vni rei secundum diversas formalitates virtualiter distinctas, hanc enim responsionẽ reijcit Lync. hac ratione: illa formalitas quę, vt ab alia virtualiter distincta, est spiritualis est etiã corporea: ergo non solũ conveniunt dicta contradictoria diversis formalitatibus sed etiã eidẽ Ant prob. illa formalitas, quæ spiritualis dicitur, est realiter identificata cũ alia, quę dicitur corporea: ergo est corporea. Patet conseq. quia sola dependentia alicuius rei à re corporea sufficit, vt corporea evadat: ergo multo magis identificatio realis. Propter hoc ergo.

2813 Resp. Lyncæus prędicata contradictoria supra memorata posse convenire eidem formalitati, quia ei conveniunt non in ordine ad vnũ tantum conoratum, sed in ordine ad diversa, Angelus enim, qui, per possibile, vel impossibile, esset indivisibilis, & impenetrabilis cum alio, esset spiritualis, vt indivisibilitatem conotans, & corporeus, vt conotans impenetrabilitatẽ. Sed contra est: nã, admisso tali Angelo (idem, cũ proportione tamen, dicendum, admissis alijs entibus, quæ possibilia esse cõtendit Lyncæus ad suam sententiam confirmandam) admisso, inquam, tali Angelo, Lyncæus dicit i lum fore spiritualẽ, & corporeum. Doctores constituentes in penetrabilitate spiritualitatem, illum dicunt fore corporeum: illi denique, qui eam constituunt in indivisibilitate, eum dicũt fore pure spiritualem, quod etiã est, iuxta nostram sententiam dicendũ. Inquiro modo à Lyncæo, aut quæstio circa talẽ Angelum, eo admisso, inter ipsum ex vna parte, & nos, atque alios DD. ex alia, est de re, aut de nomine? De re esse, non potest dici, tum quia id ipsum nos illi Angelo concedimus, quod Lyncæus ipse, videlicet, indivisibilitatẽ, & impenetrabilitatẽ: tum etiã quia *in præsenti tract. 2. cap 1. n. 21.* similem aliam quæst. de re non esse, sed de nomine solum, ipse testatur. Nunc ergo, si de nomine est quæstio, iterũ inquiro ab ipso, an in quæstione de nomine cum ipso solo sentiendum, aut loquendum sit potius, quam cũ communi PP. ac Theologorum sententia? Certe, si cum ipso loquendũ esse dicat, præter suum, & communem modum loquetur.

2814 Sed, prærquamquod sufficeret, vt modus loquendi Lyncæi reijceretur, quod sit contra cõmunem Theologorum, ac Patrum

sententiam, qui omnes valde semper distare existimarunt res spirituales à corporeis, & prædicata corporei, & spiritualis sive incorporei non magis in eamdem posse simul convenire entitatem, ac prædicata creati, & increati: præter hoc, inquam à priori adhuc probo modum loquendi Lyncæi reijciendum: si posset sustineri modus loquendi Lyncæi, maxime, quia prædicatum affirmativum, & negativum verificarentur propter diversa conotata: sed prædicatum negativum non solũ respicit alia conotata, ac affirmativum, sed etiam respicit illa, quæ respicit affirmativum: ergo non possunt verificari propter diversa conotata. Minor probatur; quia negatio est malignantis naturæ, ideoque quidquid post se invenit, destruit, ac negat: ergo negatio supra corporeum cadens omnẽ negat corporeitatem, & in ordine ad quævis conotata, & consequenter illam negat etiam in ordine ad conotata illa, in ordine ad quæ corporeum affirmari potest.

2815 Pluribus exemplis poterat hæc doctrina confirmari, vnum non omittam, quia doctrinam hanc per vtilem valde declarat: dum quis dicit: *Petrus sedet in hac aula*; *Petrus non sedet in hac aula*. Contradictoria affirmat, quæ nec de potentia absoluta possunt simul verificari: bene posset quis cogitare, quod dum dico: *Petrus sedet in hac aula* intelligo in hoc sedili huius aulæ; & dum dico: *Petrus non sedet in hac aula* intelligo in alio sedili huius aulæ; nemo tamen ita intelligit, sed propter negationis malignitatem credit, & bene, quod dum dico: *Petrus non sedet in hac aula*, eum ita in ea sedere nego, vt nec in hoc, nec in alio quovis aulæ sedili eum sedere, dicam: similiter ergo dum vniversaliter communis sententia negationem corporei accipit ita, vt nihil corporei in re, de qua verificatur, relinquat, congruentius ad negationis naturam, & ad modum ea vtendi, loquitur; Lyncæusque male, singulariter, & contra negationis naturam, dum eum restringit. Ex dictis colliges proprietates illas, quas Lyncæus proprias ait esse corporis, non ita proprias esse, quin aliquæ illarum rebus spiritualibus possint convenire, nec oppositas ita proprias spiritualium rerum, quin plures illarum rebus pluribus spiritualibus non raro deficiant; quamvis, iuxta communiorem sententiam, omnes, aut fere omnes illæ substantijs spiritualibus, quæ de facto dantur, adaptentur.

2816 Aliorum sententias supra memoratas specialiter non impugno. Illarum Doctorum satis se se mutuo impugnant. Tantum pro nostræ sententiæ confirmatione sufficiat, quod argumenta, quæ contra selectiores ex illis difficultatem habent, in nostra sententia evanescunt, ita facile, ex dictis in eius expositione,

vt

vt nec ea commemorare, opus sit. Tantum ergo vnum apponam, quod aliquem decipere potest. Objicies ergo species impressæ intellectuales in nobis sunt spirituales, & tamen à phantasmate materiali dependent; cum ad eas efficienter concurrat: ergo non bene spirituale à nobis definitur per independentiam à materiali. Respondetur tamen I. species impressas à Phantasmate non depẽdere, in probabili sententia, vera aliqua dependentia, sed tantum occasionaliter, quatenus præbet intellectui occasionem speciem efficiendi. II. responderi potest, quod si teneamus phantasma efficienter concurrere, dependebunt species à phãtasmatibus in genere causæ efficientis: dependentia autem, quæ obstat spiritualitati, & rem materialem constituit, debet esse in genere causę materialis, sicque intelligenda nostra definitio.

QVÆSTIO NONA.

Vtrum anima rationalis sit immortalis ex natura sua.

2817 ANimam rationalẽ spiritualem esse est catholica veritas; in scripturis enim passim *spiritus* vocatur. In Conc. etiam Later. sub Innoc. III. *in cap. firmiter de Sum. Trinit.* id ipsum his verbis determinatur: *Deus sua omnipotenti virtute ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicã, videlicet, & mundanam: Deinde humanam, quasi communem spiritu, & corpore constantem.* Idem denique ratio ipsa persuadet: res namque spirituales sunt illæ, quæ, ob suam excellentiam, & perfectionem, sunt in superiori ordine ad omnes res corporeas, & visibiles: sed anima rationalis magnam excellentiam supra res omnes visibiles habet; cum supra suos actus reflectat, intelligereque possit, & velle: ob eam ergo in superiori ordine ad omnes res corporeas est collocanda, qui ordo est rerum spiritualium: ea ergo spiritualis est.

2818 Posito ergo, quod anima rationalis sit spiritualis, apud eos, qui indicant omne ens spirituale immortale esse, statim sequitur, quod sit immortalis. Quia tamen, quod immortalitas ad spiritualitatẽ necessario sequatur, verum non est; cum plura accidẽtia spiritualia immortalia non sint, propterea, adhuc supposita spiritualitate animæ, restat locus dubitandi, an ea immortalis sit. Eam autem immortalem esse nõ licet catholicis dubitare, est enim firmissima veritas definita in Conc. Lat. sub Leon. X. *sess.* 8. habeturque etiam in Scriptura sacra: *Eccles. 12.* enim dicitur: *Ibit homo in domũ æternitatis suæ.* Et passim Evãgelia præmia æterna promittunt, pœnasque æternas cõminãtur, quod impleri non posset, si animæ nõ futuræ essent ęternę. Præterea eadẽ veritas prob. ratione. I. quia videmus homines pios, & virtuosos sæpe sę-

pius ærumnis, & calamitatibus plenos; ècontra vero malos, & scelera-tos præmia, dignitates, commoditatesque huius vitæ abundanter potiri, nullasque pro peccatis pœnas luere: nisi ergo male sentiamus de divina providentia, censendum, post hanc vitam animam permanere, quæ pœnas, & præmia, pro suorum operum dignitate, possit accipere. 11. quia assensus immortalitatis animę spiritus magnanimos generat, in adversis fortes, ac patientes, in prosperis humiles, & modestos, ad omnemque honestatem, ac virtutem promptos; doctrina vero contraria de animę mortalitate spiritus generat pusilanimes, pavidos in periculis, in prosperis tumidos, ac superbos, voluptatum amatores, omniũque sectatores vitiorum: credendum ergo est assensum de immortalitate animæ verum esse, & oppositũ falsum, non vero ècontra; quis enim credet doctrinam fallam tot bona, veramque tot mala parere posse?

2819 Et si dicas hæc tantum probare, animam post mortem hominis aliquandiu permanere; non tamẽ, quod in æternum permaneat. Contra 1. quod concilia, & scripturæ non solum, animam post mortem permansuram, sed permansurã in æternum testantur. 11. contra, quia peccata contra Deum commissa pœnam merentur æternam, vt Theologi probant: dignum ergo est, vt præmio æterno donetur anima, quæ, si peccasset, pœna æterna erat punienda. Et si dicas sufficientem pœnam fore anihilationem. Contra est, quia, eo ipso, quod anima esset mortalis, anihilatio esset iam debita consequenterque non bene per illam puniretur peccator, qui eodem modo, eam subiturus esset, si non peccasset. Propter hæc ergo dubitare non licet de animæ immortalitate. Potest tamen esse dubium, an ea immortalitas animæ conveniat ex dono, & gratia Dei; an vero ex natura sua, quapropter consulto ea verba *ex natura sua* in titulo quæstionis sunt posita: modoque ea quæstio est controvertenda.

2820 Circa hanc ergo quæstionem P. Vazq. tenet, quod quamvis anima rationalis sit immortalis, quia à nulla causa secunda destrui potest, comparata tamen ad causæ primæ potentiam naturaliter est destruibilis, solumque, ex ipsius dono gratuito, & indebito, perseverat, & immortalis est. Dicendum tamen est, cum communi sententia, animã rationalem non solum immortalem esse, quia à causa secunda non potest naturaliter destrui, sed etiam, quia nec à prima causa destrui naturaliter potest. Probatur autem cõclusio ista: omnis res tandiu in esse suo, quod accepit, perseverat, quãdiu ipsa à contrario aliquo non destruitur, & sua causa conservans ab eius conservatione, ob aliquod impedimentum, non retardatur: sed anima rationalis, postquam producta est, nunquam à contrario potest destrui, eiusque causa conservans nunquam, ob vllum impedimentũ,

ab

ab eius conservatione retardatur: ergo anima rationalis, postquam producta est, nunquam destruitur, sed semper potius ex natura sua conservatur. Huius syllogismi consequentia optima est, præmissæ autē sunt singillatim ex professo probandę.

2821 Probo ergo maiorem: si, deficiente cōtrario, absenteque causæ conservantis impedimento, aliqua res non peteret aliquando durare, maxime, quia sunt aliquæ res, quæ, transacto determinato tempore, aut non petunt vlterius conservari, aut positive petunt destrui: sed nulla res est, quæ absente suo contrario, & suæ causæ conservantis impedimēto, petat destrui, nec etiā, quæ non petat vlterius conservari: ergo nulla res est, quæ, absente contrario destruente, ac suæ causæ impedimento, aliquando non duret, sive nō petat durare, proindeque omnes res tandiu durare petunt, quandiu tale contrarium, ac impedimentum abest. Maior est contrariorum doctrina, qui existimant, aliquas esse res, quæ habent terminos intrinsecos durationis ita, vt postquā determinatum tempus duraverint, etiamsi nullum adsit contrarium, nec vllum suæ causæ impedimentum, pereant, quia aut petunt concursus subtractionē, vel saltim quia eiusdem non petunt conservationē. Minor autem probatur: omnes res habent appetitum, quantum est de se, semper durandi: ergo nulla est res, quæ post determinatum tempus, cōtrario non vrgente, nec causa impedita, amplius non petat durare. Antecedens probatur experientia ipsa, qua videmus tum, quod nulla res intereat, nisi aut contrario suo eam destruente, aut aliquo impedimento eius cōservationem causæ obstante: tum quod, quātumcumque res duraverit, adhuc contrario eam destruere conanti resistit, adeoque contrarium ab ipsa repatitur, quapropter in adagium abijt, quod omne agens in agendo repatitur: si autem essent aliquæ res, quæ, post determinatum tempus, iam amplius non peterent durare, eo tempore transacto, absque vllo contrario suo, aut causæ impedimento, interirent. Similiter, si accederet contrariū, absque vlla ei cederent resistentia: quod ergo nunquam sine resistentia cedant, & quod nulla res vnquam absque contrario, aut causæ impedimento interierit, signum est apertum, quod nulla datur, quæ terminos intrinsecos suæ durationis habeat, & quæ aliquando vlterius durare non petat, & cōsequenter multo minus, quæ vlterius petat non durare, suique conservationis petat cessare concursum.

2822 Iam minor primi syllogismi positi *n.* 2820 facile probatur: in primis enim à contrario aliquo destrui non potest anima rationalis; quia, cum contrarium non habeat, solum destrui posset à contrario introducente dispositiones ipsius animæ conservationi contrarias: sed nullæ dispositiones sunt possibiles, quæ animæ rationalis conservatio-

ni sint contrariæ: ergo anima rationalis à nullo contrario destrui potest. Minor constat, quia, quamvis aliquæ requirantur dispositiones, vt anima conservetur vnita materiæ, vt tamen ipsa secundum se conservetur, nullæ requiruntur; cum ipsa per creationem producatur, consequenterque sine dependentia à materia, aut ab vlla eius dispositione: quamvis ergo dentur dispositiones, quæ obstare possint vnioni animæ ad materiam, eiusque vnionis conservationi, tamen, quæ animæ conservationi possint obstare, nullę dãtur dispositiones, ac proinde eius conservationem absolutam, nullarũ dispositionum introductione potest aliquod contrarium impedire. Deinde vero, quod anima destrui non possit propter impedimentum aliquod, aut obstaculum causam eam conservantem impediens, aut retardans, clarum est; cum causa eam conservans Deus sit solus, qui à nullo potest impediri, aut retardari.

2823 Hic tamen adverte, quod M. Aguirre *disp. 79 sect. 3.* probandum assumit, quod anima rationalis, non vtcumque immortalis sit; sed ab intrinseco, & essentialiter & quod id sit fide certum. Vnde videri potest I. ipsum damnare, vt erroneã sententiam P. Vazq. nobis oppositã, quod nos non facimus. II. quod ipse magis immortalem iudicet, quam nos, animam rationalem. Neutrum tamen illorum intendit; animam enim rationalem *essentialiter* asserit immortalem, quatenus eam essentialiter asserit indestructibilem per corruptionem strictam generationi correspondentem. Nos autem in eo, quod id genus immortalitatis animæ essentialiter conveniat, difficultatem nullam sentimus; dubitamus autẽ, an proprie id genus indestructibilitatis immortalitas possit appellari; quia rem aliquam immortalẽ esse idem profecto significat, apud nos, & communiter, atque æternam esse. Si autẽ de immortalitate sic accepta sit sermo, non modo essentialem, verum neque connaturalem immortalitatem animæ concedit prædictus M. cum *sect. 5. n. 50.* asserat: *Nec animam rationalem, nec Angelos habere ius aliquod naturale, ne anihilentur à Deo.* Vnde potius P. Vazq. consentit minus immortalitatis, quam nos, animæ tribuenti, quam ei amplius aliquid contendat largiri. Quatenus autem nostræ sententiæ contradicit, nihil affert, quod solutione indigeat.

Soluuntur argumenta.

2824. Obijcies primo plures Sacræ Scripturæ Authoritates 1. *Eccleſiaſt. 3. Vnus eſt interitus hominis & iumentorũ & æqua vtriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius.* Sed anima iumẽti in morte corrũpitur: ergo & anima hominis. 2 authoritas est *ex c. 2 Sapient.* vbi dicitur: *Ex nihilo facti ſumus; & poſt hoc erimus quaſi*

quasi non fuerimus. 3. est Iob 14. *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum revirescet.* Et inferius paulò: *Homo, cum dormierit, non resurget.* Respondetur ad 1. authoritatem in ea sermonem esse de morte corporis, & compositi; cum animam in domum æternitatis iturã & consequenter disparem esse, ex ipso Ecclesiastes supra pro nobis adducto constet. Vel secundo resp. cum D. Gregorio 4. *Dialog cap.* 4. Loqui ibi Salomonem in persona impiorũ. Quæ responsio 2. authoritati potest etiam applicari; initio enim eius capitis dicitur: *Dixerunt impij cogitantes apud se non recte.* Sic autem potius ex his authoritatibus nostra sententia roboratur. Ad 3. denique authoritatem respondetur, ibi esse sermonem de vita totius hominis, denotarique ipsum non posse post mortem naturaliter resurgere, vt ramus naturaliter post abscisionem revirescit.

2825 Secundo obijcies mors, & eius memoria naturaliter omnibus causant horrorem: sed non esset cur illum causarent, si anima præcipua hominis pars post mortem permaneret: ergo post illam non permanet. Respondetur negando minorem, quia, quamvis permaneat anima, sunt causæ in morte sufficiẽtes, ad horrorem causandum; prima enim est dolores, quos secum solet mors afferre; secunda separatio ab amicis, & notis, & rebus omnibus sensibilibus, sensibilia enim movent frequenter magis, quam, quæ solo intellectu percipiuntur, quamvis præstantiora hæc sint. Denique hoc ipso, quod anima post mortem permaneat est maior causa horroris, propter incertitudinem sortis, quę post mortem est eventura. Vnde id ipsum, quod argumentum conatur sufficere ad horrorem vitandum, illum præcipue causat. Tolerabilior quidem foret multis depravatis mors, si in ea animam interire crederent.

2826 Argumenta posita diriguntur ad probandum immortalitatem animæ non convenire; quę vero sequuntur probare intendunt, eam saltim animæ non convenire ex natura sua. Obijcies ergo tertio authoritatẽ ex Epistola Sophronij approbata ab Synodo generali. *Act.* 11. vbi dicitur: *Intellectualia, atque indiuisibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur; non tamen sunt immortalia per naturam; sed per gratiam.* Respondetur tamen, donum, & gratiam posse sumi dupliciter. Primo pro eo, quod Metaphysice negari potest. Secundo pro eo, quod non debetur iuxta exigentiam naturæ. Igitur dum in Concilio dicitur immortalitas animæ convenire *per gratiam*, intelligitur per gratiam in primo sensu; non tamen in secundo. Dumque dicitur, quod non conveniat ei *per naturam*, intelligitur, quod ei non conveniat ex natura sua, & essentialiter, sine gratia in sensu explicato; sic enim, hoc est

est, sine gratia in vllo sensu, & Metaphisica necessitate, soli Deo convenit immortalitas, in eoque sensu dixit Paulus: *Qui solus habet immortalitatem*. Quod autem in II. sensu non sit gratia, constat, tum ex ratione nostrę conclusionis, tũ quia *in Conc. Later. citato num.* 2818. id videtur definiri; cum ibi dicatur, animam natura sua esse immortalẽ, eaque Concilij definitio non solum fulminetur contra negantes animæ immortalitatem, sed etiam contra eos, qui talem immortalitatem animæ, secundum Philosophiam saltim non convenire dicebant.

2827 Quarto obijcies: plures sunt res, quæ corrumpuntur, & desinunt esse, quamvis nullum adsit contrarium, nec vllum habeat causa earum productiva impedimentum; quia, videlicet, ipsæ, ex natura sua non petunt amplius durare, determinato tẽpore transacto: ergo eiusmodi potest etiam esse anima rationalis, ac proinde mortalis poterit esse, quamvis nec possit ab vllo destrui contrario, nec eius causa ab vllo impedimento retardari. Antecedens probatur I. in impulsu projectorum. II. in impressis speciebus tam sensuum, quam intellectus, & in eius habitibus: III. in durationibus, quarum singulæ essentialiter petunt tali tempore, & nõ amplius durare.

2828 Respondet ad hoc argumentum quidam ex nostris Recentior, negando consequentiam; quia quamvis sit aliqua res terminum intrinsecum suæ durationis habens; & quæ, aliquo tempore transacto, non petat amplius durare; talem tamen esse animam nec probatur, nec probari potest; sed potius eius perfectio, & excellentia in oppositam conditionem manuducit. Ergo vero fateor argumenti consequentiam recte à R. nostro negatam; sed quia, antecedenti concesso, tollitur vis nostri vltimi ratiocinij, respondeo negando antecedens. Ad I. probationem constat ex dictis à nobis in Physica ibi enim diximus, quod, quamvis falsum sit, quod impulsus petat subtractionem concursus ipsum conservantis, & etiam, quod non petat ipsum cõcursum amplius durare, adhuc inveniri potest causa corruptionis illius, ibi videatur *disput. 7. q. 3.* Ad II. probationem respondeo species impressas sensuũ corrumpi ob absentiã obiecti, quod est causa illas conservans, nonque quia ipsæ non petant amplius durare. In speciebus autem intellectualibus, & habitibus etiam est eorum corruptionis causa debilitas causæ conservantis, & impedimentum eidem obiectum, decursu namque tẽporis, cum novæ species adveniant, novique habitus, ad quorum conservationem, novitate ductus, intellectus magis attendit, sæpe eius virtus ita minuitur, vt antiquos habitus, & species non possit conservare, quia *pluribus intentus minor est ad singula sensus*, adeoque, vt novos habitus, & species in mediocri perfectione conservet, ab antiquos

quorum conservatione non raro cogitur cessare. Ad III. denique probationem respondeo durationem, si pars intrinseca sit, non alligari alicui tempori, cum quoad intrinseca, possit millies ipsa, & eadem numero, iuxta nostrum Philosophandi modum, re produci. Si autem duratio sumatur, secundum quod tempus etiam extrinsecum, aut connotat essentialiter, aut includit, ea non potest post determinatũ tempus durare; sed non est quia ipsa petat corrumpi; sed quia tale connotatum, videlicet, tempus, non durat. Imo, quamvis duratio terminum intrinsecum modo dicto haberet, inde ad nullam aliam rem consequentia valeret; cum omnes disparitatem in ea assignare teneantur; nullus enim dicit, quod inter alias res sit vlla, quæ petat solo vno instanti durare; cum tamen duratio quævis, si argumentum teneat, vno instanti solo durare poscat.

2829 Sed replicabis: lux in hoc aere diffusa perit, absente sole, dum in aliud, scilicet, transit emisphærium: ergo quia ipsa non petit amplius durare. Respondeo distinguẽdo consequens; quia non petit amplius durare, impedita causa, concedo consequentiam, quia, secundum se sumpta non petat amplius durare, sed habeat terminum intrinsecum durationis, nego consequentiam; alias namque, si Deus faceret miraculum, quod sol vna hora amplius solito detineretur in hoc emisphærio, per totam illam horam, si aliud miraculũ non efficeret, essent in eo tenebræ, quia lux, quæ in eo ante illam horam erat, iam pervenit ad terminum intrinsecum suæ durationis.

2830 Sed replicabis iterum: si lux quando corrumpitur, secundum se, peteret amplius conservari, & non esset in termino durationis, etiã causa illius impedita, aut deficiente, non deficeret: sed hoc est contra experientiam: ergo dicendum est eã deficere, quia non petit amplius cõservari, sed pervenit ad terminum durationis suæ. Maior probatur; quia calor ab igne productus eo ipso, quod in vno quadrante non perveniat ad terminum suæ durationis non solum petit conservari, præsente igne, à quo est productus, sed etiam, absente illo, petit à Deo, vice ipsius conservari: ergo similiter, si lux peteret per horam v. g. conservari, præsente luminoso, quia non pervenit ad terminum suæ durationis, etiam luminoso absente, peteret à solo Deo conservari. Respondetur tamen negando maiorem: ad cuius probationem nego consequentiam; quia ob diversam naturã lucis, & caloris, diverso modo eis Deus indidit exigentias; calor enim contrarium habet, ideoque quamvis petat conservari non solum in præsentia ignis, sed etiam in eius absentia à solo Deo, adhuc poterit pati corruptionem; poterit enim corrumpi ad exigentiam contrarij. Lux vero cum contrarium non habeat, si exigeret conservari, tum in præ-

præsentia, tum etiam in absentia luminosi, nunquam corrumperetur: cum ergo Deus voluerit lucem etiam corruptibilem fore, vt conformetur rebus alijs materialibus, ei indidit exigentiam, vt conservetur à causa secunda, dum non est impedita, non tamen, vt, dum ea est impedita, petat primam, loco illius, substitui, eamque conservare.

QVÆSTIO DECIMA.

Vtrum anima rationalis sit indivisibilis.

2831 SEX conditiones, quas rebus spiritualibus appropriabat Lyncæus omni enti spirituali competere, supra negavimus. Quod vero omni substantiæ spirituali ipsæ competant, nec negavimus, nec concessimus omnino: vnde, an ipsæ animæ rationali, quæ est vna ex substātijs spiritualibus, competant, paulatim investigamus. Vidimus autem iam quæst. præcedenti, quod vna earum, quæ immortalitas est, ipsi, competat. Deinde certum est, & nobis ipsis expertum, quod conveniant animæ aliæ duæ, scilicet, quod rationalis sit, & quod libero arbitrio sit prædita. Quod autem invisibilis, sive insensibilis sit, etiam experientia est compertū. An autem possit sentiri de potentia absoluta per sensus nostros, aut per alios possibiles ab his specie diversos, etsi sententia negativa ab omnibus recipiatur, non est tamen sine controversia, quæ tamen, cum non sit specialis de anima, sed de quacumque re spirituali, non est huius loci propria *Vide n. 2978.* Deinde, quod animæ conveniat altera ex dictis cōditionibus, quæ penetrabilitas dicitur, verius videtur, si forte tamen aliquam continet difficultatem, in materia de Angelis est vincenda, dum eorum penetrabilitas defendatur. Tantummodo ergo iam, vt omnes percurramus conditiones, videndum restat, an sit integraliter indivisibilis anima rationalis: ad hoc ergo hæc quæstio instituitur, in qua etiam, an sit indivisibilis essentialiter, videbimus, quidquid sit, an hoc ad spiritualitatē spectet: propterea titulum communem apposui ad vtramque indivisibilitatem.

2832 Dico ergo primo anima rationalis non est divisibilis, & cōposita essentialiter, sed simplex, & indivisibilis. Probatur conclusio; quia compositio essentialis est ex materia, & forma: sed anima rationalis non componitur ex materia, & forma: ergo non est composita essentialiter; sed potius simplex, & indivisibililis. Minor probatur: quia nec anima rationalis componitur ex forma spirituali, & materia corporea, aut ècontra; cum solummodo materiam informet corpoream; in se tamen nihil corporei includat: nec est cōposita ex materia, & forma spirituali; quia adhuc admisso, quod sit possibilis materia spiritualis, de quo in materia de Angelis, ex

ex illa non componi etiam probatur: quia anima est materiæ corporalis forma: ergo ipsa non componitur ex alia materia, & forma. Antecedens est constans, & consequentia probatur: quia, si forma huius nostræ materiæ componeretur ex alia materia, & forma, etiam illa forma, ex qua prima componebatur, eodem iure, posset componi ex alia materia, & forma: & similiter ista vltima forma, sicque in infinitum: ne ergo processui in infinitum aditus pateat, dicendum quamlibet formam esse entitatem simplicem ex materia, & forma non compositam, puramque, & simplicem formam esse, quin aliquid habeat materiæ, sicut materia prima, cum qua componit, ita pure est materia, vt nihil habeat formæ substantialis.

2833 Dico secundo: anima rationalis est etiam indivisibilis integraliter. Istam conclusionem ita vnanimi consensu tenent Doctores omnes, vt multa probatione non egeat, sed sufficiat, quod in oppositum nulla vrgens adduci possit. Sed præterea probatur: quia, si anima rationalis est divisibilis, cum brachium ab homine abscinditur, pars animæ, quæ erat in illo, aut ab illo separatur, aut corrumpitur: neutrum dici potest: ergo potius dicendum, animam rationalem non habere partes, sed esse integraliter indivisibilem. Minor probatur; in primis enim non potest dici, quod corrumpitur, alias esset mortalis; cuius oppositum iam probavimus. Deinde non potest dici, quod separatur; sic enim, si abscinderetur brachium, dum homo esset in peccato, & deinde totus homo in gratia decederet, pars animæ cruciaretur in inferno, altera parte beata existente in Cœlo, quod est absurdum. Videatur Oviedus *in præsenti controvers.* 1. *punct.* 5. Qui solutiones aliquas, quæ huic argumento adhiberi possunt, optime præcludit.

Solvuntur argumenta.

2834 Objicies primo: si anima indivisibilis posset informare corpus divisibile, posset etiam informare corpus, quantæcumque magnitudinis esset: sed non potest corpus cuiuscumque magnitudinis informare: ergo neque corpus divisibile, si sit indivisibilis, consequenterque, vt corpus divisibile informet, necessario divisibilis debet esse. Respondetur negando maiorem, quia, vt anima informet corpus, debet istud habere organizationes proportionatas ad vitales operationes exercendas; cumque tales organizationes, in debita proportione, non possint in magnitudine quacumque reperiri, non potest anima cuiuscumque magnitudinis informare corpus ex eo, quod, cum sit indivisibilis, informet corpus divisibile.

Secun-

2835 Secundo obijcies: si anima esset indivisibilis, dum brachiũ movetur sursum, & manus deorsum, tota anima sursum, & deorsum moveretur: ergo moveretur motibus cõtrarijs: cumque hoc dici neqceat, dicendum potius eam esse divisibilem. Respondetur, motum sursum, & deorsum esse oppositos, comparative ad rem existentem in vnico loco; non tamen comparative ad rem existentem in multiplici loco, etsi inadæquato. Adverte tamen, quod, si præsentia animæ, quæ existit in loco adæquato divisibili, sit indivisibilis, illi motus respectu animæ non duo erunt, sed vnus tantum; cum vnus terminus correspondeat, & indivisibilis, nimirum indivisibilis præsentia adquisita: si vero præsentia animæ sit divisibilis, erunt duo motus inadæquati, non quia tota anima non moveatur per vnumquemque, sed quia non movetur secundum totam præsentiam, & locum occupatum.

QVÆSTIO XI.

Vtrum animæ materiales sint indivisibiles.

2836 Vidimus, iam quod anima rationalis, quæ immaterialis est, sit indivisibilis; nunc id ipsum visuri sumus de animabus materialibus. Igitur circa animas animalium perfectorum magna est inter RR. contentio, aientibus Thomistis communiter eas indivisibiles esse, quibus etiam suffragantur aliqui Iesuitæ, inter quos sunt Suarez de anima, etsi in parte eius posthuma, quapropter ex dictis ab eo in Metaph. iudicatur eum mutasse sentẽtiam: Conimbric. Lyncæus in Met. *lib. 9 tract. 1. c. 3.* & Ripalda in M. S. Iesuitis tamen communius, & Scotistis aiẽtibus tales animas divisibiles esse. Circa animas autem plantarum, & animalium imperfectorum, quæ ab alijs sectilia vocantur, qualia sunt angues, colubri, lacertæ, lumbrici, aliaque similia, communiter RR. conveniunt, eas esse divisibiles, etsi aliqui referantur ex antiquis oppositum existimantes. Iam tamen hos antiquos sequuntur Lyncæus *lib 9. Met. cap. 3.* & Quiros *in præsenti disp 81. sect 2.*

2837 Dico ergo primo animas plantarum, atque animalium imperfectorum divisibiles esse Hæc conclusio, vt dixi est inter RR communis & contra Lyncæum, & Quiros. Probatur tamen quia partes plãtarum, & animalium imperfectorũ abscissæ adhuc vivunt, vt testatur experientia: ergo in vtraque est anima: consequenterque ea est divisibilis. Etsi primo dicas motum in prædictis partibus non fieri ab anima, sed à spiritibus vitalibus. Contra est quia tales animalium partes non solum moveri, experientia constat, sed etiam sentire, & fugere ictum pungentis: ergo quia habent animã, vereque vivunt. Nec secundo valet dicere, in partibus abscissis non re-

ma-

manere animam pristinam animalis, sed, ipsa corrupta, in quavis parte secta aliam de novo produci. Hæc namque doctrina omnino incredibilis omnibus videtur, & merito; quis enim credat ingentem quercum, si ab eo parvum abscindas ramum, statim animam antiquam perdere, aliāque omnino de novo adquirere.

2838 Deinde, in animantibus sectis quodnam agens tam cito duas illas formas producit? Respondet Lyncæus, quod Deus: veluti in omnium sententia, quando repente interficitur animal, producit formam cadaveris. Sed contra est, quod Deus non producit formas similes, nisi dū datur exigentia ad illas, & defectus causæ secundæ: sed in posito casu non datur exigentia ad tales formas: ergo Deus illas non producit. Minor probatur: quia exigentia, quæ dari potest sunt dispositiones ad illas formas: sed non dantur sufficientes dispositiones, vt illæ formæ primo producantur: ergo non datur exigentia. Minor probatur: illæ debent iudicari sufficientes dispositiones, vt producatur forma, quæ sufficerent, vt ea produceretur ab agente creato, si adesset: sed tales dispositiones non reperiuntur in singulis partibus animalis abscisi; cum non reperiantur omnia organa illius viventis, sine quibus nunquam ab agente naturali producitur. Sed dices: cum illa organizatione imperfecta, seu partiali conservatur, iuxta nostram sententiam, anima antiqua: ergo in ipsa poterit à Deo produci. Contra tamen est: quia facilius est, & minor dispositio est necessaria ad conservationem formæ, præsertim pro pauco tempore, quam ad primū eius productionem: ergo facilius conservabitur forma antiqua in illis partibus materiæ, quam nova in vnaquaque producatur. Antecedens constat, quia alias aliquando posset in eis partibus partialem tantum organizationē habentibus primo produci forma ab agente naturali creato, quod nemo vidit, nec credere audebit. Quod autem facilius in forma cadaveris producenda, & cum maiori necessitate ad Deum sæpe recurratur, constat ex dictis *in Physica disp. 1. q. 14. num. 1494.*

2839 Dico secundo: animæ materiales animalium perfectorum etiam sunt divisibiles. Probant aliqui conclusionem ex eo, quod de ratione rei materialis est, quod sit divisibilis. Sed nos aliter supra explicavimus materialis entis rationē. Aliqualem tamen cōiecturam desumit nostra conclusio ex eo, quod, etsi conceptus materialitatis non cōsistat in divisibilitate; tamen nulla res materialis invenitur, de qua constet indivisibilem esse. Sed, quidquid de hoc sit, probatur conclusio nostra: animalia perfecta per nutritionem adquirunt novam partem formæ: ergo forma illorum habet partes, & consequenter indivisibilis non est. Probatur antecedens: animalia perfecta in nutritione vniunt animam sensitivam novis materiæ partibus: sed non possunt

vnire

vnire animam in ipsis præexistentem secundum se totam: ergo novam partem, quam vniant, debent producere. Minor, in qua est difficultas, probatur: anima materialis nequit vniri alicui subiecto, quin dependenter ab illo producatur: sed anima materialis, quæ præexistit, nequit produci dependenter à novis partibus materiæ advenientis: ergo anima, quæ præexistit, secundum se totam nequit partem materiæ de novo advenientem informare. Minor constat, quia forma præexistens, vt à causa adæquata materiali, dependet à materia præexistenti: ergo non potest dependere materialiter à parte materiæ de novo advenienti.

2840 Respondebis tamen primo ex Magist. Sancto Thoma, bene posse formam dependenter ab vna materia produci, & postea conservari in eodem genere causæ materialis ab alia: sicut etiam materia in genere causæ formalis fuit primo causata à prima forma, quam habuit; in eodem autem genere conservatur ab alijs succedentibus. Secundo respondebis dari novam dependentiam partialem totius formæ à parte materiæ adveniente, quamvis similiter detur alia totalis à præexistenti: quod naturaliter contingere potest; quia, quod non posset dari duplex causalitas totalis; aut vna totalis, & alia partialis eiusdem effectus, provenit ex eo, quod altera esset superflua: sed in casu argumenti adhuc nova causalitas partialis non esset superflua; cum necessaria esset, vt forma vniretur novæ materiæ parti: ergo in casu argumenti posset naturaliter contingere.

2841 Sed contra primam solutionem est primo, quod non potest facile credi, quod res, quæ in prima sui productione ab vna materia causatur materialiter, postea in conservatione ab alia materialiter causetur; cum hoc solum possit dici ad hanc difficultatem effugiendam. Nec exemplum formæ iuvat, tum quia forma non causat, adhuc formaliter, entitatem materiæ, iuxta veriorem sententiam: vnde cadit exemplum. Tum quia, ea doctrina Thomistica admissa (quamvis sit ex doctrinis, quæ difficile percipiuntur) adhuc exemplum contra ipsos potest retorqueri; materia namque ab vna forma primo causata, paulo post est sub alia, atque alia forma, ita vt de eo non possimus dubitare: cur ergo ab eis non dicetur conservari? Forma vero materialis, quæ semel est sub vna materia, seu in vna materia, nūquam est visa in aliam transire: cur ergo non iudicabimus eam magis pendere à materia primo eam causante, quam materia à forma primo causante ipsam? Sed, quidquid sit de hoc.

2842 Contra secundo: conservatio formæ materialis à nova materia adveniēte est eductio talis formæ à tali materia, quamvis nō prima, sed supponens formam tempore antecedenti ab alia materia eductā: sed contingere nequit, quod forma præexistens in materia educatur ex par-

parte materiæ advenientes: ergo contingere nequit, quod ab ea in genere causæ materialis conservetur. De maiori dubium esse non potest; sicut enim causare formam materialiter primo est eam à materia educi, ita vt antecedenter non fuerit educta, sic conservari eam in eodem genere erit eam educi, ita vt prius supponatur educta. Consequentia est legitima, & probatur minor: eductio, qua talis forma educi debet ex nova materia, est passio: ergo cum aliqua actione debet identificari: sed non potest identificari cum aliqua actione: ergo non potest dari talis passio. Probo minorem subsumptam: si talis passio identificaretur cum aliqua actione, maxime cum actione agentis, quod est causa nutritionis: sed cum ea nequit identificari: ergo cum nulla. Maior debet esse constans, quia nulla causa efficiens potest assignari, naturaliter loquendo, eductionis, qua educitur forma ex parte materiæ per nutritionem adquisita, nisi quæ est causa nutritionis: ergo cũ eius sola actione potest identificari talis passio. Minor autem probatur: si cum actione agentis, quod est causa nutritionis, identificaretur talis passio, principium *quo* nutritionis esset principiũ effectivum formæ, quæ per eam causatur, sed principium *quo* nutritionis est ipsa forma præexistens: ergo esset sui, vt conservatæ, vera causa, & principium *quo* effectivum: sed hoc nequit contingere naturaliter, imò nec Divinitus iuxta probabiliorem doctrinam à nobis *disp. 2. physic.* traditam: ergo contingere nequit, quod ea ex nova parte materiæ eductio cum actione agentis, quod est nutritionis causa, sit identificata.

2843 Nec secunda responsio est magis satisfaciens; sic enim contra eam insurgo 1. quia, iuxta dicta à nobis in physica tunc aliqua causalitas est iudicanda superflua, quando ad munus causandi non est necessaria, etsi possit cogitari aliud munus, ad quod vtilis, aut necessaria esse possit: sed, suppositâ vna causalitate adæquata, alia neque inadæquata necessaria non est ad munus causandi effectum: ergo iudicanda est superflua, & naturaliter impossibilis. Præterea insurgo 2. ex doctrina num præcedentis: nam eductio partialis materiæ novæ debet esse cum aliqua actione identificata: ea autem non potest esse alia, quam actio agentis, quod est causa nutritionis, & est ipsa anima præexistens: ergo ab eadem anima causatur efficiẽter ipsamet anima: quod est inconveniens contra 1. solutionem nuper illatam.

2844 Sed respondebis deinde tertio formam materialem solum dependere in genere causæ materialis à partibus primigenijs, aut præcipuis materiæ; non autem à reliquis, quæ per nutritionem adquiruntur, sed eas tantum modo informare. Sed contra est primo, quia, cũ forma æquè informet omnes viventis partes, dicere, quod ab aliis dependet,

ab alijs non, est sine fundamento divinare. Secundo est contra: quia, cum partes tam primigeniæ, quam præcipuæ sint cum alijs de novo adquisitis intermixtæ, anima materialis dependebit à partibus materiæ quasi per saltum, ita vt dependeat ab hac, & à duabus sequentibus non dependeat; deindeque dependeat à quarta, & à duabus sequentibus non: quod est satis mirabile, & incredibile. Contra etiã tertio: quia decursu temporis etiam deperduntur, novis advenientibus partibus, partes illæ præcipuæ, & primigeniæ, vnde continget à pauciſsimis, aut etiã à nulla parte materiæ formam materialem dependere. Contra adhuc quarto, quia iuxta Arist. potentia nutritiva à generativa non distinguitur: sed per potentiam generativam forma materialis educitur ex materia, cui vnitur, & quam informat: ergo etiã per nutritivam forma à materia, quam novit er informat, debet educi.

2845 Sed insuper respondebis quarto, ex Linceo non esse inconveniens, quod forma materialis à multiplici materia educatur, quia causa materialis est improprie causa, & non repugnat duplex causa adæquata impropria, quamvis duplex propria nequeat admitti. Sed contra est primo, quod probatum est à nobis, quod causa materialis sit proprie causa, vnde ruit solutionis fundamentum. Contra etiã secundo: quia, dato, quod materia sit impropriè causa, non est quia aliquod verum munus erga formã non habeat; sed quia illud munus causalitatis nomen cũ proprietate non meretur: ergo si duplicetur illud munus, non erit sine superfluitate, quam non minus natura abhorrebit in eo munere, sive sit appellandum proprie causalitas, sive aliud nomen sit ei tribuendum.

2846 Sed adhuc ex ipso Linceo respondebis quinto causalitatẽ materialem esse vnionẽ: cum ergo nullum sit inconveniens, quod eiusdem formæ detur duplex vnio ad duplicẽ materiã, vt exemplo animæ rationalis constat, inconveniens etiam non erit, quod duplex detur materialis causalitas. Denique ex eodem Linceo sexto respondebis paulo aliter, materiam non causare formã quoad eius *esse*; sed quoad eius *in esse*, sive vnionẽ: vnde nec est necessariũ, quod forma causetur à materia nova adveniẽte, nec, quod duplex materia eundẽ effectũ causet, sed nova materia causabit novam vnionẽ, & antiqua antiquam. Sed quod istæ solutiones nõ subsistant, constat ex eo, quod fundantur in doctrina falsa nimis, *vt in phys. disp. 2. q. 17.* contra ipsum Linceum à nobis ostensum est; ex ea enim, ipso fatente, sequitur, quod in re non magis materia causet formã, quam forma materiam, meque iudice, etiam, quod materia æque causet formam rationalem, ac materialem, quæ quam bene inferantur, & quam male sonent, si non satis percipis, vide ibi dicta à nobis.

(?)

Sol-

Solvuntur argumenta.

2847 Objcies primo: possibiles sunt formæ materiales indivisibiles: ergo tales de facto dantur in animalibus perfectis. Probatur consequentia primo: quia id spectat ad vniversi ornatum. Secundo: quia non debet transitus fieri ab extremo ad extremum: cum ergo anima rationalis sit spiritualis, & indivisibilis, formæ vero animalium imperfectorum materiales, & divisibiles, mediũ debent tenere formæ animaliũ perfectorum, esseque consequenter materiales, & indivisibiles. Respondetur, concesso antecedenti, quod probabiliter à non paucis negatur, negando consequentiam. Ad primã probationem respondeo non omne ornatum possibile vniversi à Deo esse provisum; cum plures species rerum, quę possibiles sunt, nunquam sint à Deo in vniverso producendę. Deinde etiã est varietas, & ornatus vniversi, quod deatur formæ materiales, & divisibiles; quæ tamen excedant in perfectione formas animaliũ imperfectorum: vnde etiam dictæ formæ animalium perfectorum medium sunt, quamvis non ita accedens ad extremum, quod est anima spiritualis, ac si indivisibiles essent; tamen hoc necessarium non est, nec ad eum maiorem accessum ad extremum perfectius est aliquid obligans Deum, ad providendum de illo, aut nos ad illud concedendum. Vnde constat ad secundam consequentiæ probationẽm.

2848 Secundo objcies: pars animalis abscissa statim emoritur: ergo forma illius, & forma partis remanentis est omnino eadem. Probatur consequentia, quia, si partes formæ essent distinctæ, vt sunt partes materiæ, sicut istius partes conservantur separatæ, possent etiam conservari partes formæ. Respondetur negando consequentiam, quia partes formæ, quamvis non minus inter se distinguantur, quam partes materiæ, tamen magis vnæ ab alijs in sua conservatione dependent; quia dispositiones necessariæ, vt conserventur, pendent ab vnione, & communicatione cum alijs.

2849 Tertio objcies: in nutritione animalium perfectorum non adquiritur nova pars formæ: ergo forma illorum non habet partes. Antecedens probatur; quia alioquin, quo magis creſceret animal, eo esset valentius ad suas operationes, sicut in igne contingit. Respondetur negando antecedens, & ad probationem in primis concedi potest intentum; cum tamen animal non augeatur semper; sed vsque ad determinatum tempus, postea vero potius decrescat, terminus erit augmẽti roboris, & virtutis. Sed præterea respondetur vivenia, propter organa, quæ requirunt, ad operationes suas exercendas, crescendo vsque ad determinatam magnitudinẽ, valentiora fieri; eam tamen excedendo, potius debilitari; quia nõ possunt adeo

ferventes spiritus in omnes partes transmittere.

2850 Objicies quarto, ex M. Sancto Thoma: forma animalis petit determinatas dispositiones organicas necessario, & essentialiter: ergo eas petit indivisibiliter: ergo omnes partes organicas indivisibiliter respicit. Prima consequentia constat, quia ignis, etsi pro dispositione petat plures gradus caloris, octo, v. g. quia tamen illos petit essentialiter, respicit illos indivisibiliter, & per modum vnius. Huius argumenti vim ego non percipio; ex eo enim, quod anima respiciat, & petat omnes dispositiones organicas indivisibiliter, non percipio, cur ipsa necessario debeat esse indivisibilis, & cur extendi non possit per eas partes indivisibiliter petitas. Ego quidem ita intelligo, quod omnes partes organicas indivisibiliter petat, quod, si aliqua ex essentialiter petitis deficiat, non introducetur. Sicut autem ea petitionis indivisibilitas non arguit, quod omnes illæ partes ad indivisibile redigantur, sic nec arguit, quod anima sine partibus sit, & indivisibilis. Oro ergo Magistrum prædictum, vt cogiret formam equi divisibilem esse, nunquid, saltim de potentia absoluta Dei, non poterit petere easdem organizationes, ac modo, & ita essentialiter? In hoc quæ implicatio? Sed tunc respiciet omnes organicas partes indivisibiliter, quin ideo ipsa indivisibilis sit, aut indivisibiliter eas informet: ergo in præsenti ex eo, quod organicas dispositiones indivisibiliter petat, non bene infertur, quod ipsas informet indivisibiliter, sed ad summum inseparabiliter, ita scilicet, vt vna pars formæ materiæ partem informare nequeat, quin simul aliæ formæ partes alias materiæ partes etiam informent.

2851 Objicies quinto: mira consensio, quam partes viventis habent inter se, nos in eius animæ indivisibilitatem inducit: ergo eam tenemur concedere. Antecedens probatur, quia, tactu læso, movetur cor: viso obiecto nocivo, oculo, statim ab imaginativa aprehenditur; aprehenso ab ea, fuga imperatur, pedesque, etsi non parum distent, statim eam exequuntur. Similiter, si animal, vno pede, incidat in aquam frigidam, alio in calidam, statim inter vtramque discernit, & sibi placidiorem insequitur: cum ergo prædicta, & alia sexcenta similia in ictu oculi contingant, vix potest intelligi, quomodo contingere possint, nisi eadem indivisibilis anima omnes animalis partes informet: ea ergo operationum consensio, & ordo ad animæ inducit indivisibilitatem. Confirmatur quia vehemens vnius partis operatio virtutem aufert, aut multum minuit ad aliarum operationes: ergo quia est eadem in omnibus indivisibilis anima, aliter enim quid obstaret huius operatio?

Resp.

2852 Respondetur tamen negando antecedens, ad cuius probationem respondeo consensionē partium viventis in operando omnino mirabilem esse, præsertim cum sit anima divisibilis; sed quamvis sit omnino mirabilis cum ea divisibilitate, non tamen est impossibilis: nec mirum, quod mirabilis sit consensio; si enim crassa corporis organizatio valde mirabilis est in quolibet animali, cur ex parte animæ, quæ, etsi divisibilis sit, excedit multo in perfectione corpus, mirabilius aliquid non invenietur? Ea ergo consensio mirabilis repetitur ob animæ, etsi divisibilis, excellentiam. Cōtingit quod res per quemvis sensata sensum in imaginatione statim vertatur, quia sensus ille statim ad imaginationem speciem rei sensatæ immittit. Contingit similiter partes remotas à capite moveri ad imperium partis animę existentis in capite; quia exinde immittuntur spiritus vitales summe veloces, non tā, vt imperiū annuntient, quam, vt ad executionem adiutoriū præstent, ipsoque excitent illam animæ partē, vt simul cum eis imperium exequatur. Nec est impossibile, quod hoc in ictu oculi fiat; cū enim virtute ignis sulphurei in ictu oculi longe satis plumbea pila emittatur, quāvis valde crassa sit ipsa, & pulvis sulphureus etiam crassus, etsi non adeo: cur spiritibus vitalibus summe subtilibus ab anima supra quodvis corpus excellenti missis non concedemus in ictu oculi posse ire, atque redire ad remotiores vsque corporis partes? ea ergo consensio, adhuc cum animæ divisibilitate coniuncta non est impossibilis, & quamvis summe admirabilis, nequaquam tamē incredibilis; sed potius ob paritates positas, & rationes nostræ conclusionis, credibilis valde, & multo magis quam opposita sententia.

2853 Ad confirmationem autem respondetur aliquos existimare, quod omnes animæ partes ad cuiusque operationem concurrant. Præterea saltim in eam partem, quæ vehementi conatu in aliquam incumbit operationē, ex alijs confluunt in magna copia spiritus vitales, quibus aliæ partes destitutæ aut nullo modo, aut remisse valde operari possunt. Instari autem poterat hęc confirmatio, imo & fere omnia argumenta in animalibus imperfectis contra communem sententiam, non tamen contra illos, qui eorū animas eodem modo, ac perfectorum, asserunt esse indivisibiles.

2854 Objici adhuc in præsenti poterant authoritates Philosophi D. Augustini, & D. Thomæ. aliquæ enim illorū authoritates claræ sunt contra nostram sententiam. Sed respondent communiter DD. nostræ sententiæ animas materiales vocari à dictis sanctis indivisibiles, quia divisæ nequeunt conservari, nec vnum compositum vnaquæque cum sua materia efficere. Qua responsione satisfeciſſe, sibi videntur. Sed displicet mihi; quia sibi etiam objiciunt D. Thomam dicentem ani-

mas materiales esse totas in toto, & totas in qualibet parte, cui authoritati non congruit responsio dicta, quapropter dicta responsio est solum applicanda authoritatibus, quæ proferunt animas brutorum esse indivisibiles; authoritati vero memoratæ D. Thom. respondeo ego (multi enim ex nostræ sententiæ Doctoribus oneri succumbunt) quoddammodo animas brutorum esse totas in toto, & totas in qualibet parte, etsi divisibiles sint; quia omnes partes animæ petunt omnes partes organicas materiæ, omnesque etiam animæ partes petunt quamlibet partem organicam materiæ; quia, videlicet pars animæ quæ est in capite non solum petit partem materiæ capitis; sed etiam partem materiæ cordis, ac si in illa esset, & similiter de alijs: vnde omnes simul, quæ sunt tota anima sunt in omnibus materiæ partibus, & quoddammodo in singulis; quia non minus illas petunt, atque si in illis essent.

QVÆSTIO XII.

An partes animæ materialis sint etherogeneæ.

2855 PARTES Etherogeneæ dicuntur, quæ dissimiles sunt, & diversæ rationis; homogeneæ vero, quæ similes, & eiusdem rationis. Igitur constans est partes animalium etherogeneas, ac dissimiles esse; non enim parum differt caput à corde, oculus ab aure, & pede, & plerumque alia membra ab alijs. Igitur difficultas est, an ista etherogeneitas partium preciſe consistat in eo, quod dictæ partes diversis accidentibus constent, sicque sit etherogeneitas accidentalis; an vero non in eo solo, sed etiam in eo, quod partes animæ, quæ diversa membra informant, diversæ rationis, & etherogeneæ sint, adeoque etherogeneitas viventis sit non solum accidentalis, sed etiam substantialis, nimirum quia partibus formæ substantialis dissimilibus, ac diversæ rationis constat.

2856 Dico igitur breviter cum communiori sententia Recentiorum contra Hurtadum, Lynceum, Carletonem, Suarez, aliosque etiam RR. quamlibet formam partibus constare homogeneis, & similibus, non que etherogeneis, & dissimilibus. Explico meam sententiam. Iuxta eam ergo pars animæ equi, quæ est in oculis, eiusdem rationis est cum ea, quæ est in pedibus, eandemque virtutem habet: quod autem vna videat, & altera ambulet, non oritur ex eo, quod vna secundum se habeat virtutem ad videndum solum, & altera ad ambulandum, vtraque enim, quantum est de se, ad vtrumque habet virtutem, imò ad quamcumque aliam illius viventis operationem. In hac ergo æqualitate virtutis omnium partium animæ consistit earum similitudo, & homogeneitas. Oritur ergo, quod pars vna ex di-

dictis videre poſsit, & non ambulare ex eo, quod informet partem, quæ habet diſpoſitiones requiſitas ad videndum, & non diſpoſitiones ad ambulandum: quodque alia ambulare poſsit, & non videre ex eo, quod partem informet ad ambulationē diſpoſitiones habentem, & non ad viſionem, ſimiliterque eſt de reliquis: vnde potuerunt dictæ animæ partes officia commutare, ſi in prima informatione organa commutaſſent. In ſententia autem oppoſita, quod pars animæ exiſtens in oculis videre poſsit, & non ambulare, provenit ex propria illius natura: vnde, quamvis in pede fuiſſet poſsita, ambulare, non poſſet, propterea quæ habuit exigentiam, vt poneretur in oculis. Apparet iam, in quo differat vtraque ſententia. Nunc ergo.

2857 Noſtra ſententia probatur primo: quia, iuxta adverſarios, omnes partes diſsimilares vnius animæ equi differre debent ſpecifice, aut etiam generice: ſed ea diverſitas non debet in partibus eiuſdem animæ admitti: ergo nec diſsimilitudo, & etherogeneitas, quam ponunt adverſarij. Minor, in qua eſt difficultas, probatur ab aliquibus primo: quia, ſi tales partes ſpecifice differrent, non poſſent vniri integraliter ad vnam animam componendā. Sed quia ſatis probabiliter huic probationi ſatisfacit Carleton, & alij, eam omitto; ſemper enim, ac res diverſæ ſpeciei vniri nequeunt, ea vnionis impoſsibilitas aliunde, quam à preciſſa ſpecifica diverſitate provenire optime poteſt: ea ergo ſola non ſufficit vnionem impedire. Aliter ergo probo minorem: ſicut non ſunt multiplicandæ entitates, ſine neceſsitate, ſic nec diſtinctiones ſpecificæ, aut genericæ: ſed nulla eſt neceſsitas, vt ex ſolutione conſtabit argumentorum, ponendi inter partes eiuſdem animæ diſtinctionem vllam genericam, neque ſpecificam: ergo tales diſtinctiones poni non debent.

2858 Sed adverſarij contra nos noſtrum argumentum quaſi retorquent, aut ſimilis formæ argumentum obijciunt; nos enim, qui ſingulas partes ab alijs non differre generice, neque ſpecifice ſuſtinemus, diximus conſequēter ſingulas habere in ſe virtutem ad omnes cuiuſque operationes; cum tamen contrarij in ſingulis ad ſingulas tantū operationes virtutē ponant. Arguūt ergo ſic: ſicut non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſsitate, ſic neq; virtutes multiplicandæ, ſine neceſsitate, ſunt: ſed, poſita homogeneitate partiū, multiplicantur virtutes, ſine neceſsitate; cū in qualibet parte ponatur virtus, non ſolum ad operationē, quā exercet; ſed, quantū eſt ex parte ipſius, ad ſexcentas alias: ergo ponēda non eſt homogeneitas partium.

2859 In primis autem noſtrum argumentum fortius eſſe, conſtat; quia, ſi nos multiplicamus virtutē, ſeu virtutes, ita multiplicamus, vt, ſi parti animæ, quæ eſt in oculo, tribuimus virtutē, ad ambulā-

dum, quam non tribuunt adversarij, tribuimus aliquid: quod scimus certo, in alio saltim individuo, dari; adversarij vero, dum multiplicant distinctionem dicentes animam oculorum equi specie differre ab anima pedū, distinctionem tribuunt, quam neque in hoc, neque in alio individuo potest certo sciri, quod detur, imò nec, quod possibilis sit: ergo magis extra viam, & extra vllum fundamentum procedunt adversarij, distinctiones multiplicando, quam nos multiplicando virtutes. Deinde cuivis credibilius esse, mihi videtur, quod quęvis animæ materialis pars, ad omnes, & singulas operationes viventis, virtutem habeat, sub conditione, quod organicæ dispositiones ei advenirent, quā, quod in vno equo sexcentæ formæ partiales, specie, diversæ, & aliquæ, genere, sint admittendæ: dum ergo nec contraria sententia, nec nostra possunt efficaciter omnino impugnari, nostra potius amplectenda, quæ, quod magis credibile est, affirmat. Sed præterea hęc ratio confirmatur, sequenti probatione.

2860 Probatur secundo nostra sententia: quia, si ob aliquam rationem partes animæ materialis esse deberent etherogeneæ, maximè, quia à partibus eiusdē rationis, & vnius speciei nō possunt provenire operationes tam diversæ: sed cum vnitate specifica partium, & sola organorum multiplicitate, & diversitate, potest optime componi diversitas illa operationum: nulla ergo ratione partes animæ esse debent etherogeneæ. Minor probatur: quia tanta, si non maior, varietas operationum reperitur in homine, ac in reliquis animantibus: sed ista varietas compatitur cum animæ vnitate, non solum specifica, sed etiam numerica, solumque requirit organorum diversitatem: ergo similiter in alijs animantibus diversitas operationū, cum sola dispositionum, & organorum diversitate, sine vlla partiū animæ specifica diversitate, componi poterit. Consequentia videtur satis apparens, præsertim, cum adhuc sic anima materialis multo inferior ponatur ad rationalem, cum illa nullā partium requirat distinctionem, sed indivisibilis sit; materialis tamen, etsi non petat distinctionem specificam partium, petit numericam.

2861 Sed dices, quod, quamvis in anima rationali non dētur partes diversæ speciei, dantur in vnione, quæ ad materiam vnitur, partesque vnionis diversæ diversas illas organizationes, atque operationes possunt postulare. Contra tamen est primo: quia plures ex adversarijs tales partes etherogeneas in vnione nō admittunt. Secundo contra: quia, sola diversitate partiū vnionis admissa, salvatur in homine tota diversitas operationum: ergo in animantibus, sola partium vnionis diversitate, poterit etiam diversitas operationum salvari, quin partium animæ etherogeneitas requiratur. Contra etiam tertio: vna & indivisibilis anima rationalis, iuxta solutionis do-

doctrinam, petit in vnione, qua vnitur, diversitatem tantam, ac reperitur in omnibus dispositionibus organicis viventis; siquidem pro earum diversitate diversificatur vnio. Nunc ergo redit consequentia argumenti: ergo anima materialis in specie vna, pluribusque partibus numero distinctis constans poterit organicarum dispositionum petere diversitatem. In suo robore, vt supra, stat argumenti consequentia.

Soluuntur argumenta.

2862 Sed obijcies oculus, & pes differunt inter se, non solum accidentaliter, sed etiam specifice, & essentialiter: sed ista specifica diversitas non provenit à materia specifice diversa: ergo à forma vel vnione diversa specifice: ergo in forma, vel vnione assignari debent partes etherogeneæ, & specifice diversæ. Maior, in qua est difficultas, probatur: oculus, & pes aliæque similiter partes dissimilares (sic communiter vocant partes viventis, quæ diversa munera in ipso habent, vt nares, oculos, pedes &c.) diversas postulant accidentium collectiones, diversasque operationes exercent: sed res postulantes diversas accidentium collectiones, diversasque operationes exercentes specifice differunt: ergo partes dissimilares diversitatem sortiuntur specificam, & essentialem. Maior probatur: ea censentur peti à quacumque re quæ ipsi perpetuo, & constanter convenire comperiuntur: sed omnibus est compertum, partibus dissimilaribus diversas accidentium collectiones, diversasque operationes constanter, & perpetuo convenire ergo partes dissimilares censendæ sunt postulare diversas collectiones accidentium, diversasque operationes.

2863 Respondetur ad hoc argumentum, negando maiorem ad cuius probationem nego etiam maiorem, & ad huius probationem maiorem distinguo: ea censetur peti à quacumque re, quæ ipsi perpetuo, & constanter convenire comperiuntur, si conveniant ei ea perpetuitate, cum necessitate absoluta, concedo maiorem; si tantum cum necessitate conveniant, ex suppositione, quod semel convenerint, nego maiorem. Et similiter distinguo minorem: sed compertum est partibus dissimilaribus diversas accidentium collectiones convenire taliter, vt cuivis sua collectio conveniat, & non possit collectio alterius, necessitate absoluta, nego minorem; necessitate ex suppositione, quod ista collectio sit ei applicta, alia alteri, concedo minorem, & nego consequentiam. Sic etiam mas, & fœmina diversas accidentium sortiuntur collectiones; quia tamen eas non habent perpetuo, necessitate absoluta; sed tantum necessitate ex suppositione, quod semel illas habuerint, non iudicantur specie differre; vtique quia eas dispositiones diversas non petunt ab intrinseco, & ex natura sua; quia ad id necessariũ erat;

erat, quod semper, & necessario eas haberent, quacumque secluſa ſuppoſitione. Omitto alias inſtantias brevitatis gratia.

2864 Sed replicabis: cuivis parti non ſolum neceſſario convenit diverſa collectio accidentium ex ſuppoſitione, quod ſemel convenerit; ſed etiam neceſsitate abſoluta: ergo ſolutio eſt nulla. Antecedens probatur: ſi cuivis parti non conveniret neceſſario abſolute ſua collectio, maxime quia pro priori ad hoc, quod illam haberet, erat indifferens ad ipſam, & ad alias: ſed hoc eſt falſum: ergo cuivis convenit ſua collectio, neceſsitate abſoluta. Minor probatur: quævis pars ex ſua propria natura petit diſpoſitiones, quas de facto ſortitur: ergo antequã earum collectionem ſortiretur, erat determinata ad illam, & non indifferens ad illam, & alias. Probatur antecedens: tota anima petit omnes collectiones accidentium, quæ in omnes eius partes diſtribuuntur: ergo ſingulæ partes petunt ſingulas collectiones: ſed quævis earum non petit collectionem alterius: ergo quævis ſuam petit collectionem, quam de facto ſortitur, & hoc ex natura ſua. Minor ſubſumpta clara eſt; ſi enim nos contendimus, quod nec ſuam petat collectionem, quo modo peteret collectionem alterius? Conſequentia autem ex ea deducta non minus clara eſt: cumque primũ antecedens ſit indubitatum, ſola cõſequentia ex eo deducta probanda reſtat. Probatur ergo: nihil poteſt anima petere, niſi ratione ſuarum partium: ergo ſi tota anima petit omnes collectiones diſtribuendas in omnes partes, ſingulæ earum ſingulas petent collectiones.

2865 Reſpondetur tamen ad hanc replicam negando antecedens: ad cuius probationem nego minorẽ; & ad huius probationem nego antecedens, ad cuius probationem, antecedenti conceſſo, nego conſequẽtiam ex eo immediate deductam, ad cuius probationem iterum concello antecedenti, nego conſequentiam, quamvis enim tota anima petat omnes collectiones accidentium, quæ diverſis in partibus viventis reperiũtur, eaſque petat ratione ſuarum partium, non bene infertur, quod ſingulæ petant ſingulas. Dices: petit tota anima omnes collectiones ratione ſuarum partium: ergo ſuæ partes petunt eas collectiones: ſed non poteſt dici, quod aliæ petant plures collectiones, aliæ nullas: ergo ſingulæ petunt: ſed non poſſunt petere ſingulæ omnes collectiones: ergo ſingulæ ſingulas: ergo verum eſt antecedens, & conſequentia bona. Reſpondetur concedendo primam conſequentiam, minorem ſubſumptam, & conſequentiam etiam ex ea deductam, & diſtinguendo minorem ſub illa ſumptam: ſed non poſſunt petere ſingulæ omnes collectiones, petendo omnes ſibi, concedo minorem; petendo omnes diſtribui ſibi, & alijs, nego minorem, & ſequentes conſequentias. Singulæ ergo partes petunt omnes collectio-

ctiones ita, vt nec sibi, nec alijs petat vlla earum absolute determinatam collectionem ; sed tam sibi, quam alijs indeterminate hanc, vel illam, Deo determinationem relinquendo. Sic autem recte omnia cohærent & quod vna pars non solum sibi, sed alijs etiam petat, congruit naturæ formæ materialis; cum enim vna pars illius nequeat sine alijs cõservari, recte de illis est solicita, & sibi consulit, dum pro illis petit: ideoque ad exigentiam à nobis assignatam sufficit appetitus innatus, & qui solum in proprium fertur bonum, cum omne, quod petit, in illud cedat.

2866 Sed dices, iuxta traditam doctrinam, defendi optimè posse, equum, & leonem non differre specie: cumque hoc admittendum non sit, nec admittenda erit doctrina tradita. Assumptum probatur: fundamentum distinctionis specificæ inter equum, & leonem est diversitas accidentium, & operationum vtriusque: sed, iuxta doctrinã traditam, hoc evanescit: ergo iuxta eam, potest defendi illos non distingui specie. Minor probatur: quia, iuxta datas solutiones, dici poterit animam equi non petere magis operationes, & accidentia equina, quã leonina, solumque equina ei necessario competere ex suppositione, quod semel ipsi convenerint, eamque equi animam indeterminate petere ea accidentia, aut leonina sibi, similiterque eadem accidentia, eademque indeterminatione petere animæ leonis. Cui ratiocinio favere potest, quod equus, & leo possunt considerari, vt partes vnius totius potentialis, aut, vt partes vnius vniversi: evanescit ergo ratio distinctionis specificæ inter equum, & leonem, si doctrina à nobis tradita vera sit.

2867 Respondetur tamen negando sequelam, sive assumptum, ad cuius probationem nego minorem. & ad istius probationem nego antecedens; non enim in equo, & leone reperitur fundamentum, quod nos habemus in diversis partibus eiusdem animæ; cum enim has experiamur ita connexas, vt vna sine alijs conservari nequeat, nihil mirum, quod quævis de alterius conservatione, & temperamento ad illius, & sui conservationem necessario sit solicita, cum vero in equo & leone oppositum experiamur, cum eodem modo, eademque facilitate equus vivat, & conserverur, sive sit leo, & eius dispositiones, sive non, eadem doctrina eis non est applicanda, sed opposita. Nec iuvat, quod possint, vt partes vnius totius potentialis, aut vnius vniversi, quod est totum per accidens, considerari, cum, adhuc, vt sic consideratæ, genium non mutent, nec partes eiusdem animæ à nobis ponantur cum exigentia declarata precisse quia vnius totius sunt partes; sed insuper quia inveniuntur esse genij iam declarati.

(.†.)

SEC-

QVÆSTIO XIII.

Vtrum animæ eiusdem speciei possint esse individualiter inæquales.

2868 HÆC Quæstio, quæ de animabus agitatur, in cuiuscumque speciei individuis locum habet. Et quidem, experientia ipsa, notum est, aliquos homines perfectius alijs intelligere, aliasque elicere operationes humanas; cum tamen hoc possit provenire ex eo, quod diversam, & perfectiorem habeant organizationem, aliasque dispositiones ad tales operationes necessarias, non inde colligitur prædictos homines esse alijs substantialiter perfectiores; ex effectu namque, qui à duplici causa potest provenire, colligi nequit vnius illarum determinate existentia; sed solum vnius vel alterius indeterminate, & sub disiunctione. Quapropter hæc quæstio inquirit, an prædicta in operationibus maior perfectio proveniat, aut possit aliquando provenire ex maiori perfectione substantiali ipsarum animarum præ alijs eiusdem speciei. Sentiunt ergo Alphonsus *in præsenti disp.* 3. *sect.* 5. & Quiros *disp.* 78. *sect.* 1. cum multis alijs quos referunt, nequaquam posse vnam animã alia perfectiorem esse intra eandem speciem, consequenterque sentiunt diversitatem in operationibus reducendam esse semper, & necessario ad dispositionum, & accidentium diversitatem. Oppositam tamen sententiam tuentur Oviedus *contr.* 1. *de anima punct.* 8. Echalaz *disp.* 12. *cap.* 4. Magist. Aguirre *disp.* 81. *sect.* 3. & apud ipsos alij permulti; quorum plures cum Caietano existimant eam esse D. Thomæ expressissimam. Quapropter.

2869 Dico primo, possibiles esse animas intra eandem speciem substantialiter inæquales. Probatur conclusio: quia nulla est repugnantia, quod vna anima rationalis possit tantæ perfectionis esse, vt quatuor simul cognitiones valeat elicere, alia vero, cuius perfectio ad solum tres simul habendas se extendat: sed tales animę inęquales essent; cum prędicatum habendi simul quatuor cognitiones conveniens primæ excederet proculdubio prædicatum habendi simul tres tantum secundæ conveniens, quem etiam excessum suppono, cum id etiam sit possibile, non compensari per aliud prædicatum secundæ: ergo possibiles sunt animæ eiusdem speciei substantialiter inæquales.

2870 Dico secundo: nec necessarium est, quod omnes animæ eiusdem speciei sint æquales, nec quod omnes inęquales sint. Ista conclusio constat ex præcedenti; cum enim animæ aliquæ possint esse inæquales, clare patet necessarium nõ esse, quod omnes æquales sint: cumque etiam sit certum, quod aliquæ possunt esse æquales, sit, necessariũ nõ esse, quod omnes inęquales sint. Vnde poterunt animæ aut esse omnes

nes inæquales, & æquales nullæ: aut omnes æquales, & nullæ inæquales; aut denique aliquę inęqquales & alię æquales. Quomodo autem id de facto contingat, non facile potest comperiri.

2871 Dico tamen tertio: de facto aliquas animas esse æquales, aliquasque inæquales. Conclusio ista efficaci ratione persuaderi nequit, quia, quamvis aliquæ animæ pares sint alijs in operationibus, aliæque dispares, non inde efficaciter arguitur earum substantialis diversitas, sive disparitas; cum possit ea operationum disparitas à dispositionum, atque accidentium disparitate provenire, nec necessarium etiam sit, quod ea accidentium disparitas à disparitate animarum ortum habeat; cum ad extrinsecas causas possit revocari. Probanda igitur est cōclusio posita, prudenti coniectura: iuxta eam enim pulchritudini, & varietati vniversi melius consulitur. Deindeque, cur, sicut quantitas tum animalium, tum pomorum, sapor, color, aliaque accidentia ita disponuntur, vt in eis poma, pira, animaliaque sint plura inter se æqualia, aut similia; pluraque inæqualia, & dissimilia, cur, inquam in ipsa animarum substantia similis varietas non eveniet; cum eam possibilē esse constet iam ex conclusionibus præcedentibus.

2872 Dico vltimo: quamvis omnes animæ humanæ admitterentur substantialiter æquales, id fieri deberet cum duarum saltim animarum exceptione. Probatur conclusio: quia, dato, quod coniecturæ numeri præcedentis nos fallerent, & nihil valerent, adhuc remaneret possibile, quod duæ animæ alias omnes in substantiali perfectione excederent, iuxta dicta in prima conclusione: ergo tales forent anima Christi, & Sanctissimæ Virginis, ac proinde ab æqualitate cum alijs excipiendæ essent istæ. Consequentia constat, quia omnis prærogativa, sine inconvenienti, possibilis concedenda est animabus Christi, & Virginis Sanctissimæ iuxta rectam theologiam: ergo eo ipso, quod possibiles sint duæ animæ excellentiam substantialem supra alias habentes, hæc prærogativa naturalis concedenda est Christi & Virginis Matris animabus.

Soluuntur argumenta.

2873 Contra nostram primam conclusionem obijcies primo: eo ipso, quod vna anima essentialiter, aut substantialiter sit perfectior, quā alia, differt specifice ab illa: ergo implicat, quod intra eandem speciē duæ animæ sint substantialiter, aut essentialiter inæquales. Antecedens probatur: eo ipso, quod vna anima sit substantialiter perfectior, quam alia, habet aliquod prædicatum essentiale, quod non habet illa: ergo differt specifice ab illa. Patet ista consequentia; quia non alia ratione homo, & equus differunt specifice, nisi quia homo habet aliquod præ-

prædicatum essentiale, quod non habet equus. Nec obstare potest, quod illud prædicatum non sit commune pluribus, tum quia id solum potest obstare ad hoc, vt vtraque anima, seu ratio à quavis earum abstracta sit species prædicabilis; non tamen ad hoc, vt specie inter se differant. Tum etiam quia illud prædicatum commune pluribus futurum esse, verisimilius est, cum eo ipso, quod duæ animæ essent inæquales, probabilius esset, quod forent possibiles plures animæ cum anima perfectiori convenientes, pluresque etiam convenientes cum imperfectiori, & excessa; adeoque prædicatum, in quo excedit, si abstraheretur commune pluribus, & essentiale esset, prout, ad hoc, vt species prædicabilis esset, est requisitum. Vnde illæ duæ animæ inæquales, & habentes diversa prædicata non solum specifice differrent, sed etiam essent duæ species.

2874 Aliter ergo respondeo Argumento iuxta dicta à nobis *disp. 1 physic. q. 20. num. 1596.* negando antecedens, & ad huius probationem nego consequentiam, ad cuius probationem constat ex dictis l.c. non enim quodcumque prædicatum essentiale vni entitati conveniens, & non alteri sufficit ad distinctionem earum specificam; sed, vt eam fundet, debet esse prædicatum notabilem faciens differentiam. cum ergo tale non sit, quod constituit inæqualitatem inter animas, non arguitur inter eas distinctio specifica; sed, sicut illud prædicatum diximus l.c. esse medium inter specificam, & numericam differentiam, similem etiam distinctionem mediã inter specificam, & numericam fundare potest; non tamen absolute distinctionem specificam. Communiter tamen illa individua non dicuntur plusquam numero differre, quia de ea distinctione media non curant dialectici, vt ibi dicebamus de prædicato medio. Hæc doctrina, etsi evidens non sit, quapropter argumento facto quæst. citata physic. aliã etiam præbuimus solutionem; tamen verisimilis est satis; cum ex opposita, vt ibi expendebamus, sequeretur vniones, actiones, aliosque quoscumque modos Petri, & Pauli, aliorumque entium solo numero differentium specie differre, quod est contra communem concipiendi modum. Cumque species non dentur à parte rei, sed intellectus nostri beneficio, non mirum, quod ad speciem, & distinctionem specificam notabilis differentia necessaria eiusdem intellectus arbitrio relinquatur, sicque ea prædicata ad eam sufficiũt, quæ ipsam fundare communiter huiusque existimavere Philosophi.

2875 Sed dices nequaquam ex eo, quod animæ propter prædicatum essentiale positum deberent esse diversæ speciei, sequi posse, quod modi diversorum individuorum diversi specie esse debeant; nam animę præter diversitatem prædicatorum, haberent etiam inæqualitatem ad distinctionem specificam necessariam;

modi

modi vero eam non haberent; quam vis enim vnio Petri, v.g. haberet prædicatum eſſentiale, quod non haberet vnio Pauli; vtraque tamen æqualis eſſet perfectionis, quod diſtinctioni earum ſpecificæ omnino obſtaret. Contra tamen eſt: quia quamvis Doctorum maior pars ad diſtinctionem ſpecificam dictam requirat inæqualitatem, iam tamen verior ſententia, quam tenet melior, ſi non maior RR. copia, docet prædictam inæqualitatem non eſſe neceſſariam; conſtat enim hoc primo; quia relationes Divinæ ſunt ſpecie, aut quaſi ſpecie differentes, quin tamen vllam habeant inæqualitatem. Secundo, quia vltimæ hæcceitates ſunt numerice differentes, & tamen ſunt aut poſſunt eſſe numerice æquales: ergo ſicut in eis ſtat cum differētia numerica, numerica æqualitas, ſic in in ſpeciebus ſtare poterit cum differentia ſpecifica, ſpecifica æqualitas. Tertio conſtat: quia omnino pro comperto habetur equum, & leonem eſſe ſpecie differentes, quin tamen omnino compertum iudicetur, eos eſſe in perfectione inæquales.

2876 Sed contra doctrinam numeri præcedentis replicabis: primo, iuxta Ariſtotelem, ſpecies ſunt ſicut numeri: ſed omnes numeri ſunt neceſſario inæquales: ergo etiã omnes ſpecies. Secundo: duæ quantitates eo ipſo, quod ſint diſſimiles, ſunt inæquales: ergo ſimiliter ſpecies: ſed omnes ſpecies ſunt diſſimiles inter ſe: ergo inæquales. Reſpondetur ad primam replicam, quod ſpecies ſunt ſicut numeri, non in omnibus; ſed in aliquo, in eo, videlicet, quod in indiviſibili conſiſtant; ſicut enim numerus non poteſt remanere idem, detracta, aut addita aliqua vnitate, ſic ſpecies nulla remanet eadem, ſi aliquod prædicatũ addatur, aut auferatur. Ad ſecundam replicam reſpondeo, quod diſſimilitudo quantitatum, quæ conſiſtit in eo, quod vna ſit maior, & alia minor, neceſſario includit, imo conſiſtit in ipſa inæqualitate; diſſimilitudo autem prædicatorum, vt ſic, ſive in quantitate, ſive in quocumque alio, nec petit, nec affert neceſſario inæqualitatem; ſed aliquando cum æqualitate ſolet eſſe coniuncta.

2877 Contra primam etiam concluſionem obijcies ſecundo: ſi darentur animæ inæquales in eadem ſpecie, maxime quia vna illarum peteret diſpoſitiones perfectiores: ſed hoc ipſo eſſet diverſæ ſpeciei: ergo implicat, quod tales animę inæquales dentur intra eandem ſpeciem. Minor probatur: quia diſpoſitiones illæ eſſent diverſæ in ſpecie: ergo & animæ illæ eo ipſo, quod illas peterent. Reſpondetur permittendo maiorem, quæ poſſet negari dicendo animas fore inæquales, quia plures, aut perfectiores operationes poſſent efficere intra eandem ſpeciẽ. Maiori ergo permiſſa, nego minorem: ad cuius probationem nego antecedens; quia diſpoſitiones diverſæ tantum reſultant per diverſam combina-

binationem graduum qualitatum, non autem per diversas, aut novas qualitates: unde qualitates dispositionum unius, & alterius non sunt diversę; sed gradus earum, penes quos non diversificatur species earum. Bene tamen potest diversificari species coniuncti resultantis ex earum combinatione; tale tamen coniunctum est morale; quia illæ qualitates non uniuntur inter se, sed solum ad subiectum: illud ergo coniunctum morale est diversæ speciei, cum differentia est notabilis, qualis requiri solet ad animas diversę speciei: tanta autem differentia in dispositionibus nunquam exacta potest esse ab animabus speciei eiusdem.

2878 Vltimo obijcies: iuxta nostram sententiam, poterit una anima, quia perfectior, intelligere sine Doctore, ac Magistro, quæ alia imperfectior sine Doctore, aut Magistro non potest: sed hoc non stat sine distinctione specifica dictarum animarum: ergo non salvatur animarum inæqualitas intra eandem speciem. Minor probatur: quia, quod vnus ignis ex natura sua comboreret, sine applicatione, & alter indigeret applicatione ad comburendum, non posset stare sine vtriusque distinctione specifica: ergo similiter in animabus. Respondetur negando minorem, ad cuius probationem nego consequentiam; quia, quod vna anima intelligat, sine Magistro, non est sine applicatione intelligere; sed tantum intelligere, sine aptiore, & meliore applicatione: sicut ergo quod vnus ignis aptiore, aut maiore indigeat applicatione, ac alius, solet contingere, sine diversitate specifica, sic contingere poterit in animabus.

QVÆSTIO XIV.

Resoluuntur aliqua dubia circa animam separatam.

2879 CVM Anima rationalis immortalis sit, adhuc post eius à materia separationem conservari solet: circa eum autem separationis statum adhuc hic occurrunt difficultates, seu dubia. Primum est, an status separationis sit animæ rationali connaturalis. Communis responsio est affirmativa habent tamen DD. non parvam difficultatem in explicando, quomodo stare possit, quod status separationis connaturalis sit, & simul, quod sit etiam connaturalis status informationis, & in modo rem hanc explicandi valde differunt. Aliqui ergo dicunt statum informationis esse connaturalem; quia tamen, dum illæ aufertur per separationis statum, compensatur, quod boni animæ aufertur, per alia bona eius status, scilicet, per cognitiones intuitivas, & per perfectam plurium rerum cognitionem, quam in corpore adipisci non poterat, propterea status ille non est violentus: sicut nec materiæ primæ amissio vnius formæ, quia compensatur per adqui-

adquisitionẽm alterius, nec humanitati Christi defectus subsistẽtiæ proprię, quia cõpensatur per Divinam. Alij vero attẽdentes præcisse ad animæ naturam iudicant, quod propter suã immortalitatẽ efficit sibi connaturalẽ statũ separationis; etsi connaturalior illi sit status informationis.

2880 Ne tamen in his, in quibus nihil potest omnino comperiri, & in quibus non multum discrepant dicta DD. immoremur multum. Dico primo: statum separationis esse animæ connaturalem æquè, ac statum informationis. Non probo conclusionem hanc per compensationem, tum, quia non sufficere, quod bonum exactum amissum compensetur, vt eviterur violentia, tenent aliqui, existimantque humanam Christi naturam violẽtiam pati in propriæ subsistentiæ negatione, quamvis sit tam bene compensata, quapropter ipsi dicunt felicem esse violentiam illam. Deinde alij, etsi admittant, posse violentiam tolli per boni denegati compensationẽ, iudicant tamen non sufficere compensationem, etsi superabundans sit, dum non est in eodem genere. Quapropter humanitatem Christi dicunt non pati violentiam, quia subsistentia denegata per subsistentiam compensatur; dicunt tamen eam futuram esse violentam, si non subsistentia cõpensaretur, sed alio dono, quãvis supernaturale illud esset, multoque excedens perfectionem subsistentiæ denegatæ. Quia ergo hæc probabiliter dici videntur, nec de eis iudicium omnino facere interest, nec vacat, eam probationem omitto.

2881 Probo ergo meam conclusionem: anima ex natura sua est immortalis, & incompleta: ergo vterque dictus status est ei æque connaturalis. Probatur consequentia; eo ipso, quod sit incompleta necessario ad compositionem ordinatur: ergo ei compositio est connaturalis: cumque ea compositio fieri debeat cum re corporea, & materiali, & in qua propter aliarum formarum pugnã, non potest diu conservari, eius immortalitati debetur status separationis, consequenterque eo ipso, quod incompleta, & spiritualis sit, vterque status est ei connaturalis: cumque nihil sit, quod convincat vnum altero magis connaturalẽ esse, dicendũ est vtrumque esse æque connaturalem. Confirmatur primo: quia omnino necessariũ est, naturaliter loquendo, quod anima vtrũque experiatur statum: male ergo Deus de illa providisset, si eam ad vtrũque paratam, & indifferentem, & quasi cum æquali exigentia & inclinatione non cõdidisset. Confirmatur secũdo: quia vterque status habet aliquid, in quo excedat aliũ, & in quo excedatur ab illo ita, vt quis sit animæ melior difficile discerni possit: ergo vt recte sibi consulat anima, in vtrũque debet esse æque inclinata, & vterque illi debet esse æque connaturalis.

2882 Dices non posse deficere parti inclinationẽ ad totũ: ergo status informationis est magis connaturalis. Resp. quod, cum totum, ad

quod cõponendum fuit anima ordinata, sit corruptibile, & ipsa incorruptibilis, talis naturæ ea facta est, vt petat aliquãdo illud cõponere, postquam autẽ illud cõposuit semel, non minus sit cõtenta sine corporis consortio; quia, etsi eius communicatione sit privata, est etiam ab oneribus illius absoluta.

2883 Dico secundo: ipsa animæ separatio in fieri violẽta est animæ, prout vnitæ; non tamen animę secũdum se. Prima pars probatur: quia esse violentã separationẽ animę, prout vnitæ, nihil aliud est, quã ipsi vnioni violentã esse: sed certum est, quod separatio sit vnioni violẽta; cum sit eius destructio: ergo &, quod violẽta sit separatio animæ, prout vnitæ. Secunda autem pars probatur ex prima conclusione: quia anima, secundũ se, non magis inclinatur in bona status coniunctionis, quã in libertatem, & bona status separationis: ergo non potest sentire violentiam in commutatione vtriusque status.

2884 Secundum dubium circa animã separatã est, an in statu separationis habeat species, quas in corpore acquisivit? Cõmunis responsio est affirmativa, & cõstat ex eo, quod animæ separatę recordãtur rerũ, quę illis in hac vita acciderunt, vt denotatur passim in lib. sapient. etsi dicas id fieri posse per species à Deo infusas. Resp. quod, etsi probabilius sit plures species à Deo animæ separatę infundi; quia in eo statu assimilatur multũ, quoad modum cognoscendi, Angelis, tamen, cum species, quas in hac vita acquisivit, sint spirituales; ad eas cognitiones, quę cũ ipsis possunt elici, nõ est ad Deũ recurrendũ, sed dicendum eas perseverare. Sed instabis: anima separata perfectiores elicit cognitiones, quã in statu coniunctionis ergo non per eadem species. In primis consequentia non tenet; quia cum ijsdẽ speciebus poterit stare maior perfectio in cognitione. Sed prętera respondeo animã separatã habere plures cognitiones perfectiores ijs, quas habuit in statu coniunctionis, per species à Deo infusas; alias tamen etiam elicere per species adquisitas in statu cõiunctionis, quæ non sint perfectiores, sed similes ijs, quas in hac vita habuit.

2885 Tertium dubium est, vtrũ anima separata habeat virtutem loco motivã. Resp. affirmative, nulla enim ratione id potest ei denegari, cũ ei non adimatur, quod vivens sit, & cætera vivẽtia se movere possint. Maior difficultas est, an in eo statu habeat virtutem movendi alia à se. Circa quam aliqui, inter quos est Theophil. Raynaud. etsi obiter *in Theolog. sua naturali dist. 2. q. 1. a. 1. n. 12.* tenẽt sententiã affirmativã. Negativã tamen tenet Lynceus cum alijs. Ego autẽ nec negandi, nec affirmandi sufficiens video fundamentũ, inclinorque magis in partẽ affirmativã; iudico enim animas separatas, in modo operandi, & in potentijs, Angelis assimilari; ita tamen, vt isti plurimum eas excedant in quocumque genere.

2886 Objicit Lynceus contra nos

nos experientiâ, vt ipse dicit manifestissimâ, anima nâque humerũ informãs est contigua brachio demus ergo hoc esse demortuũ, experientia constat, talẽ animã non posse movere tale brachiũ: sed non alia ratione, nisi, quia illud non informat, sed tãtum est ei contigua: signũ ergo est, quod anima, vt aliud quid moveat, requirit illud informare: cũque separata nihil informet, nihil ab ipsa distinctum movere poterit. Hoc tamen argumentum non premit; responderi enim potest, quod anima brachium nõ moveat, nõ provenire precisse ex eo, quod nõ informet illud; sed ex eo quod nec informat, nec alias est applicata modo, ad illud movendũ, necessario; stat enim, quod non possit illud movere dũ est contigua, posset tamen, si esset penetrata, quantumvis non informaret, aut forsan etiam, si, quamvis non penetrata, esset tamen ad plures partes contigua, quam est in casu argumenti.

2887 Hæc sunt, quæ communiter controvertuntur circa animã separatam. Quædã autẽ alia sine controversia, ab omnibus creduntur. Primũ est animã separatã habiturã species, quibus intuitive possit cognoscere. Cõstat hoc, quia potest tam substantiã, quã accidentia in eo statu intuitive cognoscere ob suã spiritualitatẽ: ergo æquũ est, vt Deus illi provideat de speciebus ad idnecessarijs. An autem Deus eas infundat, an vero ipsæ ab obiectis in anima producãtur, dubium est, quod resolvitur in materia de Angelis, eo quod de illis & de anima separata eadem sit ratio. Etsi quæras, quorũ obiectorũ sit anima in eo statu species habitura. Respondendũ, quod, si eas ab obiectis desumat habebit species eorum obiectorum, quibus fuerit approximata; si vero à Deo immediate infusas, id nõ potest definiri, cũ ex arbitrio Dei depẽdeat.

2888 Deinde certum est animam separatã, si Beata sit habiturã omniũ virtutũ habitus sive sint adquisiti, sive infusi, quibuscum evita migravit; excipiendi tamen sunt habitus fidei, & spei; his enim succedet lumẽ gloriæ; & non habebũt habitus vitiorũ, etiamsi eos habuissent (vt possibile est) in vltimo vitæ instanti quia eos destruet lumen gloriæ. Damnatæ vero habebunt vitiorum habitus cum quibus è vita migrarũt; nullos tamẽ habebunt virtutum habitus; quia digne ipsis privabuntur. Et hæc sint satis de anima secundum se. Nunc ad eius potentias transeamus.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Potentijs animæ incommuni, ac de potentijs animæ sensitivæ & vegetativæ in particulari.

2889 PERACTA Disputatione de anima secundum se, restat agere de illius potentijs, tum in communi,

muni, tum in particulari: quod vt præstemus, agemus in hac disputatione de potentijs animæ in communi, necnon de potentijs animæ vegetativæ, & sensitivæ in particulari, vt sic in tertia disputatione de potentijs spiritualibus animæ rationalis vnice tractemus, sicque à minoribus ad maiora, ac digniora procedamus. Sit ergo.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum potentiæ animæ realiter adæquate ab ipsa distinguantur.

2890 POTENTIAS Animę realiter ab ipsa distingui, dupliciter contingere potest. Primo ita, vt potentiæ realiter distinctæ sint tota virtus immediate activa, & elicitiva actuum vitalium; anima vero immediate nullum concursum præstet in eos actus. Secundo ita, vt prædictæ potentiæ ab anima realiter distinctæ non sint tota virtus immediata actuum elicitiva, sed solum partialis, quia videlicet, anima immediate ad eorum concurrit elicientiam ita, vt intellectiones, vero grat. eliciantur immediate non à sola anima, nec à solo intellectu ab ea realiter distincto, sed ab vtroque, neutrumque eorum sit principium adæquatum intellectionum seorsim sumptum; sed quodlibet inadæquatum, & ex vtroque vnum conflerur adæquatum. Cum ergo principium intellectionis dicatur intellectus, sive potentia intellectiva, iam ista iuxta secundum hunc modum ponendi potentias realiter distinctas ab anima distinguetur solum distinctione inadæquata; siquidem ita consistet in ea potentia realiter distincta, vt partialiter consistat in ipsa anima. Iuxta priorem vero modum ponendi potentias distinctas, nulla earum consistet partialiter in ipsa anima, sed omnes, & singulæ realiter adæquate ab ea distinguentur. Vnde in hac quæstione examinandum, an priori modo potentiæ realiter distinctæ sint admittendæ; in sequenti vero, an saltim posteriori modo, seu inadæquate distinctæ admittendæ verè sint.

2891 Pro huius ergo quæstionis decisione: Dico Resolutoriæ potentias animæ non distingui realiter ab ipsa, tanquam tota ratio agendi. Hæc conclusio est communis Iesuitarum, quos refert, & sequitur Pater Quiros *in præsenti disputat. 82. section. 1.* atque etiam Scotistarum, quos refert, & sequitur Merinerus *libr. 2. de anima disputat. 3. quæst. 1. num. 11.* Probatur autem: quia anima immediate concurrit saltim par-

partialiter ad omnes operationes vitales: ergo potentię realiter distinctæ, quæ sint tota virtus immediate agendi, in ea poni non possunt. Consequentia patet. Antecedens vero multipliciter probatur. Primo sic: anima immediate efficit proprijsime aliquam operationem vitalem: sed vnius, quam alterius non est maior ratio: ergo anima immediate efficit omnes operationes vitales. Consequentia est bona. Minor constat; quia non magis potest esse necessaria voluntas distincta, ad amandum, & potentia visiva, ad videndum, quam intellectus ad intelligendum; aut è contra: ergo non est maior ratio, cur ad actus vnius istarum anima efficienter immediate concurrat, quam ad actus aliarum. Maior ergo probatur: anima proprijsime est vita substantialis: ergo proprijsime efficit aliquam operationem vitalem.

2892 Dices tamen animam esse proprijsime vitam substantialem, quia radicat potentias effectivas actuum vitalium. Sed contra est, quia aut hac solutione intenditur, quod ea radicatio sit operatio vitalis; aut, quod ea radicatio sufficiat, vt operationes potentiarum sint animæ operationes vitales; aut denique, quod radicare potentias vitales sufficiat, ad vitam substantialem secluſa quacumque operatione vitali: sed nullum istorum satisfacit: ergo nulla solutio. Minorem probo per singula discurrendo. Primum enim non satisfacit, vtpote falsum, quia in sententia Thomistarum anima ita radicat potentias, vt eas non efficiat, sed ad summum exigat. Quamvis autem iuxta alios eas efficiat, talis efficientia vitalis non est: ergo inepte, & insufficienter assignatur ea radicatio, tanquam operatio vitalis. Deinde secundum falsum est, quia anima ex eo, quod radicet potentias, nullum concursum præstare in elligitur in earum actus: cur ergo tales actus animæ operationes dici debent? Et quidem, quamvis dicerentur propterea operationes animæ; tamen, proculdubio, id esset valde improprie, vel saltim minus proprie, ac potentiarum: ergo esset insufficiens, ad proprijsimam vitæ rationem salvandam in anima, & magis proprie vita dici deberet quælibet accidentalis potentia, quam anima ipsa. Deinde tertium falsum est, & incredibile; tum quia radicatio potentiarum iuxta Thomistas non est per efficientiam; sed per exigentiam: tum quia, etsi esset per efficientiam; cum, media ea, non attingeret immediate actus vitales, quos immediate attingerent potentiæ accidentales, minus proprie vita esset, ac illæ; cum diceretur vita per mediatam attingentiam actuum vitalium, & potentiæ illæ accidentales per immediatam.

2893 Secundo probatur primum antecedens probationis nostræ:

ſtræ. Actus voluntatis tribuuntur animæ laudi, aut vituperio, propter eoſque ſolet præmiari, aut puniri: ergo illos immediate efficit: ſed eadem eſt ratio de actibus aliarum potentiarum: ergo ad omnes immediate concurrit. Minor ſubſumpta, cum conſequentia ex dictis conſtat, & apud Adverſarios præcipuos admittuntur antecedens eſt omnino certum, & conſequentia probatur: quia non poteſt vlla cogitari ratio meriti, aut demeriti in anima per actus voluntatis, ſi ipſa immediatum non præſtet in illos concurſum; cur enim punienda, aut præmianda propter id quod non fecit?

2894 Sed dices: animę imputari opus voluntatis, quia mediate influit in illud. Contra tamen eſt, quia iſte mediatus influxus intelligi nequit; aut enim dicitur influere mediate, quia influit immediate in eius cauſam: & ſic non; quia talem influxum nec Thomiſtæ admittunt, nec, ſi admittatur poteſt ſufficere; quia, cum cauſa ſit indifferens, ſicut eius productio à Deo facta non facit, quod Deo tribuatur eius opus pravum, ſic, cum ab anima producitur, diſcurrendum eſt; cum ab ea etiam cum indifferentia ſua producatur. Aut deinde per mediatum influxum intelligitur animam influere, & efficere opus, non quia ipſa mediate, aut immediate aliquam actionem habeat; ſed quia volũtas, quę eſt eius potentia, & virtus opus efficit. Hoc autem non poteſt magis intelligi; ſi enim nihil immediate confert in opus, quid refert, quod voluntas ſit eius potentia? Eius enim potentia dicitur, quia anima eam radicat, & ſuſtentat: quod autem in radicatione eius non mereatur imputationem operis pravi ab illa facti nuper manet explicatum: quod vero in ſuſtentatione eandem etiam non mereatur, conſtat, quia etiam eam ſuſtentat cum indifferentia ſua, & in ſuſtentatione nullam ad malum ei præbet determinationem: quomodo ergo malum, ad quod voluntas determinat ſe, animæ eam indifferentem ſuſtentanti tribui poteſt, præſertim, cum eam non ſuſtentet, cum prævisione aliqua, quod ipſa ad malum ſe determinabit? Certe in hoc nihil phyſicum, aut morale apparet ratione cuius ei poſsit fieri præfata imputatio: vt ergo ea fiat, dicendum eſt eam immediate ad actus voluntatis concurrere, conſequenterque etiam ad actus vitales aliarum potentiarum.

2895 Tertio probatur primum antecedens probationis noſtræ: vnum, & idem principium debet cognoſcere, & amare, ſeu appetere: ſed nulla potentia ab anima diſtincta poteſt ſimul cognoſcere, & appetere: ergo ipſa anima immediate debet vtrumque præſtare. Conſequentia eſt manifeſta: minorem confitentur Adverſarij communiter; cum non ſolum potentias realiter ab anima diſtinguant, ſed etiam inter ſe diſtingui

gui dicant intellectum ; & voluntatem , & cæteras similiter potentias. Maior autem probatur: quia nullum principium amans dari potest , quin ducatur cognitione ad amandum ; omne enim principium appetens est cæcum , si cognitione non illuminetur: sed eo ipso, quod principium amans ducatur cognitione ad amandum , est necessario cognoscens : ergo omne principium amans est cognoscens, ac proinde vnum & idem principium amat , & cognoscit. Minor probatur , principium amans eo ipso , quod ducatur cognitione informatur per illam : sed eo ipso, quod per illam informetur , cognoscit : ergo eo ipso , quod ducatur cognitione , debet esse cognoscens. Minor constat : quia eo ipso , quod aliquod principium cognitione informetur , eam efficit; cum cognitio , vtpote , immanens, non possit , naturaliter saltim, in alio subiectari , nisi in eo principio , à quo procedit : ergo eo ipso , quod cognitione informetur aliquod principium , eam efficit, & consequenter cognoscit. Maior autem probatur : quia , si principium amans non informetur cognitione non potest per eam duci; quid enim referre potest cognitio in alio existens , vt ducatur alter? ergo eo ipso , quod principium appetens ducatur per cognitionem, illam in se habet , ac per illam informatur , estque vere cognoscens. Etsi occurras hoc principium esse potentiam distinctam , sicque intellectum , & voluntatem inter se non distingui realiter , etsi realiter distinguantur ab anima ; id asseres contra communem contrariorum sententiam , quamvis autem ita sentiat Durandus id falsum esse , alijs omissis , evincunt satis duę probationes præcedentes.

Soluuntur argumenta.

2896 Oppositam sententiam ei , quam nos pro conclusione statuimus, tuetur omnes Thomistæ adeo vniversaliter , vt aliquem in particulari referre superfluũ iudicet M. Aguirre ipsos sequens *disp.* 83. *sect* 1. refert tamen pro illa nonnullos ex Iesuitis ; qui tamen, vno, vel altero excepto, nec Thomistis favent , nec nostræ conclusioni contradicunt ; quia quamvis potentias realiter ab anima distinctas defendant; non tamen distinctas adæquate , & ita, vt ipsæ sint tota ratio agendi. Quidquid autem sit de hoc, pro sententia Thomistarum , & contra conclusionem nostram obijci poterat primò substantiam non esse immediate operativam, consequenterque animam , cum substantia sit, nihil posse immediate operari; sed indigere potentijs distinctis, quæ se habeant, vt virtus illius adæquata operandi. Sed quia vidimus *in physic disp* 2. *quæst* 12. substantiam immediate operativam esse & argumenta oppositum probantia diluimus , modo ad alia dissolvenda

properamus. Obijcies ergo primo: anima est actus corporis: ergo non potest esse potentia. Consequentia patet, quia actus, & potentia sunt res valde oppositę. Respondetur negando consequentiam; quia etsi opponantur actus, & potentia respectu eiusdem; non tamen respectu diversorum, vt mille instantijs posset confirmari.

2897 Secundo obijcies habere potentiam operativam realiter identificatam cum substantia est proprium Dei, & alienum à creatura: ergo cum anima creatura sit, repugnat, quod secum potentias realiter habeat identificatas. Antecedēs probatur: claudere in vnica indivisibili entitate perfectionem substantiæ, & accidentis est proprium solius Dei: sed omnis potentia creata immediate activa est accidens, vtpote spectans ad prędicamentum qualitatis: ergo eam potentiam cum sua substantia identificare solius Dei proprium est, & alienum à creatura. Confirmatur: quia, iuxta omnes, repugnat animam esse idem realiter cum specie impressa, aut expressa, saltim ad cognoscendum alia à se, & cum quolibet operationis actu; quia istæ perfectiones sunt accidentales, quas nulla substantia secum identificare potest, nisi terminos transgrediendo omni creaturæ præfixos, quibus se continet intra proprium, aut solius substantiæ, aut solius accidentis genus.

2898 Respondeo tamen ad obiectionem istā negando antecedens. Ad cuius probationem nego maiorem; claudere namque in vnica indivisibili entitate perfectionem substantiæ, & accidentis non arguit infinitam perfectionem: ergo non est cur solius Dei proprium esse debeat. Quod autem ea inclusio infinitam perfectionem non arguat, constat primo: quia coniunctum ex substantia, & accidenti non continet infinitam perfectionem: ergo entitas indivisibilis, quæ illi coniuncto æquivalet, & eius continet perfectionem necesse non est, quod infinitam perfectionem contineat. Secundo, quia quamvis aliqui distinguant realiter à materia prima potentiam formarum receptivam cōmunis tamen sententia, præcipue Thomistarum eam potentiam distinctam negat: ergo materia prima claudit in vnica indivisibili entitate perfectionem substantiæ, & accidentis; talis enim potentia, quāvis accidens non sit, esset tamen accidens, si distingueretur, in quo tantum sensu accidentia dici possunt potentiæ animæ; non enim adhuc argumentum ipsum contendere potest, quod casu, quo cum anima identificarentur, essent vera accidēntia; sed, quod tunc substantia contineret perfectionem, quam haberent potentiæ casu, quo distinguerentur, & accidentia essent; alias nō diceretur in argumento, quod id esset proprium solius Dei; sed, quod adhuc Deo repugnaret, dici debuisset. Confirmatio autem non magis vrget, quidquid enim sit de verita-

te

te eius, quod assumit, causalis est falsa, vt enim in ipsa confirmatione indicatur, & est sententia communis Thomistarum, Angelus, ad se ipsum cognoscendum, non eget specie impressa distincta, sed se ipso hoc munus gerit: ergo, ad se intelligendum, secum identificat perfectionem accidentis, speciei videlicet, quæ est perfectio accidentalis: sicut ergo identificat istius speciei perfectionem, identificare posset perfectionem speciei ad cognoscendum alia à se, si sola ratio in argumento, & confirmatione adducta attenda tur. Alia ergo ratione ea repugnantia, si admittatur adstrui debet: sicut etiam alia ratione adstruitur ab omnibus repugnantia ad identificandã secum operationem; hæc enim potius desumitur ex eo, quod in ea linea, in qua creatura secum operationem identificaret, esset actus purus, & semper necessario, & essentialiter operans. Sed de his Theologi latius; nobis enim pro nunc sufficit, quod instantia contra nos in præsenti adducta ex doctrina ab arguentibus admissa in nostrum favorem convertatur ipsumque argumentum cum sua confirmatione debellet.

2899 Tertio objicies: possibilis est anima operans medijs potentijs realiter distinctis: ergo talis est, quæ de facto datur. Probatur consequentia primo: quia connaturalius est operari, medijs potentijs distinctis, vt patet inductione aliarũ causarum, tum naturalium, tum, & artificialium, cum elementa, & mixta inanimata, medijs qualitatibus distinctis operentur, & omnis operatio artificialis, medio aliquo instrumento, fiat. Secundo probatur consequentia: dato illo casu possibili, in quo operaretur anima medijs potentijs distinctis, nihil haberent illæ potentiæ, quod de facto nõ habeant modo, ergo non est cur modo non iudicentur distinctæ. Probatur antecedens: quia habent diversa obiecta adæquata, diversosque adæquatos actus: nihil autem amplius tunc habere possent.

2900 Respondeo primo, negando antecedens, vt vicem rependam adversarijs, qui nobis etiã negant possibilem animam sibi identificantem potentias; nec enim minus nostræ sententiæ probationes, adhuc de possibili, eam persuadent, quam ipsorum fundamenta eius falsitatem de possibili adhuc suadeant; nec nos ipsis credere tenemur, potius quam ipsi nobis. Sed, quidquid de hoc sit: respondeo secundo, negando consequentiam. Ad primam eius probationem respondeo inductionẽ ab alijs causis ad animam nullam esse, si enim elementa, & mixta non viventia habent qualitates, quibus operentur, ita se habent, vt facilé talium qualitatum à substantia illarum distinctionem possimus colligere, & plura talis distinctionis signa invenire; tales enim qualitates solent in alijs subiectis reperiri, solent etiam formam ipsam precedere, ad illam disponendo, sunt que inter-
fio-

sionis, & remissionis capaces: cum ergo hæc, nec similia signa inter animam, & potentias non inveniãtur, potius earum identitas à contrario sensu est deducenda. Quod amplius confirmatur: quia quamvis aqua ad frigiditatem producendam in extraneo subiecto vtatur qualitate distincta, non tamen ad illam in se ipsa producendam, vt probatum relinquimus *disput. 2. physicorum q. 12.* ergo cum anima actus vitales in se ipsa, & non in alio, producat, potius se ipsa, quam potentijs distinctis, illos producere debet, si inductio, vt debet, cum proportione fiat. Minus autem evincit inductio à causis artificialibus; cum istæ magis distent ab animabus, seu animatis, quam agentia naturalia inanimata. Ad secundam consequentiæ probationem constabit ex dicendis *quæst. 3.*

2901 Quarto obijcies: ex parte subiecti requiruntur aliqua accidentia, vt recipiantur operationes vitales: ergo ex parte agentis requiruntur etiam aliqua, vt producantur. Hoc argumentum, vt bene notat Oviedo, potest loqui aut de quantitate, media qua in multorum sententia accidentia in materia recipiuntur, vt vidimus *disp. 1. de Generat. q. 2.* aut de accidentibus organicis ad vitales actus requisitis. Si loquitur de quantitate, vim non habet, tum quia omnes vnam quantitatem sufficere dicunt ad recipiendas omnes operationes vitales; cum tamen, ad eas efficiendas, plures potentias arguentes requirant. Tum, quia, vt quantitas sit necessaria ad hoc, vt, ea media, recipiantur in materia accidentia, vidimus loco citato fundamentum habere DD. eius sententiæ: nos autem nullum invenimus, ad hoc, vt efficiens anima, medijs alijs accidentibus operetur. Si autem argumentum loquatur de dispositionibus organicis, dici poterat, quod eadem accidentia organica requirantur, vt producantur vitales operationes; tamen id non est contra nos; cum solum ea accidentia requirantur vt conditiones, non tamen, vt potentiæ. Præterquamquod dici etiam potest requiri, vt conditiones, vt recipiantur vitales actiones; non tamen, vt producantur; quia producere non dicit aliquid intrinsecum in producente, sicut recipere.

2902 Quinto obijcies potentiæ sensitivæ dependent in operando à corpore: ergo sunt corporeæ, ac proinde ab anima distinctæ. Propter hoc argumentum aliqui eas potentias identificant cũ toto composito; sed adhuc probabilius est cũ sola anima identificari. Respondeo ergo negando consequentiam; quia etiam anima ipsa rationalis in aliquibus operationibus dependet à corpore, quin ideo sit corporea.

2903 Sexto obijcies potentia visiva separatur in cæco ab auditiva: ergo distinguitur ab illa: ergo vtraque, vel saltim altera ab anima distinguitur; cum non possint tertio identificari, quæ inter se distin-

distinguntur. Respondetur in cæco non separari potentiam visivam ab auditiva, sed tantum deficere organa potentiæ visivæ, quæ necessaria omnino sunt, vt possit in actum exire.

2904 Dices tamen: si in cæco non deficeret potentia visiva; sed solum organa, seu debita in oculis dispositio ad videndum, non esset miraculosa restitutio visus; cum, ad eam restitutionem, non esset necessum, reproducere aliquam entitatem potentiæ prius corruptam; sed sufficeret, recte disponere organa, ad videndum, sine alicuius entitatis reproductione. Sed contra est: quia, licet ad restitutionem visus sufficiat disponere organa ad videndum; tamen ea dispositio falso supponitur fieri posse sine alicuius entitatis accidentalis reproductione: si ergo in sententia contraria est ea restitutio miraculosa propter reproductionem potentiæ, quæ in ea sententia accidens est, quare miraculosa non erit propter reproductionem accidentis in quo consistit organica dispositio?

2905 Septimo obijcies: principium productivum motus localis in homine, vi laboris, aut doloris de fatigatur, & langueſcit: sed anima non potest langueſcere, aut defatigari: ergo anima non est principium eius motus; sed aliquid materiale ab anima distinctum, consequenterque potentia loco motiva est ab anima distincta. Confirmatur: quia Angelus, pari velocitate, movet corpus, sine sit languidum, sive robustum: ergo similiter facier anima rationalis: sed corpus hominis languidum non movetur, pari velocitate, ac robustum: ergo quia non movetur ab anima; sed à potentia materiali ab ea distincta.

2906 Respondetur ad argumentum negando maiorem; languor enim, qui sentitur ob laborem motus localis, non est in anima, quæ motus illius est principium effectivum; sed in corpore, quod est subiectum receptivum, & passivum illius. Ad confirmationem autem respondetur, distinguendo consequens: ergo similiter faciet anima, si moveat corpus in statu separationis, concedo consequentiam; si moveat illud in statu coniunctionis ad ipsum, nego consequentiam; in hoc enim statu non potest, pari velocitate, movere corpus languidum, ac robustum: & ratio est, quia, ad illud movendum, vtitur spiritibus vitalibus, vel vt adiuvantibus, vel vt disponentibus partem movendam: cumque in corpore languido deficiat copia vitalium spirituum, non potest illud ita celeriter movere, ac corpus robustum, in quo spiritus vitales abundant.

(?)

(?)

* * * \

QVÆSTIO II.

Vtrùm potentiæ animæ realiter inadæquate distinguantur ab ipsa?

2907 VIDIMVS *Quæst. præcedenti*, quod potentiæ animæ realiter adæquate ab ipsa non distinguantur, id est, quod non ita distinguantur, vt ipsæ sint tota ratio immediate agendi actus vitales; sed potius necessarium sit, quod ipsa immediate ad eos actus concurrat. Modo inquirimus, an saltim inadæquate distinguantur, id est, an debeant admitti potentiæ realiter distinctæ, quæ veræ, & proprie immediate concurrant ad actus vitales, quamvis nec sint tota ratio ipsos agendi, nec tollatur ab anima, quin immediate ipsos agat, sed tam anima, quã potentiæ ipsæ distinctæ immediate ad ipsos concurrant, mutuo in eorũ elicientia se ipsas adiuvando. Sententiam igitur affirmantem hanc inadæquatam distinctionem tuentur Valencia, Vazquez, Molina, Granados, Bubalus omnes 1. *p. q.* 54. *art.* 3. Franciscus Amicus ibidem *disp.* 8 *sect.* 2. Suarez *disp.* 18. *met. sect.* 3. & *disput.* 35. *sect.* 4. Conimbricens. 2. *de anima cap.* 3. *q.* 4. *art.* 2. Fonseca 5. *met. cap.* 2. *q.* 6. & alij quos novissime refert, & sequitur Quiros *in præsenti disp.* 83. *sect.* 3. Oppositam vero sententiam negantem potentias realiter distinctas, adhuc inadæquate, seu vt partiales rationes agendi animam adiuvantes ad operationes vitales tuentur communiter DD. Societatis quorum plures referunt novissime P. Quiros, & M. Aguirre vterque *in præsenti disput.* 83. ille *sect.* 1. iste vero *sect.* 3.

2908 Igitur veriorem existimo secundam sententiam, eaque propter affero non esse admittendas in anima potentias realiter distinctas adhuc inadæquate, & vt ipsam adiuvent ad eliciendos actus vitales. Probatur conclusio primo: quia non sunt multiplicandæ entitates, nec distinctiones, sine necessitate: sed eo ipso, quod anima immediate concurrat, ad actus vitales, vt ipsam concurrere supponimus ex quæst. præcedenti, & admittunt DD. eum quibus modo contendimus, non est necessitas ponendi potentias distinctas, quæ illam adiuvent, & cum ea partialiter concurrant: ergo non sunt ponendæ potentiæ realiter distinctæ, adhuc vt partialis virtus, animam adiuvantes.

2909 Secundo probatur eadem conclusio: quia, si admitti deberent potentiæ distinctæ animã adiuvantes innumeræ deberent admitti: cum ergo à contrarijs, determinatæ admittantur, potius nullas dari debere dicendum est. Antecedens probatur: si necessariæ essent potentiæ animam adiuvantes, nulla potest esse ratio, cur non detur vna ad amorẽ, alia ad odium, vnus intellectus ad aprehensiones, alter rea-

realiter distinctus ad iudicia, alter que ad discursus, alter deinde ad cognitiones practicas, alter etiam ad speculativas. Quod enim ex obiectis vnum intellectum, vnamque voluntatem adversarij colligere tentent inutile quidem est; id enim faciunt supponentes vnitatem earum; facilius tamen possent invenire plurium intellectuum specificativa, nisi, pro libito, prius vnum esse supponerent: omnia ergo rectius cohærent, si nullæ potentiæ ab anima realiter, adhuc inadæquate, distinctæ admittantur.

2910 Tertio probatur eadem conclusio: quia, si darentur potentiæ realiter distinctæ, quæ essent partialis virtus animam adiuvantes, altera earum esset voluntas, quæ vere amaret, etsi partialiter tantum, imò non solum, quæ, vtcumque amaret; sed etiam libere: sed impossibilis est voluntas, quæ vere amare dicatur, præsertim libere, ab anima realiter distincta: ergo non dantur potentiæ realiter ab anima distinctæ. Maior ab omnibus videtur admittenda; omnes enim voluntatem, quam distinctam ab anima ponunt, dicent poni ad hoc, vt velit, & amet, dicentque ipsam esse potentiam liberam. Consequentia etiam est clara; non enim potest dari id, quod includit aliquid impossibile: ergo si potentiæ distinctę modo, quo ponuntur à contrarijs, includunt voluntatem impossibilem dari, non dabuntur tales potentiæ. Minor ergo, in qua est difficultas, probatur: voluntas, quæ possit denominari libere amans, debet cognoscere bonum, quod amet: sed voluntas ab anima distincta non potest cognoscere obiectum, quod amet; cum etiam ab intellectu distinguatur: ergo impossibilis est voluntas ab anima distincta, quæ libere amans dici possit. Maior, in qua est difficultas, probatur: quia id, quod aliquis ignoranter facit, statim concipimus ipsum facere inculpabiliter, & non libere: ergo, vt libere faciat, debet facere cum cognitione, & cognoscere, quod facit: voluntas ergo distincta ab anima, vt libere amet, debet cognoscere obiectum, quod amat. Nec sufficere potest, quod intellectus, qui est in eadem anima cognoscat; quia adhuc eo cognoscente, verum est, quod voluntas non cognoscit: ergo ipsa poterit dicere: *Ignorans feci*, consequenterque non libere. Idem etiã dici potest, vt denominetur talis voluntas amans, etiamsi necessario; nam etiam ad amorem necessarium est necessaria obiecti applicatio facta per cognitionem; ea enim applicatio est indispensabiliter necessaria ad amandum, saltim de potentia ordinaria.

2911 Hoc argumento P. Quiros, qui novissime tuetur potentias inadæquate distinctas, convincitur, vt asserat voluntatem ab anima realiter inadæquate distinctam non amare libere, imò neque vitaliter: vnde & asserit *disput. 83. citata, num. 7.* quod eius concursus supple-

ſuppleri poteſt per auxilium extrin ſecum; quia ſolum habet adiuvare animam ad amandum. Sed contra eſt: quia ex iſta doctrina ſequitur, non vnam voluntatem ab anima diſtinctam, & vnum conſequenter intellectum; ſed innumeras voluntates innumeroſque intellectus admitti debere; cum quidquid effective ſimul cum anima concurrit ad amãdum dici debeat voluntas iuxta doctrinam iſtam, & intellectus quid quid ſimiliter concurrit ad intelligendum: cum ergo, præter potentias, quas ponit Quiros, innumera ſint alia, quæ ad amandum, & intelligendum concurrant effective, omnes, videlicet, habitus ſive adquiſiti, ſive infuſi, & præterea ad intelligendum, omnes ſpecies impreſſæ, innumeri intellectus, innumeræque voluntates diſtinctę admitti debent. Vim autem huius replicæ etiam videtur ſuboluiſſe Quiros, quapropter, vt eam effugiat, aſſerit potentiã volitivam, quam ipſe diſtinctam ponit, non tam debere dici *voluntatem*, quam *iuvamen animæ ad amandum*. Sed iam nobis largitur per doctrinam iſtam, quod præcipue intendimus, videlicet, quod intellectus, voluntas, viſus, auditus, & alij ſenſus, ſive vitales potentiæ ab anima non diſtinguantur, realiter, adhuc inadæquate, quod communiter intendunt noſtræ ſententiæ DD. & cuius oppoſitum docent illi, quos ipſe pro ſua citat. Sed quidquid ſit, an vnus, vel alius cum ipſo Quiros ſentiat minus vere ſentire conſtat ſatis ex 1 & 2. probatione, ex quibus 2. præſertim vrget contra Quiros; ſi enim potentiæ vitales iuxta ipſum nõ diſtinguũtur realiter inter ſe, vtpotequia omnes identificantur cum anima; quantumvis tam varia, ac diverſa obiecta reſpiciant, cur multiplicanda erunt iuvamina illa non vitalia, quæ à Quiros diſtincta ab anima ponuntur? Rurſuſque, ſi habitus, & ſpecies, quæ ad actus vitales adiuvant, per concurſum non vitalem, nimis multiplicantur, cur iuvamina illa à Quiros inventa, quæ, etſi per modum potentiæ, per concurſum tamẽ non vitalem iuvamen præſtant, non ſunt valde multiplicãda? Vtrumque ergo pro libito dici poterit: ne ergo hoc, quod ex ſe diſſonum apparet admittatur, negandæ ſunt omnino tales potentiæ diſtinctæ animam ipſam non vitaliter adiuvantes.

Soluuntur argumenta.

2912 Contra noſtram autem concluſionẽ obijcies primo: Anima eſt indifferens ad varios actus: ergo, vt modo ad iſtum, modo ad illum determinetur, indiget potentijs diſtinctis. Reſpõdeo, quod adhuc admiſsis potentijs diſtinctis datur indifferentia; cum intellectus, & voluntas adhuc ſint indifferentes ad varias ſpecie operationes: vnde ſicut intellectus, & voluntas neceſſario ſunt determinandi ad hanc, præ alia, operationem, ab aliquo, quod non ſit potentia, ab eodem po-

poterit animæ in differentia determinari.

2913 Secundo obijcies Argumentum fundamentale P. Quiros: actus vitalis supponit animam in statu connaturali: sed anima in statu connaturali constituitur per aliquod accidens: ergo actus vitalis, dum fit ab anima, præsupponit aliud accidens in ipsa: sed hoc accidens præsuppositum est potentia: ergo actus vitalis præsupponit in anima potentiam accidentalem, & consequenter distinctam. Minor probatur: omnis substantia creata completur in statu connaturali per aliquod accidens: ergo & anima per aliquod accidens constituitur in statu connaturali. Antecedēs probatur: primo inductione à substantijs, quas experimur. Secundo, quia sicut pertinet ad dominium Dei posse elevare substantiam ad perfectionem supra eius naturam, ita ad idem dominium pertinet posse tollere perfectionem, & statum connaturalem: quod fieri non posset, si substantia creata in suo statu connaturali non constitueretur per aliquod accidens. Tertio, quia omnis substantia creata habet capacitatem, vt vlterius perficiatur: ergo cū habeat virtutem producendi perfectionem accidentalem in se ipsa, sitque sibi optime applicata, necessario eam perfectionem accidentalem producet, quæ perfectio accidentalis necessario producta nequit non esse propria passio, ac proinde accidentalis potentia.

2914 Respondetur ad hoc argumentum negando minorē; perfectionem enim, quam haberet anima superadditis potentijs accidentalibus iuxta Quiros, habet in nostra sententia per se ipsam: ergo & per se ipsam est in statu connaturali, si aliunde non probatur ea potentiarum distinctio. Ad minoris autē probationes respondetur: ad primā inductionem nō valere ab alijs substantijs ad animam, vt vidimus *q. præcedenti, num.* 2900. Ad secundam, nego suppositum; nam posse elevare substantiam ad perfectionē supra eius naturam, non pertinet ad dominium Dei; sed ad eius potentiam, quæ omne id potest, quod contradictionem non involuit. Posito autem semel, quod possit, pertinet ad eius dominium eam, pro libito suo, elevare, aut non elevare. Vnde similiter pertineret ad dominium Dei, tollere à quavis substantia statum connaturalem, semel concesso, quod ad eius potentiam pertineret illum tribuere per communicationem alicuius accidentis; non tamen sic pertinet; nam, cum anima ex se sit potentia viralis ad intelligendum, & amandum, vt Quiros fatetur, absque fundamento dicitur, quod non sit ad hos, & similes actus potentia completa, sed quod compleri debeat per potentias accidentales non vitales, quas vix vllus, præter Quiros, excogitavit. Nec, vt Deus possit ponere animam permanenter in statu inconnaturali, sicut potest illam permanenter ele-

elevare ad statum supernaturalem, est ponendum accidens distinctum, per quod in statu connaturali constituatur; nam alias etiam dicere liceret, quod ipsa animæ perfectio essentialis, & substantialis deberet constare duabus entitatibus distinctis, vt scilicet Deus perfectius dominium in animam haberet, vtpote, qui posset, non solum animam producere, & ipsam destruere; sed vlterius dimidiam animam destruere, non destructa alia dimidia: cum ergo hoc nemo dicat, etsi diceret, processum in infinitum inciperet, dicendum, non esse admittendas potentias distinctas, eo fine, vt Deus possit vti sui dominio illas destruendo, & sic animam in statu inconnaturali relinquendo, sed potius eum modum ponendi animam in statu inconnaturali negandum; nec enim contra dominium Dei esse potest, quod ab anima non possit separare potentias, vt ea inconnaturaliter existat, eo, quod potentiæ ipsæ ab anima sint indistinctæ: nec eo fine, vt id possit, sunt ab ea distinctæ asserendæ; sed potius aliunde, an distinctæ, an potius indistinctæ, comperiendum.

2915 Ad tertiam denique probationem, concesso antecedenti, nego suppositum consequentis, quod scilicet, omnis substantia creata habeat virtutem producendi in se perfectionem accidentalem necessario. Inquiro namque si anima, quia substantia finita est, & ideo habet capacitatem, vt vlterius perficiatur, necessario producit in se aliquam perfectionem accidentalem; ergo, cum adhuc actuata per eam perfectionem accidentalem sit finita, & consequenter habeat capacitatem, vt vlterius perficiatur, aliam perfectionem in se necessario producet, ac proinde adhuc vna potentia producta producet aliam, & abibitur in infinitum. Quod si dicatur, quod per productionem vnius, vel aliquarum potentiarum constituitur in statu connaturali, ideoque non amplius producit alias, & alias potentias. Contra est quia nos asserimus, quod anima ipsa ante adventum potentiarum accidentalium habet in se identificatam perfectionem, quam superaddere possent illæ potentiæ accidentales, si darentur, & consequenter per illam constituitur in statu connaturali: ergo sicut, eis positis potentijs distinctis, non est necessarium, quod alias producat, sic, eis identificatis, necessarium non est, quod vllas, vel vllam potentiam producat: vnde ea productio potentiarum solum probatur, supposito, quod dentur tales potentiæ distinctæ, ac proinde id ipsum supponit probatio, quod tandem, & præcipue probare intendit.

2916 Tertio obicies: gratiæ habituali, quæ natura est in ordine supernaturali, superadduntur virtutes realiter distinctæ, quæ per modum potentiæ concurrunt ad actus supernaturales: ergo animæ, quæ natura est in ordine naturali, superaddi debent potentiæ realiter distin-

distinctæ ad elicientiam actuum naturalium. Respondeo primo, cum Lynceo *lib. 7. met. tract. 1. c. 2.* & Quiros *disp. 83. n. 10.* hoc argumentum probare multũ primo, quia virtutes à gratia realiter distinctæ sunt plures de linea intellectiva, & plures etiã de volitiva: ergo si cum proportione sunt in anima superaddendæ potentiæ, non tantũ vnus intellectus, & vna voluntas; sed plures realiter distinctæ admittendæ sunt. Secundo, quia gratia, quæ est natura supernaturalis non concurrit immediate ad actus supernaturales, sed medijs supernaturalibus virtutibus superadditis: ergo si probat aliquid argumẽtũ probat etiã, quod animæ potentiæ ita poni debeant distinctæ, vt anima immediate non concurrat ad actus vitales, quod non admittunt DD. quos in hac quæstione impugnamus. Secundo & directe ad argumentum respondeo, negando consequentiam, quamvis enim aliquam similitudinem habeat gratia cũ anima in eo, quod est vtramque in suo ordine dici naturam; tamen in pluribus sunt valde disimiles: vnde ergo vel apparenter constat, quod disimiles non sint in distinctione virtutum à gratia, & indistinctione potentiarum ab anima. Vtique, præterquam quod gratia est ordinis supernaturalis, anima vero ordinis naturalis: gratia pertinens ad prædicamentum qualitatis; anima ad prædicamentum substantiæ: præter hæc, inquam gratia non vivit per virtutes sibi superadditas, neque per eorum actus; anima autem vivit per actus potentiarum; hæc autem disparitas, omni alia secluſa, sufficit, vt quamvis virtutes distinguantur à gratia, non sic potentiæ distinguantur realiter ab anima, vt constat ex dictis *quæst. præced. num* 2892.

2917 Quarto objicies: substantia prius producit accidentia invariabilia, quam variabilia, vtpote, quia ista magis ab illa distant: ergo anima prius, quã producat actus vitales, debet producere potentias distinctas, quæ sunt accidentia invariabilia. Respondeo negando antecedens, si vniversaliter sumatur quia nulla est ratio, quare sic semper debeat contingere; primo enim, quod accidentia variabilia magis distent potius probat debere prius produci cum ab imperfectioribus natura procedere soleat. Solum ergo verum est, quod quando substantia producit vtraque accidentia, prius producat invariabilia, & huius ratio nõ est, quod minus distent; sed quod pertineant ad statum connaturalem substantiæ.

2918 Quinto objicies: iuxta nostram sententiam veras esse has propositiones: *Anima voluntate intelligit; anima intellectu vult*: sed sunt omnino falsæ: ergo & nostra sententia. Respondetur eas propositiones communiter accipi in sensu formali: si ergo sic accipiantur falsa est maior argumenti: cum enim nos tantũ dixerimus, potentias cum anima & inter se realiter idẽtificari,

non sequuntur propositiones illæ in sensu formali acceptæ. Si autem accipiantur propositiones illæ in sensu reali, & idẽtico veræ sunt, & minor argumenti falsa. Solum ergo incõveniens esset, quod prædictæ propositiones essent veræ in sensu formali, vt autẽ sic veræ non sint, sufficit distinctio formalis potentiarũ ab anima & inter se: hanc concedent communiter nostræ sententiæ DD. si namque hanc distinctionẽ admittũt inter animal, & rationale, nulla ratione eam negare poterunt inter potentias, & animã. Solum ergo diversitas esse poterit in modo intelligendi eam distinctionem formalem; alij enim intelligent de formali per rationem, alij de virtuali intrinseca; & alij tandem de formali ex natura rei: quinam autem verius sentiant non est huius loci examinare, sed ex dictis *in Logica disp. 3 à q. 9.* vsque ad finem resoluendum est cũ enim nulla sit ratio cur minus distinguãtur potentiæ inter se, & ab anima, quã gradus metaphysici inter se, qui nobiscũ ibi sentiũt eos gradus virtualiter intrinsece distingui idẽ in præsenti materia sentire debent; qui vero aliter de formali graduum distinctione sentiunt, etiam nunc aliter de distinctione potentiarum ab anima, & inter se sentire poterunt.

2919 Vltimo obijcies authoritatem D. Thomæ qui oppositam sententiam sæpe docet præsertim *1 p. q. 54. art. 1.* vbi vniversim concludit: *Vnde essentia Angeli non est eius potentia intellectiua; neque alicuius creati essentia est eius operatiua potentia.* Respondetur D. Thomam negare identitatem formalem essentiæ cum potentia operativa non vero identitatem realẽ. Quod confirmari potest quia alij SS. PP. aperte docent identitatẽ realem potentiarum cum anima; sed si dicamus D. Thomam negare solũ identitatem formalem cohæret recte cum illis; si autem dicamus negare identitatem realem illis contradicit: ergo illam, & non istam negare, debemus dicere. Maior, in qua est difficultas constat in primis enim D. Bernardus *Serm. 11. in Cantica*, sic fatur: *Tria intueor in anima: memoriam, intelligentiam, & voluntatem, & hæc tria esse ipsam animam.* Deinde D. Isidorus *lib. 11 ethimolog. cap. 1. Hæ potentiæ*, inquit *ita adiunctæ sunt animæ, vt vna res sint.* Et alij similia loquuntur. Si autem adhuc dura videatur nostra D. Thomæ expositio videat quilibet, an mollior sit, quam præbet M. Aguirre authoritatibus pro nobis adductis ait namque hos, & alios SS. PP. exponi debere de identitate radicali in primis enim, quamvis SS. PP. solummodo assererent animam esse suas potentias satis dura, & parum credibilis esset ista expositio; cum ergo non ita loquantur, sed potius dicant potentias esse ipsam animam, adhuc magis incredibilis redditur ea expositio; cum enim potentiæ animam ipsam

non

non radicent non possunt esse ipsa anima radicaliter, adhuc dato, quod, quia anima potentias radicat, dici possit, quod sit potentiæ radicaliter. Alia duo argumenta contra indistinctionem potentiarum ab anima solvuntur in duabus quæstionibus immediate sequentibus.

QVÆSTIO III.

A quonam animæ potentiæ specificentur.

2920 COMMVNITER Nomine specificativi intelligitur id, quod, saltis improprie, specificare dici potest: ratio autem est, quia ea, quæ proprie specificant, communiter nobis non ita nota sunt, ac improprium specificativum: vnde nobis, ad speciem rei assignandam, magis deseruit id, quod, minus proprie, specificat. Igitur specificativum proprium est, quod dat speciem: hanc autem cum det causa rei, intrinsece, si sit intrinseca, & extrinsece, si extrinseca, specificativum proprium dividitur in intrinsecum, & extrinsecum: intrinsecum est ipsa forma, seu essentia rei specificatæ; ipsa enim est, quæ in genere causæ formalis, quæ est intrinseca, rem ipsam in tali specie constituit. Specificativum extrinsecum est causa efficiens; ipsa enim est, quæ in genere causæ efficientis, quæ extrinseca est, dat rei speciem. Quia tamen specificativa ista sæpe sunt incognita: primũ, quia essentiæ rerum in hoc ergastulo carnis sunt nobis valde incognitæ, & solũ à posteriori eas venamur: secũdũ: quia vna causa solet plures effectus specie producere, vnde cuius speciei sit quilibet, pendet ab eius arbitrio, si libere illũ producit; si vero necessario, ab arbitrio Dei libere determinantis omnes species, & individuationes rerum, ad quas non invenitur causa secunda, cui tribui possit determinatio: cum ergo huiusmodi determinationes nobis notæ non sint, istud etiam specificativum nobis, ad speciem rei productæ indagandam, prodesse raro solet. Propter hæc ergo ad improprium specificativum communiter confugimus, quod est illud, à quo essentiam rei, & speciem possumus indagare, quamvis in nullo genere causæ illam causative attingat. Hoc ergo specificativum extrinsecum, & improprium communiter quærunt DD. dum de rerum specificativis quæstionem excitant; vel potius specificativum extrinsecũ, quod sit signũ, & nos manuducat in speciem rei, præscindendo ab eo, quod eius sit causa, aut non, & consequenter loquuntur de specificativo, quod ab specificativo extrinseco proprio, & improprio præscindat, aliquando enim specificativum extrinsecum proprium invenitur aptum, ad rem, quoad nos etiam, specificandam; aliquando vero tale non reperitur; sed necessarium est recurrere ad extrinsecum specifica-

tivum improprium, vide dicta *à n.* 1768. Hoc supposito pro dicendorum intelligentia.

2921 Aliqui DD. contra nostram sententiam de indistinctione potentiarum ab anima sic argumentantur. Potentiæ animæ specificantur ab actibus earum immediate, & mediate ab eorum obiectis: sed tam actus, quam obiecta diversarum potentiarum animæ, sunt diversi in specie: ergo ipsæ potentiæ diversæ in specie sunt, & consequenter realiter inter se distinctæ: ergo & ab anima; cum non possint cum ea identificari, quin identificentur inter se. Sed ad hoc argumentum primo respondetur per instantiam, ex qua clarescit, quam difficile Thomistæ possint defensare distinctionem realem potentiarum ab anima: sic ergo argumentum instio: potentiæ distinguntur per actus, & obiecta: sed in linea intellectiva dantur plures species actuum, pluraque specie obiecta: ergo in linea intellectiva dantur plures potentiæ specie diversæ, consequenterque realiter distinctæ. Ecce eandem formam arguendi Thomistarum: cumque illi plures intellectus realiter distinctos negent plures animæ potentias realiter suo argumento non convinci, dicendum est.

2922 Sed dices: omnes actus lineæ intellectivæ, & omnia eorum obiecta convenire in aliqua ratione generica; ab ista autē sumitur potētiæ vnitas, quia actus sumūt vnitatē à ratione specifica obiecti; potentiæ vero, quia magis vniversales, à ratione generica eiusdem. Sed contra sic argumētor: in linea intellectiva nō solū dantur plures species actuum, & obiectorū; sed etiā plura genera: ergo etiamsi potentiæ specificentur à ratione generica, dabuntur plures intellectivæ potentiæ. Sed respondebis iterū intellectivam potentiam esse valde vniversalē, ideoq; non specificari à ratione generica quacumque; sed à ratione generica valde vniversali, nimirum, à ratione veri, & à ratione actus sub ratione veri respicientis obiectum. Contra tamen est: quia cur ad specificandum intellectum non sufficiet ratio obiecti iudicative attingibilis? Ista enim valde vniversalis est; cum sub se contineat non solum diversa specifice obiecta, diversosque specificē actus; sed etiam generice? Dices, quod, quamvis valde vniversalis sit ista ratio obiecti, non tamen est tam vniversalis, ac potentia intellectiva; quia ista extenditur etiam ad alias rationes. Contra: quia ideo extenditur, quia supponimus vnum intellectum dari, ad omnem rationem veri attingendam: ego autem contendo dari ad minus tres intellectus, vnum apprehensivum, alium iudicativum, discursivum alium: intellectus autem iudicativus non se extendit ad alia vera, nisi ad ea, quæ ego assignavi; si autem se extendit, non est alia ratione, nisi quia tibi placet ponere intellectum ita vniversalem, vt omnes actus,

pro

pro quibus contendo ponere tres intellectus, amplectatur. Modo ergo, eadē licentia, pono ego non solum in anima vnum intellectum; sed etiā vnam tantum potentiā; sicut enim tu dicis vniversalitatē intellectus esse tantam, vt non solum se extendat ad obiecta iudicabilia, sed etiam ad omnia vera, ego pono vnam animæ potentiā adhuc magis vniversalem, quæ non solum se extendat ad omne verum, sed etiam ad omne obiectum intentionaliter attingibile (& quidem realiter loquendo hoc ita esse iudico) iam ergo ego pono vniversaliorem potentiam, eique assigno vniversalius obiectum: cur ergo tua vniversalitas melior, mea, nisi, quia supponis intellectum, & voluntatem esse duas potentias realiter distinctas? Supra etiā minorem, tua, vniversalitatem assignavi, cur ergo tua vniversalitas meæ minori præferenda? nisi quia supponis non dari plures intellectus realiter distinctos. Argumentū ergo Thomistarum nihil, profecto, probat, nisi supponat id ipsum, quod intendit probare. Ecce instantiam.

2923 Nunc ergo ad argumentū absolute respondeo potētias animę specificari ab actibus, & obiectis earū realiter, si supponantur realiter distinctæ; formaliter vero, si supponātur distinctæ formaliter. Aut ergo arguens supponit potentias realiter distinctas, aut nō: si supponit, supponit iam, quod intendit probare; si non supponit: ergo ponit maiorem propositionem falsam; siquidem falsa debet esse realiter intellectus, si potentiæ realiter distinctæ non supponantur. Vt autem constet, quam solida sit ista solutio, assumptum in ea à me sumptum probatur: potentiæ non possunt, etiam apud adversarios, specificari ab actibus (idem de obiectis intellige) inadæquatis; sed solum ab adæquatis: sed actus illi, qui sunt adæquati respectu intellectus suppositi eius reali distinctione à voluntate, nō sunt adæquati realiter, non supposita distinctione: ergo actus qui, supposita distinctione, specificant, ea non supposita non possunt realiter specificare. Cōsequentia est rectissima, si præmissæ recte perpendantur: maior apud omnes indubitata: & minor non minus clara, terminis penetratis; quia tunc aliqui actus sunt adæquati respectu alicuius potentiæ, quando potentia nequit se extendere ad alios præter ipsos: sed posita identitate, seu indistinctione reali intellectus à voluntate, intellectus, realiter loquēdo, se extendit ad actus volendi, qui non continentur sub actibus attingentibus verum: ergo posita tali identitate, actus intellectus non sunt respectu illius adæquati realiter, qui posita distinctione reali, essent realiter adæquati.

2924 Notandum tamen, quod cum nos dicamus intellectum à voluntate formaliter distingui, bene possumus dicere, quod formaliter loquendo, à vero specificatur, & voluntas à bono. Etsi cōtra nos replices in specificatione formali, quæ nos in

reali contra Thomistas obijciebamus n. 2921. & 2922. non præmet argumentũ multũ; dicemus enim facile, dari vnũ intellectũ formaliter, ita tamen, vt sit vnus vnitate generica (semper loquor formaliter) & sit vna formalitas divisibilis in plures formalitates; non enim recusamus, quod intellectus apprehensivus, iudicativus, & discursivus sint tres intellectus formaliter. Cum autẽ Thomistæ, dum loquuntur de specificatione reali, non audeant species intellectuum, & aliarum potentiarum multiplicare realiter, modo, quo nos formaliter fit, quod, quantumvis ipsi replicis ibi positis præmantur valde, nos tamẽ nõ ita in specificatione formali. Ex dictis non solum manet argumentum solutum, sed etiam quæstio præsens resoluta; dicimus enim animæ potentias nec mediate, nec immediate ab obiectis, aut actibus, realiter loquendo, specificari, ob defectum distinctionis realis; formaliter tamen loquendo, specificari immediate ab actibus; mediate vero ab eorum obiectis.

QVÆSTIO IV.

In quonam subiectentur subiecto sensationes materiales.

2925 ADHVC Nos sequuntur argumenta contra indistinctionem animæ ab eius potentijs; aliqui enim contendentes potentias sensitivas ab anima distingui sic argumentantur. Anima rationalis non potest elicere immediate sensationes materiales: ergo ad eas eliciendas indiget potentia materiali distincta. Probant antecedens: si anima immediate eliceret sensationem materialem, deberet eam recipere; cum actiones vitales in ipso agente debeant manere: sed materialis sensatio nequit in anima recipi: ergo nec ab ea elici immediate. Minor probatur: quia nullum accidens spirituale potest recipi in subiecto materiali: ergo neque vllum materiale accidens subiectari poterit in subiecto spirituali, consequenterque sensatio materialis in anima spirituali subiectari non poterit. Hoc argumentum bene instat Linceus: nam potentia illa materialis, quam contendit arguens, in quonam subiectatur? aut enim subiectatur in anima sola: si ergo in ea sola subiectatur potentia materialis, cur non etiam materialis sensatio? aut subiectatur ea potentia in materia sola, etsi sic, cur non etiam in ea subiectabitur sensatio? aut cur bene sentire poterit anima per potentiam in sola materia subiectatam, & non etiam per sensationem subiectatam in ea? aut denique illa potentia subiectaretur in materia, & forma simul: & si ita, cur hoc ipsum dicere non licebit de sensatione. Igitur, vt absolute argumentum solvatur, iudicium de eo, quod titulus quæstionis inquirit, obiter faciendum est.

2926 Prima ergo, & communior sententia tenet sensationes ma-

materiales in homine in sola materia subiectari. Secunda, aliquorum sententia, inter quos sunt Arriaga, Alphonsus, & Carleton, tenet tales sensationes in materia, & simul in anima rationali subiectari. Tertia, setentia adhuc magis singularis, quam Linceus, etsi problematice, amplexatur *lib. 7. metaph. tract. 1. cap. 3. num. 22.* tenet materiales sensationes in anima sola subiectari. Sentio ego quamlibet ex his sententijs probabilē esse, & per quamlibet illarum optime fieri satis argumento posito. Quia tamen cuiusque sententiæ difficultas non in alio consistit, quam in removendis inconvenientibus, & difficultatibus, quæ contra quamlibet militant, ideo cuiusque probabilitatem, quam defendimus, non melius declarare possumus, quam solvendo argumenta, quæ contra vnamquamque fiunt.

Soluuntur argumenta.

2927 Contra primam, & communem sententiam asserentem hominis sensationes materiales subiectari in sola materia, objicies primo: id recipit sensationem, quod per eam sentit: sed anima, & non corpus, sentit: ergo anima, & non corpus, recipit sensationem. Minor constat ex D. Aug. *lib. 11. de Genesi ad literam cap. 24.* vbi ait: *Neque enim corpus sentit; sed anima per corpus.* Secūdo objicies: sensatio materialis dirigit animam, vt appetitionē efficiat: ergo anima cognoscit per illā; non enim potest aliter dirigi: sed non potest anima cognoscere per sensationē, nisi eam recipiat: ergo recipit anima sensationem.

2928 Ad primam obiectionē respondet Hurtadus sufficere, quod totum sentiat, & ad hoc satis esse, quod anima sensationē efficiat, corpusque eam recipiat. Sed hæc doctrina non valde congruit menti eorum, qui potentias ab anima nō distinguunt; renuunt enim, quod possit voluntas libere amare, cognitione in intellectu existente: hoc autem renui non deberet; quia iuxta doctrinam huius solutionis, etiam dici posset sufficere, quod totum per vnam sui partem cognosceret, & per aliam amaret, vt verificaretur, quod cognoscens amabat. Quapropter ex Oviedi doctrina respondeo ad primam obiectionem, quod, vt aliquid sentiat, non est necessarium, quod sensationem recipiat, si receptio sumatur pro causalitate materiali, quæ est inhæsiva receptio, sed sufficit, quod per eam informetur: sensatio autem in materia inhęsive existens potest existere informative in forma, per aliam vnionem distinctam, & ista existentia informativa est, quæ requiritur ad immanentiam, quæ est de ratione actionis vitalis: quamvis autem nunquam possit inhæsio ab vnione, & informatione naturaliter separari; bene tamen informatio ab inhæsione cumq; informatio sufficiat, & possit dari sola, sic philosophandum

dum est, nē dicamus animæ spirituali inhærere materiale accidens; cum hoc iuxta plures contingere nequeat, & saltim negari non possit, quod est inusitatum, & solum ad effugiendam difficultatem inventū, quam optime per doctrinam datam evadimus. Ex qua etiam doctrina claret responsio ad secundam obiectionem cum anima bene reddatur cognoscens per hoc, quod sensatione informetur, quamvis sensatio ex ea non educatur, nec ab ea materialiter causetur.

2929 Contra secundam autem sententiam non ita communem obijcies primo: non potest res spiritualis recipi, adhuc inadæquate, in subiecto corporeo: ergo neque è contra res materialis in subiecto spirituali; cum non minor sit improportio. Secundo non potest res materialis recipi adæquate (hoc est vt in subiecto adæquato) in subiecto spirituali: ergo neque inadæquate; improportio enim non minus tollit secundum, quam primum. Tertio, in anima rationali non inveniuntur alia materialia accidentia, vt color, odor, & similia; alias animæ dici possent rubræ, albæ, &c. ergo neque sensatio materialis. Quarto, sensatio vtpote materialis, est divisibilis: sed non potest animam constituere divisibilem: ergo neque in ipsa recipi.

2930 Respondetur tamen ad has obiectiones: ad primam negando consequentiam: & ratio est; quia, quod res spiritualis in subiecto corporeo recipi nequeat; non facit improportio; sed natura ipsa rei spiritualis, quæ ex proprio conceptu petit esse à corpore independens, dependeret autem ab eo, si reciperetur in illo, vt in subiecto eductionis, de qua receptione est quæstio: res autem materialis non constituitur per independentiam ab spiritu. Ad secundam similiter respondeo, negando consequentiam; quod enim res materialis non possit adæquate subiectari in subiecto spirituali, non provenit ex improportione; sed eius ratio est, quia, si in eo adæquate subiectaretur, non dependeret à corpore, ac proinde corporeum, & materiale esse non posset: si autē inadequate solū subiectetur, potest etiam inadæquate subiectari in materia, & per hanc ab ea dependentiam materialis dici. Tertia, obiectio instantiam habet in animabus materialibus, quæ sensationes recipiunt, & tamen non recipiunt qualitates alias in obiectione memoratas. Neganda ergo est consequentia, quia propter rationem vitalitatis habet anima capacitatem respectu sensationis, quam non habet, respectu aliarum qualitatum. Ad quartam denique, concessa maiori, & minori, nego consequentiam; quia, vt formn aliqua in aliquo recipiatur subiecto, necessariū non est, quod illi communicet omnem effectum, aut denominationē, quam ipsa habet, aut in se continet; nunquid anima rationalis denominat materiam indivisibilem? ne-

qua-

quaquam. Aliæ inſtantiæ paſsim reperiuntur.

2931 Contra tertiam denique ſententiam obijcies primo: quantitas recipitur in materia prima, & non in forma materiali, quamvis ipſa etiam extenſa ſit: ergo ſenſatio recipietur in materia, & non in anima, quamvis anima ipſa ſentiat. Secundo: ſi anima ſola reciperet materialem ſenſationem eſſet ipſa tota ratio ſentiendi; ſiquidem, & eliceret, & reciperet ſenſationem: ergo ſeparata etiam ſentiret. Tertio à priori obijcies, quod, ſi ſenſatio ſubiectaretur adæquate in anima, non poſſet eſſe materialis; quia, cum non ſit corpus, ſolum materialis dici poteſt per hoc, quod depẽdeat à corpore, & non dependeret, ſi in anima adæquate ſubiectaretur.

2932 Reſpondeo tamen ad primam obiectionem, negando conſequentiam ratio diſparitatis eſt duplex. Prima, quod, vt forma extendatur per quantitatem, non eſt ita neceſſaria immediata eius receptio, ſicut eſt neceſſaria immediata receptio ſenſationis, vt per eam ſentiens reddatur; hæc enim maior exigentia oritur ex conceptu formali vivẽtis. Secunda diſparitas eſt, quod quantitas ſe habet, vt diſpoſitio materiæ ad recipiendam formam: non ergo mirum eſt, quod ſit pro priori ad illam ex materia omnino educta. Ad ſecundam obiectionem reſpondeo, negando conſequentiam; quia, quamvis anima ſit tota ratio agendi, & recipiendi ſenſationem, requirit tamen corporeum organũ vt conditionem; cumque iſtud deficiat in ſtatu ſeparationis, ſenſationem nequit elicere. Ad tertiam denique obiectionem reſpondeo, eam vim habere non parvam, ſi de ratione, & conceptu corporis, & ſpiritus philoſopherur iuxta noſtras illorum definitiones; cum tamen probabiliter poſsit iuxta alias philoſophari, dicendo rationem, & conceptum rei corporeæ conſiſtere in diviſibilitate, vel, vt alij, in impenetrabilitate, poterit ſenſatio, etiamſi adæquate in ſubiecto ſpirituali recepta, conceptum materialis habere: ſufficit autem tertiam ſententiam defenſare, iuxta principia probabilia, quãvis non ſint noſtra, vt eius, probabilitatem ſuſtineamus. Duæ tamẽ priores ſententiæ, etiam iuxta noſtra principia defenſari poterunt; ſecunda tamen habet maiorem conſequentiam ad dicta *diſp. 1. phyſic.* Vbi vnionem materialem hominis in materia, & ſimul in anima rationali diximus recipi, & ab vtraque materialiter cauſari.

2933 De ſenſationibus hominis egimus in hac quæſtione; quia de eis eſt ſpecialis difficultas, vt vidimus, propter eius animæ ſpiritualitatem. De ſenſationibus autem brutorũ facile dici poteſt eas aut in toto, aut in anima ſola ſubiectari; verius tamen videtur hoc ſecundum; quia, ad hoc, vt in anima ſubiectentur, vrget præcipue, quod ipſa per eas ſentiat: cumque ipſa ſufficiat adæquate cauſare materialiter ſenſationem

nem, non est cur ei adiutorium materiæ sit adhibendum.

QVÆSTIO QVINTA.

Circa potentias in communi aliqua dubia resoluuntur.

2934 DVBITABIS Primo: vtrum, ex suppositione, quod potentiæ ab anima realiter distinguerentur, possent ab ipsa separari divinitus, & anima ab illis. Respondetur affirmative; nihil enim, quod momenti sit afferri contra hoc potest; hoc enim ipso, quod potentiæ non sint modales entitates, non est cur repugnare possit ea separatio: quod autem modales non sint, & fateantur, qui eas non posse separari communius dicunt, & constat ex eo, quod nullo fundamento constet eas modales esse: vnde quamvis eas absolutas esse non constet iudicandæ sunt absolutæ; hoc enim modo iudicium ferendum in similibus casibus constabit ex dicendis in metaphysica, dum de subsistentia agamus.

2935 Secundo dubitabis, vtrũ tales potentiæ separatæ operari possent. Ante resolutionem suppono prædictas potentias separatas posse poni in subiecto extraneo: ratio est, quia non minus connaturale est ipsis subiectum absolute, quam subiectũ animatum: sed iuxta dicta num. præcedenti possunt sine subiecto conservari: ergo sine subiecto animato in alio non animato. Nulla in hoc potest assignari implicãtiæ ratio. Hoc supposito ad secundam dubitationẽ respondeo primo potentias spirituales ab omni subiecto separatas posse operari. Probatur hoc; quia aut potentiæ ab anima distinctæ sunt tota ratio agendi, aut solum partialis agendi ratio, si totalis non est cur accidentia vini à substantia vini separata eadem operationes, & effectus habeant, adversarijs fatentibus, ac cum ipso coniuncta, & similiter potentiæ spirituales animæ non se habeant. Et si inde inferas, quod voluntas posset peccare & damnari. Respondeo primo neutrum inferri, si dicamus posse operari necessario non autem libere. Secundo respondeo iuxta præsentem providentiam neutrum sequi cum solum Diuinitus operari posse concedatur; iuxta aliã vero providentiam data distinctione, & posita divinitus separatione voluntatis ab anima inintelligibile non esse quod ad aliquam pœnam damnari posset, si peccaret separata. Si autem sunt partialis tantum ratio agendi, quamvis sint separatæ ab anima, hoc est, ei non vnitæ, possunt tamen illi esse approximatæ ita, vt simul cum illa concurrant ad educendos actus ex ipsa; imo, etsi non approximentur, possunt, alio saltim multiplicato miraculo, cum anima dicto modo concurrere; cum per miraculum possit suppleri applicatio, vt in physica vidimus.

2936 Respondeo secundo nec potentias materiales separatas ab omni subiecto, nec positas in subiecto

ſecto extraneo poſſe operari proprias operationes: idemque eſt de ſpiritualibus in ſubiecto extraneo poſitis. Probatur reſponſio: quia potentiæ materiales eſſentialiter petunt, ad operandum ſuas operationes, ſpeciale organum, hoc ſimiliter poſtulant potentiæ ſpirituales, dum in ſubiecto ſunt materiali: ſed potentiæ materiales ſine ſubiecto, aut in ſubiecto extraneo non habent organum proprium, ſimiliterque ſpirituales: ergo tam materiales ſine ſubiecto, & in ſubiecto extraneo, quam ſpirituales in extraneo etiam ſubiecto, nequeunt operari. Quod autem organum ſit eſſentialiter requiſitum, credendum videtur; cum neminem, adhuc divinitus, aure poſſe percipere colorem, omnes credamus, & non videatur facilius illum poſſe percipere, pede, aut ligno, & ſi ibi ſit accidentalis admiſta potentia viſiva. Etſi dicas, ſit in ligno potentia viſiva, ibique divinitus ponatur eius organizatio. Reſpondeo per eum novum miraculum, tũc viſuram illam potentiam; ſed dici non poteſt, niſi divinando, quod poſsibile ſit talem organizationem in ligno poni, cum omnibus requiſitis, quæ in vivente habet, quin ibi ponatur forma vitalis ſubſtantialis: ſed quamvis affirmari non poſsit; nagandi tamen adhuc non video ſufficiens fundamentum.

2937 Dubitabis tertio, an potentiæ ab anima ſeparatæ, & ab omni alio ſubiecto haberent modum perfectitatis. Reſpondeo breviter (hæc enim quæſtio tractatur in materia de Euchariſtia, circa euchariſtica accidentia, de quibus eſt eadem ratio) nequaquam illum habituras. Ratio eſt: quia per creationem ſufficienter conſtituerentur à ſubiecto independentes: ad quid ergo multiplicandus alius modus. Nec obſtat, quod forma ſubſtantialis ſeparata illum habeat; dicendum namque eſt, quod, ſi forma in toto habeat ſubſiſtentiã partialem, non indiget ſeparata alio perfectitatis modo; ſi vero ſubſiſtebat, vt volunt aliqui, per ſubſiſtentiam totius, orietur in illa modus perfectitatis, qui ſubſiſtẽtię ſuppleat defectũ; cum tamen accidens nunquam habeat ſubſiſtentiam, non indiget, modo aliquo eius defectum ſupplente.

QVÆSTIO SEXTA.

De ſenſibus externis.

2938 CVM De potentijs animæ vegetativæ nihil ſit opus in præſenti examinare; quia omnia, quæ ad ipſas attinent in lib. de generat. examinavimus, gradum facimus, ad potentias animę ſenſitivæ, ideoque in hac quæſtione quinque eius ſenſus externos percurremus, ſingulorum organizationes breviter explicando, vt ad alia, quæ circa ipſos diſputantur in ſequentibus tranſeamus. Primus ergo ſenſus externus eſt viſus, interomneſque præſtantiſſimus, vt conſtat, tum ex eius pulchritudine, miraque ſui organi diſpoſi-

positione: tum ex latitudine sui obiecti, modoque illud attingendi, ac ex sede, quam ei natura præscripsit. Habent ergo oculi musculos sex in homine, vt quoquoversum moveantur: in belluis additur septimus, qui deservit ad illos ex inferiori parte detinendos, ne deorsum exorbitent. Habent præterea oculi quinque tunicas, apud Lynceum sex, earum nomina ipsarum denotant diversitatē: prima, hoc est interior, dicitur specularis, seu vitrea: secunda, reticularis: tertia, apud Lynceum aranea; hanc vero omittunt alij, & ideo, apud ipsos, tertia est vbea, & huius color magis apparet, ideoque ab huius coloris diversitate, diversi coloris oculi apparent, & denominantur. Quarta tunica dicitur cornea. Quinta, & exterior dicitur alba, diciturque etiam adnata, seu adhærescens; quia illius beneficio stat tota oculi fabrica. Deinde habent oculi tres humores: primus, hoc est, magis internus, dicitur crystallinus: secundus vitreus: tertius aqueus. Habent denique, omissis alijs, quæ oculos circunstant, duos nervos, qui optici, seu visorij vocantur, qui à cerebro ad oculos pergunt, in medio tamen itinere iunguntur. Per hos nervos ad oculos spiritus vitales transmittuntur, per eosdemque species rerum visarum ab oculis ad sensum internum emitti communiter dicuntur.

2939 Si autem inquiras in quam partem oculi visio fiat. Respondeo fieri in humore crystallino; ea enim pars aptior esse videtur, ob eius conspicuitatem, & transparentiam, eaque pupilla oculi dicitur, quoad eam partem, quæ per foramen tunicæ vbeæ apparet. Quamvis autem sententia ista communis sit, & recepta, vt testatur Illustrissimus Merinero illam sequens *lib. 2. de anima disp. 7. quæst 5. num. 5.* oppositam tuentur Complutenses *in præsenti disp. 9. quæst. 4.* asserentes potentiam visivam subiectari non solum in pupillis, sed insuper, & præcipue, in nervis opticis, ea præsertim parte, qua coniunguntur. Amplius autem nostrę sententiæ cō tradicit M. Aguirre *disp. 86. sect. 2.* negans omnino visionem fieri in pupilla, asserensque fieri solum in nervis opticis, ea parte, qua coniunguntur. Ex ipsis ergo objcies: potētia visiva, & eius operatio in quolibet animali est vnica: ergo vnicum debet habere subiectum, ac proinde nec potentia visiva, nec visio in pupilla, quæ duplex est, subiectatur; sed solum in nervis opticis, ea parte, qua coniunguntur. Antecedens probatur primo: quia est iuxta communem existimationem sapientium, & insipientium. Secundo, quia alias plures sensus, quam quinque, darentur. Tertio, quia tum potentię visivæ, tum visiones solo numero distinguerentur: duo autem accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subiecto. Quarto, quia sufficit vna potentia visiva, cur ergo admittenda duplex?

2940 Sed in primis in nostra sententia

ſentia non diſtinguente potentias ab anima, neceſſarium non eſt, eo, quod viſio in oculis contingat, quod detur duplex numero potentia viſiva. Deinde, dato, quod ab anima potentiæ diſtinguantur, non eſt inconveniens duplicem ponere potentiam viſivam, vt eam ponit citatus Merinero. Vnde ad obiectionem nego antecedens. Ad cuius probationes reſpondeo. Ad primam potius communem exiſtimationem eſſe, quod oculis cernimus, & auribus audimus, nemo autem negat, quod duo ſint oculi in quolibet animali. Ad ſecundam dici poterat, quod duplex potentia viſiva ita datur, vt quævis ſit inadæquata, & vnam vtraque cõponat adæquatam; vel, hoc omiſſo, quod dentur quinque ſenſus ſpecie diverſi: cum autem duplex potentia viſiva ſpecie diverſa non ſit, vt fatetur M. Aguirre, non auget quinarium ſenſuum numerum. Ad tertiam dato, quod duo accidentia numero diſtincta eſſe non poſſint in eodem ſubiecto, ad rem in præſenti non eſt quia id intelligitur de eodem ſubiecto, & eadem ſubiecti parte: duplex autem potentia viſiva numero diſtincta ita eſſet in eodem ſubiecto, vt altera eſſet in vna ſubiecti parte, altera in alia, altera, ſcilicet, in vno oculo, altera in alio: ſic autem nec apud Thomiſtas repugnare poteſt; cum duplex albedo ſolo numero diſtincta eſſe poſſit, & de facto ſit in duplici hominis manu, altera ſcilicet in vna, altera in alia. Ad quartam omnes reſpondere tenentur; nam duo oculi negari non poſſunt: ergo ſive deſerviant, vt in eis viſio fiat, ſive, vt recipiant ſpecies, cum ſufficiat vnus alter ſuperflueret. Dicendum ergo naturam providiſſe duos maxima providentia: tum ad venuſtatem; tum, vt læſo, vel deficiente vno, alter remaneret; tum vt latiori ſphæra potentia viſiva frueretur: ac denique, vt alter alterum iuvaret, & ſic minus defatigarentur.

2941 Sicut viſio fit in materia cryſtellina, ſic auditio in aerea; eſt enim intra aures cavitas quædam, in qua, inſtar aeris, ſubtiliſsima ſubſtantia invenitur. Ad hanc cavitatem ducit via quędam tortuoſa, quæ ab aure incipit, & per quam tranſit ſonus, aut eius ſpecies, ſimulque propter auriculæ cuſtodiam, & viæ varios anfractus, eſt ab alijs corporibus cuſtodita. Dictam cavitatem tria oſa ambiunt, alterum formam incudis habet, aliud malleoli, ſtapedis aliud: illa autem cavitas vocatur membrana atque etiam tympanum, propter ſtrepitum, quem audire ſolet, qui aurem digito obturat.

2942 Olfatio, ſeu odoris ſenſatio fit in ſuperiori parte naſi, in duabus carunculis ſpongioſis, quæ, inſtar ſpongiæ, aut cribri, foraminibus ſunt plenæ, & mammillares vocantur eo, quod mammillis ſimiles ſint in figura. Attractione autem aeris panduntur duæ portę, quæ ſunt in ſuperiori parte naſi, per quas odor ad eas pervenit caruncolas, & ideo attractione opus eſt, ad odorem percipiendum, ad quod deſerviunt nares

res

res præcipuè; etiam enim dantur ad ornatum faciei, & ad excrementa capitis expellenda, atque etiam ad respirandum.

2943 Gustus sensatio fit in lingua in omnibus eius partibus, quæ molli quodam nervo colligantur. Tactus vero non in corde tantum, aut alia corporis parte determinate fit; sed per omnis carnis, cutis, & nervorum partes divagatur; omnes enim illę palpant, & alterius corporis contactum percipiunt. Ecce brevem organorum quinque sensuum declarationem. Pergamus iam ad illorum obiecta declaranda.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De quinque sensuum externorum obiectis.

2944 PROLIXE Satis huius quæstionis materia tractari poterat. Sed quia de ea prolixe tractando, nihil magis comperiri poterit, ideo breviter potius eam pertransibo. Igitur obiectũ visus est lux, & color. Lux autem à Philosopho definitur, quod sit *actus perspicui*. Sunt quidẽ aliqua corpora, quę sunt apta manifestari, alia quidem secundum vltimam superficiem tantum; alia vero secundum se tota: cum igitur ea manifestantur, hoc fit, recipiendo in seipsis lucem: vnde ipsa corpora, vt luce perfusa, dicuntur perspicua, ita tamen, vt corpora sint subiectum, & lux eius forma, & ex vtroque componatur perspicuum, ex corpore, videlicet, vt materia, & potentia; ex luce vero, vt forma, sive actu. Ecce quomodo lux est actus perspicui. Color autẽ est *motivus perspicui in actu*. Vbi nota aerem, & quodlibet corpus diaphanum, sine luce, dici perspicuum in potentia; cum luce vero perspicuum in actu. Dicitur ergo color motivus perspicui in actu; quia, vt aerem media specie immuter, petit ipsum luce informari, quod non petit sonus, aut aliud sensibile; experientia enim teste, odor, aut sonus æque aerem immutat, sive lucidus sit, sive tenebrosus; cum æque bene noctu audiamus, & olfaciamus; non tamen ita colores visu percipiamus. Resultat autem color ex primarum qualitatum temperie, nullíusque rei est productivus, nisi suæ speciei, aut forsam alicuius suæ proprietatis, solumque ad ornatum corpori illud habenti deservit. Inquires autem aliqua circa colorem.

2945 Primo inquires: an color distinguatur realiter à lumine. Antiqui aliqui, quos inter modernos sequitur Lynceus, putaverunt colorẽ nihil aliud esse, quam lucem, sive lumẽ (dicunt enim aliqui, lucem dici eam, quę in corpore luminoso, lumen vero, quod in aere producitur: sed communis modus loquendi de hac distinctione non curat) receptum in corpore opaco, quod diversos colores constituere censetur, secundum quod diversum apparet, pro diversitate dispositionum talis corporis. Communis tamen inter RR. sen-

ſententia colores à luce diſtinguit. Conſtat hoc præcipue, quia oppoſitum incredibile omnino videtur: incredibile enim eſt, quod conſtanter, & perpetuo hic paries appareat valde albus, & alter valde niger, ſive videatur luce ſolis, ſive lunæ, ſive luce ceræ, ſive olei luce, ſive quælibet iſtarum ſit remiſſa, ſive intenſa, quin color ab ipſa luce diſtinguatur; quamvis enim dicant facile Adverſarij iſtam varietatem permanentem oriri ex varietate permanente corporis, credi non poteſt, quod varietas tanta, quanta eſt ſtricte contrariorum, oriatur à varietate corporis omnino imperceptibili; ſecluſo enim colore ipſo, quam varietatem percipere quis poteſt in pariete albo, & nigro? Certe vix vllam. Nec facile, quis ſibi perſuadet, quod abſcendente luce omnes pereant colores, iterum veniente, redituri: nec, quod grana malogranati, dum cortice cooperiuntur, colorata non ſint, nec vllum colorem habeant.

2946 Addit etiam Carleton, experientia conſtare, quod, luce remiſſa, ſunt, & apparent colores aliqui intenſi: ergo non eſt idem lux, ac color. Nimis tamen fidit in hac ratione; mihi tamen non videtur convincens omnino; cum dici poſſit, quod rubedo, v.g. eſt intenſa dū lux ſecum identificata eſt remiſſa, quia intenſio rubedinis, etiamſi lux ſit rubedo ipſa, non eſt in ratione lucis, ſed in ratione differentiali ipſius lucis remiſſæ à cæteris coloribus; bene enim ſtat, quod aliquid ſit remiſſe lucidum, & intenſe differat ab alio lucido: ſicut bene ſtat, quod parva ſit perfectio materiæ, & habeat magnam ab Angelo, aut à calore differentiam.

2947 Sed contra ſententiam noſtram dices primo: radij ſolares lucem habent, ſeu ſunt ipſa lux, & ſimul habent colorem deauratum, qui ſine fundamento ab ipſa luce diſtinguitur: iam ergo color indiſtinctus à luce reperitur. Reſponderi tamen poteſt primo, colorem radiorum ſolis cum luce eſſe identificatū: noſtram autem ſententiam loqui de coloribus his communibus, & reſidentibus in corporibus ſublunaribus, vt ſunt nigredo, & albedo, & alij ſimiles corporibus mixtis inhærentes. Secundo tamen reſpondeo, radios ſolares habere colorem deauratum, non verum, ſed apparentem ex rubedine, ſeu deaurato colore ſolis, qui in eius radios apparere facit ſimilem deauratum colorem: de colore autem apparente communiter dicunt noſtræ ſententiæ DD à luce non diſtingui, & ſolum de vero id negant. Iſta autem ſolutio apparet veritati ſatis conformis ex eo, quod ex corpore luminoſo communiter lux & colorem aliquem accipiat, & illum etiam corporibus aliquomodo communicet; dum enim luminoſum eſt auratum, aut pallidum, ſimiliter apparet lux, & circunſtantia corpora, etſi in minori intenſione: cumque in corporibus ille color iudicetur apparens, ſimiliter poteſt in luce iudicari.

Secun-

2948 Secundo dices: cum iris, iuxta Poetæ dictum, *mille trahit varios aduerso sole colores*, tales colores à lumine in nube cava, & opaca, refracto non distinguuntur: ergo similiter cæteri colores à lumine distingui non debent. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens autem probatur; quia nisi sol ex aduerso nubem feriat, non apparent illi colores: ergo signum est, quod nõ consistant in aliquibus qualitatibus in nube permanentibus, sed in luminis repercussione. Sed in primis responderi poterat negando consequentiam: tum quia aliqui tum dicti colores, tum eos, qui in collo columbæ apparent, apparentes esse iudicant, & mirum esse non debet, quod quamvis colores apparentes à lumine non distinguantur, distinguantur tamen ab eo veri colores. Tum etiam, quia, quamvis veri sint dicti colores, ad eos tamen cum luce identificandos, vrget probatio antecedentis; non tamen ita vrget, ad identificandos cæteros; sed potius, quod valde diversimode se habeant probat eos distinguendos.

2949 Sed adhuc secundo respondeo negando antecedens: ad cuius probationem dico, quod non apparent illi colores, cum sol est in alio situ, non quia veri non sint à lumine que solis distincti; sed quia aut iris talis naturæ est, quod, sole in alia posito distantia, dissolvatur, aut, quod, diversimode sole ipsam aspiciente, ipsi colores, quamvis in illa sint, non appareant: sicut etiam in columbæ collo, quod modo apparet viridis color, &, si alio modo inspiciatur, ceruleus, non est quia mutetur color colli; sed quia diversitate colorum est collum variegatũ ita tamen, vt ex vna parte emineant particulæ, in quibus est viridis color; ex alia vero eæ in quibus ceruleus, & sic de alijs. Nec hoc, etsi admirabile, vires naturæ excedit; natura enim in quocumque rerum genere mirabiliora multo continet, quam ars: ego autem vidi picturam arte fabricatam, in qua ex aduerso aspecta Virgo Maria cum dulcissimo Filio perfecte depicta apparebat; si vero quis aliquantulum ex latere eam inspiciebat, pictura Sanctorũ Francisci, & Dominici optime etiã depicta apparebat: similiterque credo, quod ex alio latere diversa etiam tertia apparebat pictura: cur ergo diversitas colorum memorata ex diversa parte, ex qua inspicitur, aut penes quam corpus illuminatur, non proveniet, quantumvis semper colores eodem modo permaneant, sicuti omnes semper in dicta pictura permanere credunt? Vnde colliges omnes colores, qui communiter videri solent, veros posse iudicari, solumque apparentes eos, qui in ipsa luce solent apparere à corporibus, à quibus nascitur, vel per quos transit, mutuati atque etiam illos, qui ex ipsa luce solent in coaporibus alijs apparere, vt contingit, cum sol per vitrum viride, aut rubrum transit, & similem colorem in pariete proximo apparere facit.

2950 Vltimo dices: Ecclesiam in quodam himno supponere, deficiente luce, colores deficere; cum eos redire asserat, ea redeunte, his verbis: *rebusque iam color redit vultu nitentis syderis*. Respondetur tamē id dici ab Ecclesia, nō quia absolute color redeat, sed quia nobis redit; cum sine luce sit, quasi non esset, & omnino absconditus, quod constat ex eo, quod alibi Ecclesia colores noctu non abesse, sed contegi asserat, dum dicit: *nox atra rerum contegit terræ colores omnium.*

2951 Secundo inquires qua ratione requiratur lux, vt color videatur. Respondent aliqui requiri, vt *rationē formalissimā sub qua* & colorem solū esse *rationē formalem quæ*. Sed cū huiusmodi *ratio formalissima sub qua* in alijs sensibus assignari nequeat, nec in visu est assignāda, vt dicebamus in Logica; sed dicendū, potius quod tam color, quā lux sint obiectum formale *quo*. Ad quæstionē ergo respondent alij, lucē concurrere simul cum colore ad coloris speciem producendā. Sed hoc nō habet adhuc sufficiens fundamentū; cum species ab eo semper prōducatur, cui similis est, & species coloris non evadit similis lucī, sed colori ipsi. Quapropter solum restat, quod lux se habeat, vt conditio, vt color possit speciem sui producere.

2952 Tertio inquires, vtrum, vt videatur obiectū, requiratur lumen, non solum in obiecto, sed in medio spatio existere. Resp. negative; sufficit enim, quod in obiecto, & prope ipsum sit lumen, quāmvis mediū sit obscurū. Huius ratio est experientia ipsa, qua quis in lōginquo & angustissimo specu existens videt noctu, tum lumen, tum corpus illuminatū existens extra ipsū, quāvis longa media pars omni lumine sit destituta. Sed dices in medio illo reperiri modicū saltim lumen. Cōtra tamen est, quod nec tale lumen videtur, nec videntur obiecta in illo medio existētia: ergo quia ibi aut nullum est lumen, aut tam exiguum, quod ad visionem nihil conducat.

2953 Recentior quidam ex nostris putat ad videndū luminosum, non requiri in medio, lumē bene tamen ad videndos colores. Contra ipsum tamen est quod experientia contra vtrumque militat. Obijcit tamen ipse, quod obiectū non potest producere sui speciē sine lumine: ergo nec vna species aliā sine lumine producere poterit. Instō argumentū: obiectū cum illo modico lumine, quod est in medio nō potest producere sui speciē: ergo nec vna species obiecti aliam. Deinde resp. quod ad primam speciei productionē, experientia teste, est obiecto necessaria lux; ad cæteras vero, quæ producuntur ab speciebus primo productis, non est ita necessaria, sed vna species ab obiecto facta, & conservata poterit aliam producere sine lumine, saltim perceptibili; cum enim oppositum non conuincatur, credendum est experientiæ.

2954 Deinde obiectum auditus est sonus. Sonus autem communiter definitur, *quod sit qualitas productā*

per verberationẽ aeris, duobus corporibus se invicẽ trudentibus. Alia autem corpora sunt alijs aptiora, ad sonũ efficiendũ, vt experientia testatur. Etiãque contingere potest, quod vnum ex corporibus trusis sit etiam resiliens, vt cum virga aerem verberans sonum edit; tunc enim vnum ex corporibus trusis est aer, & simul est corpus resiliẽs. Causalitas, qua sonus producitur, non est motus percussionis, sed alia actio posterior, quę sonatio dici potest. Recipitur autẽ sonus in corpore resiliente, sicque aliquantulũ solet diffundi. Inquires tamẽ primo, an non solum aer, sed etiam alia corpora sint apta ad recipiendũ sonũ & eius species. Resp. affirmative cõtra Hurtadum; licet enim aer sit aptissimum omnium corporum; aquã tamen aliquã aptitudinẽ habere credendum est de quo aliquas DD. afferunt experiẽtias, & quam in oppositum affert Hurtado, quod, scilicet; homo sub aqua non audit, non vrget: tum quia forsan, si magnus ederetur sonus, illũ audiret: tum etiã, quia ipsum non audire potest contingere ex intemperie causata in eius potentia auditiva. Secundo inquires: an sonus sit qualitas prima, an potius secunda. Respondeo esse primam; quia nõ resultat ex aliarũ commixtione. Etsi obijcias Philosophum assignantem solum quatuor primas qualitates, scilicet, calorem frigus, siccitatẽ, & humiditatem. Respõsio communis est Philosophũ assignasse solum primas qualitates, quæ contrarium habent, & generationi deserviunt. Vnde etiã lux prima qualitas est, quamvis nõ sit ex enumeratis à Philosopho.

2955 Vox quæ est soni præcipua species: ab Aristotele definitur: *ictus aeris respiratione attracti, qui ab anima in pulmonibus existente cum quadã imaginatione efficitur. Ictus*, hoc est, sonus ictu productus, quæ particula habet rationem generis, cæteræ differentiæ rationem. Vnde colliges sonum vt cumque effici à viventibus, & à non viventibus; sonum vero, qui vox sit à solis viventibus effici, tum, vt sensa phantasię explicent, tum internos affectus. Sermo vero, aut loquutio; quæ hominibus solis convenit, supra vocem addit duo: vnum est syllabarum dearticulationem, alterum, quod conceptus mentis manifestet.

2956 Obiectum olfatus est odor: dixeruntque aliqui eum esse substantiã exhalatam à corpore odorifero. Verius tamẽ est, quod sit qualitas, quamvis simul cum ea soleant corpora odorifera particulas substãtiæ suæ exhalare. Odor ergo definitur à P. Oviedo, quod sit *qualitas orta ex tẽperamento primarum qualitatum, siccitate, & calore alijs qualitatibus denominãte.* Constat enim quod corpora odorifera, dũ calefiũt, maiorem emittunt odorem, frigoreque ab eo emittendo retardantur.

2957 Sapor est obiectum gustus, qui definitur: *affectio in humido aqueo facta à sicco terrestri, calore decoquente.* Nec obstat, quod plura sapida habeant plures siccitatis gradus, quam humiditatis; ex illis enim humi-

humiditatis gradibus, etſi pauciori-bus oritur ſapor. Dixerunt aliqui ſaporem non eſſe in cibis, ſed in organo guſtus: ſed hoc communiter reijcitur; cum conſtanter aliqui cibi ſuũ ſaporem habeant, ſolũque palato indiſpoſito non bene ſapiunt: tunc autẽ ratio non eſt, quia ipſi non habeãt ſaporẽ; ſed quia mala palati diſpoſitio, aut ſaporẽ bonum malũ iudicat, aut eum pervertit, & malum facit.

2958 Tactus obiectum eſt magis diffuſum, ideoque vno nomine non ſolet explicari. Poteſt dici, quod eſt tangibilis qualitas. Sed reſtat explicare denuo, quæ qualitates ſint tangibiles, quapropter dico eas eſſe, quatuor primas qualitates, & ex ſecundis aſperitas, ſuavitas, durities, & mollities, qualitas dolorifera, & voluptuoſa, atque etiam impulſus.

2959 Inquires tamen primo An ſenſus tactus percipere poſsit primas qualitates in ipſius organo exiſtẽtes. Reſp. probabilius eſſe, quod illas ſẽtire poſsit, dum enim quis magna laborat febri, quævis pars ſentit calorẽ in ipſa exiſtentem. Oppoſitum exiſtimat Carleton, & ait in dicto caſu ſentiri calorem ſanguinis alterius ve humoris: etiamque dici poteſt vnam partem ſentire calorem alterius. Cõtra tamen eſt: in primis non poteſt vna pars calorẽ alterius ſentire, cum non exuperet calorẽ exiſtentẽ in ipſa & communis ſententia teneat non ſentiri qualitates non exuperantes. Deinde nec ſentitur ſolum calor ſanguinis alterius ve humoris: tum quia forſan cum nimis æſtuat iam febris, inveniuntur partes æquè calidæ: tum quia, ſaltim de potẽtia abſoluta, poſſunt omnes in magna intenſione, & æquali calefieri, in quo caſu credi nequit, quod calorẽ non ſentient partes ſingulæ. Dicendum ergo eſt quãlibet partem ſentire ſuum etiam calorem excedentem proprium, & debitum temperamentum; imo etiam calorem debitum, cum immediate antea præceſſit illius privatio.

2960 Secundo inquires, an in extraneo ſubiecto poſsit tactus ſentire ſolum qualitates exuperantes. Reſpondeo poſſe percipere eas qualitates, quas in ſeipſo percipere poteſt: vnde ſi extraneũ ſubiectum habet plures caloris gradus, quam, qui debẽtur viventi, quamvis vivens totidẽ etiam habeat, ſentiri poterunt; quia ſicut poteſt ſentire gradus exiſtẽtes in ſe, qui excedunt tẽperamentum debitum, ſentire poteſt exiſtentes in alio qui idẽ excedũt temperamentum, quamvis non excedant exiſtentes in ipſo: vnde à fortiori ſentiet gradus excedentes calorem exiſtentẽ in ipſo, & gradus etiam æquales iijs, quos eius temperamentum exigit, quando pars tangens non habet illos, ſed paucio res. Dicta in hoc numero, & præcedenti, & alia quæ poſſent addi, magis experientiæ ipſi nituntur, quam firmæ alicui rationi, quamvis ea, quæ diximus, ſatis rationi congruere mihi videantur. Tandem nota, quod, ſi vivens ſit in debita tẽperatura cum quatuor caloris gradibus, & accedat corpus habẽs quinque, quamvis omnes quinque

concurrãt ad sensum immutandum, quia concurrunt per modum vnius, non immutant, vt quinque; sed, vt vnum; quia concursus omnium est necessarius ad immutationẽ, vt vnũ, efficiendam. Verum etiam est, quod facile quis iudicat calidum, vt quinque; non tamen hoc est, quia id percipiat; sed quia discursu colligit adeo facile, vt sibi discurrere non videatur. Sed quia iam hæ minutiæ fastidiunt, transeamus ad alia.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum sensibile proprium indiuisibiliter existens possit per sensus percipi.

2961 QVÆSTIONE Præcedẽti obiecta propria, siue propria sensibilia cuiusque sensus declaravimus externi. Alia autẽ dantur sensibilia cõmunia, quæ talia dicuntur, quia non ab vno solo externo sensu percipiuntur; sed à duobus, vel pluribus. Huiusmodi autem sensibilia communia dicuntur esse motus, quies, numerus, figura, distãtia, & magnitudo & alia quæ ad ista reducuntur; huiusmodi enim saltim à visu, & tactu percipi possunt simul tamen cũ sensibili proprio ita vt quamvis sensibile propriũ possit, saltim de potentia absoluta, sine cõmuni, sentiri; non tamen cõmune sine proprio: cuius ratio est, quia nihil potest ab vllo sensu attingi, adhuc Divinitus, nisi sub ratione proprij sẽsibilis. Igitur quæstio proposita de sensibili proprio procedit.

2962 Igitur in hac quæstione magis Theologica, quã Philosophica, vtpote ad tract. de Euchar SS Sacram. pertinente prima sententia tenet sẽsibile proprium indiuisibiliter existẽs nequire percipi ab vllo sensu externo adhuc divinitus. Sic sentiunt Suar. & Rubius apud Franc. Alph. & Capreol. Paludanus Richard. & Hispalensis apud Lynce. *in Log. lib. 8. tract. 6. c. 1. n. 19.* Secunda sententia tenet prędictã sensationem cõtingere posse non tantũ divinitus, sed etiam naturaliter. Ita Okamus, Gabriel, Maior, & alij nominales, quos in prẽsenti sequutus est N. Fráciscus ab Spir. Sanct. Tertia sentẽtia talis sensibilis sensationẽ effici posse supernaturaliter defendit; naturaliter tamen non posse. Sic Alph. & communiter alij, Lynceusque, etsi obiter in Logica *lib. 8. tract. 6. c. 1. n. 14. & 19.*

2963 Difficile mihi est in hac quæstione assensum præbere; quævis enim sentẽtia rationibus vtitur, quæ mihi satis efficaces non videntur: vt tamen ad alia, quæ magis huius tractatus sunt propria transeamus; breviter, quid probabilius iudicem, cogor indicare. Dico ergo probabilius esse, quod sensibile propriũ indiuisibiliter existens possit à sensu externo percipi supernaturaliter; nõ tamen naturaliter. Prima conclusionis pars probatur: quia in ea nulla apparet implicatio.

2964 Secunda autem conclusionis pars probatur primo: quia sensus internus imaginari non potest

patu-

naturaliter corpus indivisibiliter existens: ergo nec visus, aut alius sensus, videre. Consequentia videtur bona; cum perfectior sit internus sensus, quam quilibet ex externis. Antecedens vero constat: quia quantumcumque sensus imaginetur chimæras plures, & impossibilia, nunquam tamen potest imaginari corpus indivisibiliter existens, vt quisque experitur: ergo tale obiectum sub ipsa naturaliter cadere non potest. Ratio autem, cur talis modus existendi non possit ab interno sensu percipi, est, quia indivisibile in se ita minutum est, vt ab interno adhuc sensu percipi nequeat, aut saltim summa cum difficultate: cum ergo rem divisibilem indivisibiliter existere difficilius sit concipere, quam purum indivisibile, id adeo difficile erit, vt ab imaginatione nostra nequeat componi, & consequenter multo minus à sensu externo percipi.

2965 Secundo probatur nostrę conclusionis secunda pars: quia obiectum nequit naturaliter videri, sine eo, quod sui producat speciem: sed obiectum indivisibiliter existens nequit naturaliter producere speciem: ergo neque naturaliter videri. Minor probatur: quia omnes obiecti partes essent in singulis loci partibus: ergo cum singulæ sui speciem naturaliter mittere conarentur, nulla eã emitteret: ergo ab illis nulla species emitti posset. Prima consequentia, in qua est difficultas, probatur: quia si vnus vel plures homines in eadẽ tabulæ parte vellet simul depingere hominis brachium, cor caput, pedem & reliqua membra nullum illorum depingeret: ergo si corporis divisibilis partes quælibet sui speciem conaretur emittere, nulla illam emitteret; eadẽ namque videtur ratio, atque de externa pictura.

2966 Tertio denique probatur eadem nostræ conclusionis secunda pars: quia corpus nullum potest naturaliter videri sine præsentia aliqua: sed corpus indivisibiliter existens videri nequit cum aliqua præsentia: ergo nec absolute naturaliter videri. Consequentia est bona: maior constat: quia præsentia est sensibile commune, & proprium sensibile sine communi non posse videri, naturaliter saltim, tenet communis sententia. Minor autem probatur: quia tale corpus naturaliter videri nequit cum præsentia circumscriptiva, quam non habet, vt constat: nec cum definitiva, quam habet; quia ista supernaturalis est, & consequenter omnino à visu inattingibilis: ergo cum nulla præsentia videri naturaliter potest.

2967 Respondet tamen ad probationem hanc P. Franciscus ab Spiritu Sancto primo negando quod præsentia, quam haberet corpus indivisibiliter existens, seu, quã habet corpus Christi existẽs in Eucharistia, sit supernaturalis, quoad substantiam, sed tantum quoadmodum: vnde optime potest videri naturaliter. Secundo respondet, admisso, quod illa præsentia sit supernatura-

lis, quoad substantiam posse naturaliter videri corpus sine illa; quia ipsa invisibilis est; tunc enim solum nequit sensibile proprium, sine communi, naturaliter percipi, quando vtrumque est perceptibile; cum vero sensibile commune est imperceptibile à visu, verb. grat & sensibile proprium perceptibile, cur non poterit proprium, sine communi, videri?

2968 Sed contra duas istas respõsiones est: contra primam, quod probabilior, & communior sententia, vt videri potest in Henao *tract. de Eucharistia disp.* 8. *sect.* 2 sustinet præsentiam corporis Christi in Eucharistia supernaturalem esse, quoad substantiam. Quælibet vtique pars corporis Christi habet præsentiam non solum modo non exacto, & debito, sed etiam, quæ ipsi corpori est indebita, quoad suam entitatem, & substantiam: ergo talis præsentia est supernaturalis quoad substantiam. Consequentia est nota, & antecedens probatur: quia præsentia indivisibilis non consistit præcise in eo, quod singulæ partes cum præsentijs, quas haberent, si essent circunscriptive, penetrentur: ergo consistit in præsentia alterius generis indebita, & non exacta. Antecedens probo: præsentia, quã habent singulę partes corporis Christi petit, vt non solum pars, quę est in spatio hoc, sit in illo; sed etiam, vt reliquæ partes in eodem sint: sed hoc non peterent præsentiæ partes, quas haberent partes corporis Christi penetratæ, si essent ipsæ, quas habẽrent circunscriptive: ergo est diuersa præsentia, & non tantum eadem cum penetratione. Maior constat: quia alias per accidens se haberet ad præsentiam definitivam, & indivisibiliter vbicantem, quod omnes partes essent in qualibet spatij parte: quod est falsum; cum id sit de conceptu eius præsentiæ. In minori, & consequentia nulla potest esse dubitatio.

2969 Contra secundam deinde responsionem est, quod, cum obiectũ mittat species ab ea parte, in qua est, species, quam producere debet, tãta necessitate eius prẹsentiã repręsentat, vt, eo ipso, quod eam præsentiã, specie producta, nequeat repræsẽtare, nequeat produci talis species; naturaliter loquendo; hoc enim & conformatur communi sententiæ, & persuadetur ex eo, quod recte, & sine vllo incovenienti, sic res componuntur; oppositũ vero non facile percipi potest. Omitto aliam probationẽ desumptã ex eo, quod ex contraria sententia sequeretur corpus Christi in Eucharistia de facto naturaliter videri posse: cõcedunt enim conseq. Aduersarij. Etsi ab illis inquiras, quomodo ergo non videtur? Respondent, speciali miraculo, id impediri, vt meritum fidei augeatur. Quamvis autem hæc probatio non possit illos convincere, sane res hęc melius, iuxta nostram sententiam, componitur. Alia præterea ad Theologos remitto videatur Henao *tract. de Eucharist. disp.* 10. *sect.* 1. & 2.

Sol-

Soluuntur argumenta.

2970 Contra secundam nostrę conclusionis partem objicies, quod corpus indivisibiliter existens est coloratum, & lucidum: ergo habet sufficientem rationem motivam, & terminativam visus. Respondetur facile ex dictis, eam rationem motivam esse ita impeditam, vt naturaliter nequeat movere; tum quia non potest producere speciem repræsentantem præsentiam, & color repræsetari nequit naturaliter, sine aliqua præsentia: tum, quia partes corporis; cum vnæ sint in loco aliarum, sese mutuo impedirent ita, vt nullam speciem posset producere. Etsi dicas: corpus saltim, quod indivisibile esset, & ideo indivisibiliter existeret, posset naturaliter videri: de hoc autē etiam procedit quæstio. Respondeo quæstionem præcipue esse de corpore divisibili indivisibiliter existenti; de eo autem, quod indivisibiliter existeret, quia indivisibile esset, non ita efficaciter probari potest conclusio nostra, nec convincunt rationes à nobis factæ: videtur tamen probabilius adhuc illud non posse naturaliter videri; quia cum indivisibile sit adeo delicatum, & subtile, vt adhuc imaginatione videatur percipi non posse; cogita enim indivisibile; si cogitas esse solis athomum, non cogitasti in divisibile; quia athomus divisibilis est: similiterque est si cogites centesimam athomi partē: quomodo ergo sensu externo naturaliter videri possit, quod sensu interno probabilius videtur esse imperceptibile.

2971 Contra primam autem nostræ conclusionis partem objici potest: Corpus Christi in Eucharistia (idem est de quolibet alio indivisibiliter existenti) nequit ab vllo sensu externo percipi naturaliter: ergo nec supernaturaliter. Antecedens est nostrum, & consequentia probatur: eatenus Theologi dicunt Deum videri supernaturaliter posse à nostro intellectu, & nequaquam à nostro corporeo visu, quatenus à nostro intellectu est naturaliter attingibilis al quomodo; à visu vero nostro nullo modo est Deus naturaliter attingibilis: ergo similiter in nostro casu consequentia valebit ab impossibilitate attingendi obiectum indivisibiliter existens naturaliter ad hoc, vt eius attingentia sit impossibilis etiam supernaturaliter.

2972 Respondetur tamen concedendo argumenti consequentiam si Corpus Christi in Eucharistia sumatur reduplicative, & prout in Eucharistia; sic enim esset ipsum videre, & videre præsentiam definitivam, quam ibi habet. Nos autem propter argumenti fundamentum fatemur eam præsentiam percipi non posse, adhuc supernaturaliter; vnde cum corpus illud supernaturaliter videri posse asserimus, loquimur de illo corpore existente indivisibiliter, specificative sumpto, quod est dicere, corpus ilud supernaturaliter

videri posse non cum præsentia illa; iudicamus enim quod sensibile proprium supernaturaliter videri potest optime sine communi, quamvis naturaliter non possit.

2973 Sed replicabis, seu instaurabis argumentum: corpus illud, adhuc specificative, nequit videri naturaliter: ergo adhuc specificative nequibit supernaturaliter. Respondeo tamen distinguendo antecedens: corpus illud, adhuc specificative, nequit videri naturaliter, cũ præsentia indivisibili, aut sine omni præsentia, concedo antecedens; cum præsentia circunscriptiva, quam petit habere naturaliter, nego antecedens: vnde iam ipsum corpus est visibile naturaliter, quamvis ad hoc, vt naturaliter videatur, requirat connaturalem præsentiam: hoc autem sufficit, vt ipsum attingi possit supernaturaliter, dum est sine ea præsentia naturali; sic enim salvatur, quod supernaturaliter videtur idipsum, quod naturaliter est attingibile, & miraculum consistit in eo, quod videatur sine eo quod requirit, vt connaturali modo attingatur.

QVÆSTIO IX.

Quæstiones aliquæ circa sensus externos resoluuntur.

2974 PRIMA Quæstio esse potest, an possit de potentia absoluta dari sensatio externa de obiecto absenti, aut non existenti. Supponit quæstio talem sensationem dari non posse naturaliter, quod, quamvis aliqui negaverint, communiter admittitur eo, quod sensatio necessario dependet ab specie obiecti, naturaliter loquendo: species autem nequit naturaliter produci ab obiecto absenti, & nec supernaturaliter ab obiecto non existenti. Addit tamen quidam ex nostris Recentior per minutissimum tempus bene posse videri obiectum non existens: rationem reddit, quia species in medio existentes non dependent ab obiecto in conservari: ergo bene possunt per minutissimum tempus eo deficiente, conservari. Displicet tamen ista Philosophia; aut enim species in medio existentes non conservari dicuntur ab obiecto, quia, postquam semel sunt productæ, conservantur à Deo; aut quia conservantur ab alijs speciebus ita, vt solum species, quæ est obiecto immediata ab ipso producatur, & conservetur; cæteræ vero vnæ ab alijs & producantur, & conserventur. Si dicat primum falsum est, corruptio enim ita brevis specierum, quæ fit, pereunte, aut absente obiecto, ab eo conservari, & non à Deo solo, satis clare denotat; si enim à solo Deo conservarentur, non solum per minutissimum tempus; sed per considerabile etiam possent, obiecto absente, durare. Si secundum dicat non proficit, quia saltim quævis species, iuxta eam doctrinam, conservatur ab obiecto mediate: quod sufficit, vt pereat in eodem instanti, in quo obiectum; si enim

enim obiectū pereat in instanti A, in eodem perit species immediate ab eo conservata : sed ista conservat immediate aliam: ergo similiter ista parit in instanti A: & de reliquis similiter dici debet, vique dum omnes percurrantur. Dicendum ergo est non posse sensationē fieri naturaliter, nec pro instanti vno, obiecto absente, aut non existente. Solum ergo quæstio procedit, de potentia Dei absoluta vide infra *num.* 3014.

2975 Dico ergo cum communiori sententia de potentia Dei absoluta posse fieri visionem (de hac communiter quæstio resolvitur) de obiecto absente aut non existente. De obiecto absente probatur primo conclusio : quia obiectum Romæ, v.g. existens ideo non potest à me modo videri ; quia non potest producere speciem in mea visiva potentia, ideoque hanc producere non potest, quia non est debite applicatum: sed defectum applicationis potest Deus supplere ; cum solum sit conditio sine qua non, quam suppleri à Deo posse diximus in physica: ergo, Dei potentia interveniente, potest obiectum absens producere in mea potentia speciem, & consequenter sensationē. Secundo probatur conclusio, non solum loquendo de obiecto absente, sed etiam de non existente: obiectum existens, & præsens, si à me videretur, solū concurreret ad hanc visionem, speciem producendo, & cognitionem terminando; sed terminatio cognitionis non petit præsentiam ; aut existentiam ; cum apprehensionis, qua Petrum album apprehendo, æque sit terminus Petrus albus, sive existat, sive non existat : productio vero speciei, etsi petat existentiā suæ causæ; tamen potest eadem species, quæ ab obiecto producenda erat, produci à Deo; cum ab obiecto producatur in genere causæ efficientis, & concursum causæ efficientis possit Deus supplere: ergo omne: quod necessarium est ad visionē obiecti non existentis, potest Deus supplere, ipsumque consequenter videri potest, potentia Dei interveniente.

2976 Sed ad complementum huius quæstionis obijcies vnum, & inquires aliud. Obijcies, quod species repræsentat, id, à quo producitur : sed species obiecti non existentis non repræsentat obiectum, à quo producitur ; cum obiectum repræsentet, & non ab illo, sed à Deo, quem non repræsentat, producatur: ergo impossibilis est obiecti species à Deo producta. Respondetur tamen speciem debere repræsentare obiectum, à quo connaturaliter producitur, aut connaturaliter produci debet ; non tamen obiectum, à quo supernaturaliter loco alterius producitur. Inquiries autē, an etiam possit Deus efficere, vt obiectum non existens videatur, non solum eius producendo speciē, sed etiam sine speciei productione. Respondeo affirmative contra aliquos DD. qui nostram conclusionē num. præcedenti positam defendunt. Pro-

ba-

batur autem responsio: quia concursus, quem species præstat in sensationem est effectivus, & non vitalis: sed concursus effectivus non vitalis potest à Deo suppleri: ergo potest suppleri talis speciei concursus, cõsequenterque sine illa, fieri visio de potentia absoluta.

2977 Notandum tamen, quod non pertinet ad præsens institutum disputare, an Deus possit concurrere, vel non, cum potentia ad sensationem obiecti non existentis ex eo, quod ad falsitatem concurreret; sed ex alijs tantum capitibus; ex isto enim capite ad Theologos pertinet disputatio, qui late examinant, vtrum Deus de potentia absoluta possit actum erroris, aut habitum infundere. Solum adverto facilius ex hoc capite posse sustineri, quod Deus concurrat supplendo obiecti, aut speciei concursum, quã infundendo errorem; quia in suppletione concursus (alijs omissis) facilius salvatur, quod Deus non loquatur, quæ est evasio DD. asserentium posse infundere erroris actum, quam in erroris infusione: ratio est, quia, dum supplet concursum dictũ, supplet concursum rei emortuæ, seu non viventis, quæ suppletio melius percipitur, quod loquutio non sit, quam ipsa infusio cognitionis falsæ, & erroneæ.

2978 Secunda quæstio sit, vtrum sensus materialis possit diuinitus percipere obiectum spirituale. Negativa sententia est omnium fere Theologorum & SS. PP., non solum loquendo de potentijs sensitivis mõdo existentibus, sed etiam de materialibus possibilibus alterius etiam speciei. Verum est, quod nulla adhuc apparuit manifesta implicantia in tali potentia: ob communem tamen SS. PP. & Theologorum authoritatem sentiendum omnem potentiam materialem extra obiectũ materiale non posse divagari, sive sit eiusdem, sive diversæ speciei ab his, quæ modo existunt. Hæc res nequaquam comperiri potest, ideoque in ea non amplius immoramur; quia longissimum esset rationes, quæ pro nostra, & communi sententia fieri possunt commemorare, & examinare. Videantur Henao *in empirol. exerc. 28. per octo primas section.* Et Quiros *disp. 85. sect. 1.*

2979 Tertia quæstio sit, vtrum aliquis externus sensus suam possit percipere sensationẽ. Respõdetur negative; quia supra suos actus reflectere est supra sensuũ perfectionẽ. Constat experientia. Constat etiã; quia cuiusvis sensus sensatio non continetur intra obiectum specificativum talis sensus.

2980 Quarta quæstio sit, vtrũ sensus externi decipi possint circa sensibile proprium. Communiter admittitur eos decipi posse circa sensibile commune. Deinde non minus communiter, quod decipi non possint circa rationem communem sensibilis proprij. Vnde solum est difficultas, an circa rationes particulares proprij sensibilis decipi possint. Ad quod cõmunis responsio

est

est negativa. Sed verior videtur affirmativa; ratione enim medij aut distantiæ contingere solet, vt res aliter, ac est, appareat, vtrumque viride, aut etiam sæpe non viride ante oculos posítum viridem colorem in omnibus rebus apparere facit, aliaque rem vaam multiplicem faciunt apparere, similiaque alia passim occurrunt, quibus visus decipitur circa colores particulares: nec ita multoties intellectus falleretur, nisi sensus multoties circa particularia sensibilia falli contingeret.

2981 Quinta quæstio sit, quomodo intelligendum sit illud axioma: *Sensibile positũ supra sensum non facit sensationem.* Respondeo id intelligendum esse de sensu visus; in alijs enim, aut non est compertum, quod sensibile supra sensum positum sensationem impediat, aut compertum potius, quod eam non impediat. In visu autem, ait Oviedus, quod intelligendum sit, quod sensationem impediat sensibile opacum supra sensum positum; non tamen diaphanũ. Videtur tamen conformius experientiæ, quod etiam diaphanum supra visum positum non faciat sensationem: tum quia, si crystallum ponatur supra oculos, non videtur: tum quia lux oculis immediata non videtur, etsi oppositum dicat Oviedus asserens, quod tantum ea à magis distanti discerni non possit: sed ego eam absolute non videri puto conformius esse ipsi experientiæ: deinde idem conijcio, quia corpus opacum dicitur ab Oviedo non videri, quia, dum est immediatum oculis, non potest recipere lumen: experientia au ẽ constat, quod, dum non est supra oculos immediate, est tamen parum ab eis distans, tunc etiam non videtur, aut valde obscure, cum tamen non obscuram, sed claram participet lucem: vnde sola ratio est, quod sit nimis proximum, & non in distantia debita: cumque hæc ratio similiter in luce militet, eam etiam non videri supra oculos positam dicendum est, ac proinde axioma verum esse in omni obiecto potentiæ visivæ. Eius ergo axiomatis ratio reducenda est ad propriam naturam potentiæ visivæ, quæ aliquam in obiecto petit distantiam, quæ si non detur, turbatur potius speciei nimio vigore, & à sensatione impeditur.

2982 Sexta, & vltima quæstio sit, an sensus externus possit percipere rationem communem, & vniversalem. Respondeo posse, saltim de potentia absoluta. Ratio est, quia ratio communis coloris, v.g. intra obiectum potentiæ visivæ continetur; quamvis enim semper visus ad colorem aliquem singulare terminetur, dum terminaretur ad colorem, vt sic, non terminaretur ad aliquid supra suum obiectum, sed infra illud; cum suum obiectum sit color per aliquam differentiam determinatus, & tunc terminaretur ad colorem sine vlla differentia. Nec obstat, quod color, nulla determinatus differentia à parte rei non

exi-

existat; quia quamvis differentia determinatus existat, potest cognosci, non cognita differentia determinante. Nec obstat etiam, quod ratio communis coloris contineat etiam colores non existentes; quia res non existentes de potentia absoluta videri posse supra in hac quæst. probatum manet. Videatur Lynceus *quæst. præced. n.* 2962. citatus.

QVÆSTIO DECIMA.

De sensu interno.

2983 PRÆTER Externos sensus, de quibus egimus in præcedentibus quæstionibus, datur internus, qui communiter à DD. tam in bellvis, quam in hominibus admittitur. Constat enim in illis, tum quia in somnis canis adsolet latrare: quod non potest oriri ex eo, quod aliquid vllo sensu externo percipiat; cum nullus eorum tunc operetur: solum ergo provenit ex sensatione sensus interni. Similiter absentia cognoscere solent, siquidem illa appetunt, & quærunt: ad hoc autem sensus internus necessarius est; cum externi solum obiecta præsentia percipere possint. In homine autem concedi debet etiam internus sensus: tum à rationis paritate: tum quia in eo reperitur appetitus sensitivus, qui in bona delectabilia fertur, & materialis est, atque internus, supponere ergo debet internum sensum; cum quævis appetitiva potentia essentialiter cognoscitivam supponat.

2984 Sensus internus varia munera exercet: primo enim percipit obiecta omnia sensuum externorum: & propter hoc munus *sensus communis* appellatur. Deinde conservat species, vt in absentia cognoscat obiecta, & vt sic dicitur *imaginativa*. Tertio species rerum incompossibilium coniungit, & sic *phantasia* vocatur. Quomodo vero ita eas species coniungat, vt ens rationis non efficiat, vidimus in logica *n.* 474. Quarto apprehendit obiecta consentanea, & dissentanea, & vt sic *æstimativa*, seu *cogitativa* dicitur. Quinto præterita cognoscit, & sic *memoria*, seu *reminiscētia* vocatur. Dicunt tamen aliqui, quod in brutis non est proprie memoria; quia non cognoscunt cognitionem præteriam, sed solum obiecta per eam cognita. Si tamen sermo sit de cognitione præterita sensuum externorum, verius est eam à sensu interno cognosci. An tamen ea brutorum cognitio appellanda sit memoria, quæstio est de nomine. Huiusmodi nomina, vt indicavi iam, non diversas potentias significant; sed diversa munera vnius potentiæ: quæ etiam cum varietate aliqua explicantur, quæ refert parum. Explicatio autem posita est communior.

2985 Quod autem huiusmodi munera non sint potentiæ realiter distinctæ, sed solum formaliter constat: tum quia omnes animæ potentiæ cum ea identificantur:

ergo & inter se. Deinde, quamvis potentiæ ab anima distinguerentur, talia munera non petere potentias diversas, realiterque distinctas, constat, quia nullum vrgens, ad eam distinctionem, potest afferri fundamentum; cum munerum diversitas eam distinctionem sufficienter non fundet. Tanta vtique, & maior, in intellectu est diversitas, quin, etsi potentiæ ab anima ponantur distinctæ, nemo ponat plures intellectus realiter diversos; sed tantum formaliter. Neque, quod aliquæ ex dictis potentijs, petant oppositas dispositiones, inter eas arguit distinctionē plusquam formalem; petunt enim oppositas dispositiones; non tamen in gradibus intensis, sed in remissis, ita vt vnius, & alterius dispositiones in eodem organo compatibiles fiant. Videatur circa indistinctionē istam Illustriss. Merinero *lib. 3. de anima disp. 2. q. 2.* qui satis exacte eam probat, & non minus exacte his, quæ à contrarijs, & præsertim à Complutensibus, & M. Aguirre objiciuntur, satisfacit.

2986 Inquires tamen primo, quodnam sit organum sensus interni. Communis responsio est contra Aristotelem, quod sit in cerebro. Ita colligit Galenus ex anathome; à cerebro namque ad omnes sensus ducuntur nervi per quos ad illos mittuntur spiritus animales, etiamq; ab illis ad cerebrū objectorum species. Constat etiam ista cōmunis sententia; quia dum sensus internus lædiur, medicamenta capiti applicantur: dumque nimio studio defatigatur sensus, dolor, & defatigatio in capite sentitur: in capite ergo, & non in corde, vt volebat Aristoteles, organum sensus interni reperitur. In capite ergo tres cellulæ communiter dicuntur esse. Alij dicunt primam esse in parte cerebri anteriori, secundam in media, tertiam in posteriori parte. Alij vero dicunt duas cellulas esse in parte anteriori cerebri orificijs nasi respondentes, & alteram in posteriori parte. Aliqui contendunt, in cellulis fundati, sensus internos iuxta illarum numerum multiplicare; sed potius dicendum vnum dari sensum residentem in posteriori cellula; alias vero cellulas non esse alicuius interni sensus organa; sed deservire vt in illis elaborentur spiritus vitales.

2987 Secundo inquires; vtrum internus sensus non solū percipiat obiecta sensuum externorum, sed etiam eorum sensationes. Respondeo affirmative. Constat experientia; videmus namque bruta sæpius conari videre, audire, & gustare res, quas antea prædictis sensibus sunt experta: ergo quia recordantur visionis, sive auditionis præteritæ; sæpe namque obiecti solius recordatio non ita ea solicitaret, nisi sensationis illius recordarentur, cum; postquam obiecta semel experiuntur sensatione illorum, multo magis ad ea inclinentur.

2988 Tertio inquires vtrum sensus internus exerceat actū æsti-

æstimativæ. Iudicant aliqui vere, & proprie illum exercere; dicunt enim sensum communem non solum percipere obiecta, & sensationes sensuum externorum, sed etiam convenientiam, ac disconvenientiã, amicitiam, & inimicitiam, cumque huiusmodi obiecta à nullo externo sensu percipiantur, eorum species insensatæ dicuntur. Sed certe huiusmodi species difficile explicantur à DD. qui eas ponunt: quapropter iudico cum Oviedo, Alphonso, & Carleton eas admittendas non esse, sicque internum sensum solum sentire obiecta, & sensationes externorum. Cum autem ovis fugit lupum, antequam eius morsum sit experta, non tam provenit hoc à sensatione inimicitiæ eius, quam ab antiparhia naturali, quam habet cum eo: solum ergo sentit colorem, odorem, & alia sensibilia lupi accidentia: Deus autem, qui optime de rebus omnibus providit, talem dedit ovi inclinationem, vt, lupi accidentibus sensatis, in fugam inclinetur, sicut enim aqua, sine vlla cognitione, in frigiditatem propendet, propensione ei ab authore naturæ data, cur ab authore ipso naturæ non poterit tribui brutis talis inclinatio, quod in quasdam res propendeant, quasdamque aversentur, non absolute, sed supposita sensitiva cognitione accidentium sensibilium, quæ in ipsis reperiuntur? Hoc ergo potius modo credendum est, Deum de brutis providere, quam per insensatas species, quæ nõ videntur quomodo per sensus ingredi possint: nec credi potest, quod à Deo illis infundantur; cum intellectui, qui perfectior valde est, nullas infundere omnes fateamur.

2989 Quarto inquires, vtrum sensus internus percipiat negationes. Affirmative respondet Arriaga. Negative Alphonsus, & Oviedus *in præsenti controvers. 4. 4. punct. 5.* & communis sententia cui standum est; quia negationes cum nihil in re sint, non possunt sui speciem mittere ad vllum sensum: cumque sine speciebus cognosci nõ possint, non poterunt à sensu cognosci. Si respondeas cognoscere sensum negationes, per species aliarum rerum, & discursive imperfecte. Contra est; quia etiam imperfectus discursus in sensu materiali negandus, dum vrgens fundamentum non cogit: cumque intellectus, non sine difficultate, negationes per alienas species percipiat, non est id tam de facili sensui interno brutorum concedendum. Si vero secundo cum Arriaga respondeas, species negationum à Deo infundi. Contra est; quia difficile admittuntur species insensatæ aliquarum rerum à Deo brutis infusæ; cum tamen illarum sit maior necessitas: ob quam difficultatem sunt à nobis supra negatæ: ergo à fortiori species negationum infusæ eis denegandæ sunt. Confirmatur; quia tales species infusæ, aut sunt negationum propriæ, aut alienæ; si alienæ redit impugnatio primæ solutionis; si propriæ, hoc videtur omnino impossibile; cum

cum enim negationes nihil proprie ſint, non poſſunt dari ſpecies eas proprie,& immediate repræſentantes.

2990 Sed dices primo: dum canis fugit, per portam, aut foramen muri, egreditur directe, & non per murum:ergo quia in porta, aut foramine carentiam muri percipit.Secundo vrſus dum lapidem vult iacere in hominem,non aſſumit ingentem ſaxum, ſed parvum lapidē: ergo quia in hoc parvo cognoſcit carentiam magnitudinis, quam habet ſaxum; alias non potius illum acciperet. Tertio canis terreri ſolet hominis vmbra: ergo ſentit illam: ſed illa eſt negatio: ergo ſentit negationem.

2991 Reſpondetur tamen ad iſtas obiectiones: ad primā quod, vt canis directe intendat exire per foramen, aut portam potius, quam per murum, ſufficit, quod ibi videat impedimentum muri;in porta vero, nec muri, nec vllum aliud impedimentum videat, quin ad hoc neceſſarium ſit, quod muri, aut alterius impedimenti videat negationem.Ad ſecundam obiectionem dico in ſaxo vrſum videre magnitunem, quam expertus eſt ineptam, vt iaciatur; in lapide vero parvo videre, non magnitudinis ſaxi carentiā, ſed magnitudinem poſitivam, quam habet, in qua non expertus eſt ineptitudinem, ſed potius aptitudinem, vt iaciatur. Ad tertiam denique obiectionem Reſpondeo, canem vmbra terreri, non quia lucis negationem ſentiat, ſed quia lux remiſſa, quæ reperitur in ſpacio vmbræ circundata luce intenſa exiſtente in reliquo ſpatio,figuram hominis ei repræſentat, quæ figura, dum repente ei apparet, illum terret, & non negatio vlla. Hæc latius expendit Oviedus loco cit.

2992 Quinto inquires, vtrum ſenſus internus vere, & proprie iudicet, & diſcurrat. Reſpondeo negative; ſolum enim dici poteſt iudicare valde improprie, quatenus obiecta ſentit,ac percipit;non vero,quia poſsit vnum de alio affirmare, aut vnum alteri comparare, aliquemve diſcurſum efficere.Poteſt autem dici, quod inter obiecta diſcernat, non quia aliquam comparationem efficiat;ſed quia vnumquodque attingit ſub ea ratione, qua differt ab alijs. Si autem aliqua diſcurrendi vis ſenſui concederetur, bruta iam aliquomodo rationalia eſſent: quod conſtanter ab omnibus negatur. Quod autem ex operibus eorum aliquando videatur apparere, quod in illis ſit diſcurſus, prodeſt parum; id enim provenit ex inclinatione & inſtinctu naturali, quam Deus illis indidit, & qua media, ſuppoſita rerum aliquarum ſenſatione, prudentius ſe gerunt circa illas,quam ſi diſcurſu pollerent: nec mirum, cum à ſapientia,& piſſima Dei providentia gubernantur, prudentius ſe gerere, quam ſi naturali diſcurſu regerentur.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

De appetitu sensitiuo.

2993 DARI Appetitum sensitivũ in brutis constat experientia, qua videmus in bona sensibilia inclinari, eaque cum aviditate quærere. In homine etiam ipsum dari, non minus constat experientia; quia, voluntate nihil appetente, imò potius positive bona sensibilia renuente, sentimus in nobis inclinationem, ad bona vtilia, & delectabilia: ergo, cum ista inclinatio à voluntate non oriatur; cum potius ea aut nihil agat, aut in oppositum conetur, orietur ab appetitu sensitivo, qui sensualitas etiam vocatur, & de quo D. Paulus ait: *Caro concupiscit adversus spiritum.* Et alibi: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

2994 Huiusmodi appetitus dividitur in concupiscibilem, & irascibilem. Aliqui dicunt concupiscibilem prosequi bonum vtile, & delectabile, irascibilem vero fugere malum, molestum, aut damnosum. Melius, & communius alij dicunt concupiscibilem prosequi bonum vtile, & delectabile, & fugere oppositum malum; irascibilem vero bonum arduum, & difficile prosequi aversarique, & repellere malum, arduum etiam, & difficile vitandi. Irascibilis, & concupiscibilis non sunt duæ potentiæ; sed duo munera eiusdem potentiæ, quod ex doctrina, tum quæst. 1. huius disp. tum etiam quæstionis præcedentis facile constat, præsertim, cum actus irascibilis solum à concupiscibilis actibus differant in maiore quodam fervore appetendi, ratione cuius difficultatibus opponuntur, eisque non cedunt. Adverto tamẽ primo, quod, qui dicunt irascibilem esse, quæ fugit malum, si intelligant de malo, quod est impeditivum boni concupiti, accedunt iam ad secundam explicationem, ideoque non omnino reijciendi sunt. Deinde adverto, quod actus concupiscibilis communiter dicuntur esse amor, desideriũ, delectatio, odium, fuga, & tristitia; actus vero irascibilis numerantur spes, desperatio, audacia, timor, & ira. Sicut autem huiusmodi actus, cum sint vndecim, imò & plures alij, qui etiam his potentijs adscribuntur, à duabus tantum potentijs oriuntur, iuxta Thomistas, sic iuxta nos oriuntur ab vna.

2995 Sed inquires primo in quanam parte resideat appetitus sensitivus. Multi, tum ex antiquis, tum etiam ex RR. putant appetitum in corde residere. De Aristotele autem, & ipsum sequentibus credi potest, quod, si censuissent in cerebro esse sensum internum in ipso posuissent appetitum. Alij vero, qui sequuntur Galenum ponendo in cerebro sensum, & appetitum in corde ponunt, minorem servare videntur consequentiã, tamẽ omnino cõvinci nõ possunt. Mihi quidẽ res vi-

de-

detur satis dubia, verisimilior tamen apparet sententia satis inter RR. cõmunis, quod, scilicet, resideat in cerebro; quia, quamvis salvari posset, quod sensus internus esset in cerebro & appetitus in corde, tamẽ cõgruẽtius est, & verisimilius, quod in eadẽ sede, & organo sit vterque. Nec obstat, quod actus appetitus circa cor sentiri videatur; si enim bene perpẽdatur, forsan inveniem⁹, quod prima operatio appetitus sentitur in cerebro, & quod magis in corde sẽtiatur nõ est, quia ibi pot⁹ actus appetitus resideat; sed quia ibi magis vigẽt eorũ actuũ effectus, propter humores, qui ibi sunt, in quibus tales effectus imprimi melius possunt. Sic sanguis prę verecũdia in faciẽ accurrit, quin ideo actus verecundiæ ibi censeatur esse; sed potius in corde iuxta nostros contrarios, & in cerebro iuxta sentẽtiã nostram, & rubor faciei tãtum iudicatur illius effectus.

2996 Secundo inquires, vtrum sicut sensui interno appetitus internus sensitivus correspondet, sic etiã quinque sensibus externis quinque appetitus sensitivi externi correspõdeant. Respondent aliqui affirmative. Communis tamen responsio est negativa. Affirmativã sententiã probant aliqui quia in quolibet sensu sentitur dolor, ac delectatio: ergo in quolibet datur suus appetitus dolorem refugiens, & voluptatẽ, ac delectationem appetens. Hurtadus probat eandem sententiam: quia cuilibet cognitioni obiecti suus appetitus respondere debet: sed cognitiones quinque sensuum sunt exteriores, & distinctæ à cognitione sensus interni: ergo debent etiam dari totidẽ externi appetitus ab interno distincti. Communis sententia probari solet, ex eo, quod sufficienter animal sibi providere potest per vnũ appetitum internũ, siquidem iste attingit obiecta omnium externorũ sensuum: ad quid ergo sunt appetitus multiplicandi.

2997 Sentio ergo primã sententiam, quamvis minus sit communis, esse magis verã. Ratio est, quia secundæ illius probationi, etsi conẽtur respondere DD. sententiæ communis, nunquã plene ei satisfaciunt; semper enim evasiones videntur; quas ei pro solutione assignant. Deinde me in hanc sentẽtiã allicit, quod iudicem communiter DD. inclinatos in communẽ sententiã, tum quia ipsa est cõmunis, tũ quia facie omnes percipimus interno appetitu nos moveri; & percipere nõ possumus nos moveri externo aliquo appetitu: invenio tamen, quod aliquomodo percipi possunt appetitus externi, si res bene inspiciatur: & quod non ita bene, sic internus appetitus, percipiãtur, in ipsorũ natura fundari iudico. Vtrumq; probo. Si quis videat sibi placidissimũ obiectum, aut audiat, si cogatur illud deserere, & oculos claudere, non solũ sentit repugnantiã in interno appetitu, sed etiam in ipsis oculis quandã experitur repugnantiã, &, dũ in visione permaneat, quietẽ, & quasi fruitionẽ: cũ autẽ sensus externus nõ percipiat obiectum

iectũ absens, nõ potest, nisi in hoc casu appetitus ei correspõdẽs percipi: ergo quãtũ patitur ei⁹ natura, nobis notus est quilibet externus appetitus experientia nõ minus quã internus, servata proportione, etsi absolute multo minus, quia ille, cũ in obiecti absentia appetat, frequens est nobis, ideoq; valde expertus, sæpeq; molestus. Fundamentũ cõmunis sententiæ non vrget multũ, vt constat, quia sicut, etsi sensus internus cognoscat omnia externorũ obiecta; tamẽ nec ipse, nec externi superfluunt, sic in appetitibus est discurrẽdũ ita, vt ponãtur quinq; externi valde imperfecti, & solũ in præsentia obiectorum appetentes, & internus perfectior, & etiã obiecta absentia appetens, quæ differentia, si perpenderetur, forsan omnes DD. hos quinque concederent appetitus.

2998 Pro complemento Doctrinæ, quæ ad potẽtias animæ sensitivæ pertinet, restat modo agere de speciebus medijs quibus sensationes fiũt, atq; breviter de somno, alijs relictis affectionibus animalis, quæ aut facile noscũtur, aut anathomia potius, quã disputatione disci possunt. Circa species ergo cõsulto nihil dixi, dũ de singulis sensibus agerẽ, quia in fine huius disputationis agere decrevi de omnibus, vt simul agerẽ de specieb⁹ sensibilibus, & intellectualibus, quia primæ ad doctrinã huius disputationis spectãt; secũdę vero ad disputationẽ sequentẽ. Quia tamen mihi cõmodius est visum doctrinã de omnibus simul ponere, quã in varias disputationes dispergere, hic locus eis magis congruit, vt, videlicẽt doctrina, quæ vtramq; disputationẽ illuminat, in confinio vtriusq; ponatur, hoc est in huius fine, & immediate ante sequẽtis initiũ, vt vtramq; melius possit illuminare. Specierum ergo doctrina sequentibus quæstionibus est tradenda difficilis sane, & diffusa satis. Ante eam modo.

2999 Circa somnum breviter dicendũ est institutum esse ad vires animalis reparãdas, in eo namq; operationes omnes sensuum externorũ cessant, interimq; spiritus vitales, & animales in cerebro reparantur. Dupliciter autẽ somnus contingit: primo per occlusionẽ meatuũ, sive viarũ, per quas spiritus vitales, & animales ad sensus mittũtur: quod contingit propter vapores crassos ascẽdẽtes. Sic cõtingit somnus in ebrijs, in eisq; qui cibis vtũtur admodũ vaporosis. Deinde etiã somnus cõtingit per evocationẽ spirituũ vitaliũ, & animaliũ à cerebro factã, vt ibi reparẽtur. Vnde etiã somn⁹ abigitur, aut per corruptionẽ vaporũ occludẽtiũ meatus, aut per dispersionẽ spirituũ; & vtroq; modo vigilia est grata solet etiã cõtingere per evocationẽ spirituũ in aliquẽ sensum, quæ fit per hoc, quod vehemẽs sensibile tali sensui proponatur: tuncque vigilia, & excitatio est molesta.

QVÆSTIO XII.

Quinam ex externis sensibus speciebus impressis indigeant ad suas sensationes.

3000 SPECIES Impressæ intẽtionales, quæ sunt imagines, quædam, sive virtutes, medijs quib⁹

quibus, potẽtiæ cõplẽtur ad ſuas cognitiones eliciendas, vocãtur *impreſſæ*; quia potẽtijs ipſis imprimi ſolẽt, & differunt à cognitione ipſa, etſi ſpecies etiã ſit, quia obiectũ nõ minus, quã impreſſa, repræſentat, quia cognitio ab ipſa potentia exprimitur, & obiectũ expreſsius repræſentat, ideoq; vocatur expreſſa. Dicũtur deinde intentionales, quia potẽtijs cognoſcitivis deſerviũt, quarũ actus intentiones vocari poſſunt, quia illis in obiecta tendunt, ſive attendunt. Tales ergo ſpecies dari eſt cõmunis ſentẽtia, quãvis nõ deſint aliqui, qui eas omnino negent. Qui pręterea eas cõcedunt nõ eſt ita vniverſaliter, vt in omnibus potentijs eas admittant. Videatur M. Aguirre *in præſ. diſp.* 89. qui *n.* 2. plures refert tã pro ſentẽtia abſolute negãte ſpecies impreſſas, quã pro alijs, quæ cũ aliqua limitatione eas cõcedũt. Ego quidẽ fateor me nõ ſatis cõvinci, quod ſpecies impreſſæ dentur; quia tamẽ nec oppoſitũ cõvinci poteſt, nec melius explicari, negatis ſpecieb⁹, quomodo cognitiones fiant, cõmuni ſentẽtiæ ſubſcribendũ iudico, præſertim cum ſit D. Aug. & D. Th. ſentẽtia, & cõmunis fere omnium Theologorũ, & Philoſophorũ. Quod autem ſpecies impreſſæ dentur, probari cõmuniter ſolet ex eo, quod, iuxta celebre D. Auguſt. dictũ, *ab obiecto, & potẽtia gignitur notitia* cũ ego plura obiecta per ſe ipſa non ſint potẽtijs applicata, neceſſariũ eſt, quod applicentur, media ſui virtute, & imagine, quę eſt ſpecies impreſſa. Non amplius communẽ ſententiã probo, quia de ſingulis potẽtijs in particulari agens cõmuniores probationes exhibebo. Ad eas ergo in particulari deſcendẽdo.

3001 Dico 1. potẽtia viſiva indiget ſpeciebus, ad viſionẽ eliciẽdã. Probant aliqui hanc concluſionem, quia potẽtia viſiva eſt indifferens, vt videat colorẽ albũ, aut nigrũ, aut alterũ quẽcumq; ergo indiget determinari, vt potius hunc, quã illũ videat, media ſpecie illius, quem viſura eſt. Patet conſequentia; quia, cũ nõ poſſit determinari ab obiecto quod abſens eſt, neceſſariũ erit, quod ipſum ſpeciẽ mittat, media qua determinetur. Sed nõ vrget iſta probatio; quia dici poteſt, quod determinetur potẽtia ab obiecto exiſtente in diſtantia proportionata, vt videri poſſit.

3002 Alij probant eandem cõcluſionẽ: quia, poſito corpore opaco inter obiectũ, & potentiã, viſio impeditur: ergo quia ſpecies ab obiecto mittitur directe, & ea interpoſitione impeditur. Sed etiam hæc probatio multũ nõ vrget; quia admittẽtes ſpecies in auditiva potẽtia dicũt eas poſſe produci, etiãſi interponatur corpus opacũ: vnde nõ neceſſario producuntur per lineã rectã: ſicut ergo quod ſonus producat ſpecies per lineã obliquã, & color nõ, niſi per rectã; in vtriuſq; diversã naturã refundere debent, ſic qui in potẽtia vtraq; ſpecies negent, dicent, quod, etſi ſpecies nõ dentur, potentia viſiva indiget, quod obiectũ ſit in determinata diſtãtia, & in linea recta, ſine corporis interpoſitione, potentia vero auditiva eam applicationẽ ita rectam non requirit, vtrumque refundendo

in vtriusque potentiæ naturam.

3003 Alij probant eandẽ conclusionem experiẽtia perspiciliorũ, quibus melius res videtur ab his, qui debilẽ habent potentiam: quod non potest alia ratione contingere, nisi quia species ab obiecto missæ vivaciores ad potentiã perveniunt. Quarto probant: quia obiectũ distans nõ repræsentatur cũ tota sua magnitudine, sed apparet parvum: ergo quia mittit species, quæ in maiori distantia minus perfectæ producũtur, & magis confuse obiectũ repræsentant ita, vt plures partes cõfundãtur, & lateant. Sed etiã vtraq; ista probatio nõ vrget multũ; cõmuni⁹ enim, qui species negant, dicunt visionem fieri per emissionẽ radiorum, dicere ergo possunt ad primã harũ probationũ, rationẽ, cur obiectũ videatur melius per inspicilia esse quia radij oculorũ per vitrum illud transeũtes vivaciores evadunt. Ad secũdã vero, quod radij oculorum, dum magna est distantia non possunt omnes obiecti partes pertingere.

3004 Sed quamvis duabus vltimis rationibus æquæ probari posset sententia quæ per radios visionẽ effici defendit; dicendũ est tamen eã adhuc his rationibus nõ posse persuaderi; tum quia æque sunt in specierũ favorẽ: tũ quia ea sententia est difficilior. Inquiro namq; quid conducat ad obiectum mittere radios, vt visio in ipsis oculis efficiatur? Respõdebis ipsos radios reverti ad oculos, & aliquid afferre ad visionẽ cõducens. Sed contra est: quia id, quod afferunt radij ad visionẽ conducens, vocamus nos species: quod si nõ admittas, de nomine contendes: vnde Lynceus, & alij ex adversarijs cõcedunt esse species, ait enim Lynceus dictos radios nõ reverti vacuos, sed speciebus onustos iã ergo dãtur species: his autem positis facilius credi debet, quod ab obiecto in potenti à mittantur, quã quod afferantur à radijs; tum quia non est, cur radij maiorem virtutem, possint habere ad producendas, & adducẽdas species, quam obiectum ad eas producendas, & mittendas: tum quia credi non potest, quod in ictu oculi, in quo, teste experiẽtia, solem videmus, possint radij oculorum ire ad solem vsque, & redire, præsertim cum specierum onere: communior ergo sententia est potius amplectenda, & quamvis eam non evincant duæ vltimæ probationes, potius in eius, quam in radiorum favorem sunt cõvertendæ.

3005 Probatur ergo aliquanto vrgentius nostra conclusio speculi experientia; in illo namque res à tergo positæ videntur, quod non potest alia ratione contingere, nisi quia species ab obiecto in speculum missæ in illo reflectuntur, & ad visum perveniunt, illisque medijs res ipsa videtur: signum ergo est quod dentur species, si enim non darentur, quomodo reflectere possent?

3006 Sed circa probationem istam dubitabis aliqua, curiositatis gratia. Primo dubitabis, cur obiectũ non videatur vbi est, sed in speculo. Respondeo videri in speculo, quia

quia species reflexa repræsentat obiectum, non vbi incepit directa species, sed vbi reflexa incepit: ista autem constat, quod incœpit in speculo. Secundo dubitabis cur obiectum non appareat in speculi superficie; cum ibi fit speciei reflexio, vel saltim paulo profundius? Respondeo rationem esse, quia species directa in speculo recepta, & à qua reflexæ incipiunt repræsentabat obiectum, nõ vtcumque, sed cũ tanta distantia ab speculo: vnde reflexa ab ea producta cum eadẽ distantia ipsum repræsentare debet, & consequenter cum tanta distantia versus interiorẽ speculi partẽ, quantam habebat obiectum ab ipso speculo. Tertio dubitabis, cur videndo me, aut alium in speculo, video meam faciem dexteram in parte sinistra speculi. Respondeo rationem esse, quia mea facies dextera immittit speciẽ directã ad partẽ speculi sinistrã, & species debet reflecti à parte, in qua terminatur directa species: hinc etiã est, quod non video meum tergum, quia illud non mittit in speculum speciẽ directã. Vltimo dubitabis, cur in fluvio turris, & quævis alia res ordine inverso appareat. Respõdeo rationẽ esse, quia, vt dicebam supra, species reflexa debet repræsentare distantiã, quã habet obiectũ à corpore in quo reflectitur: cum ergo superiores partes turris maiorẽ distantiã habeant à fluvio, quam inferiores, debent distantiores repræsentari ab specie reflexa, & ideo in parte profundiori, quod est ordine inverso; si enim repræsentarentur in parte fluvij superiori, non cum maiori, sed cum minori apparerent distantia.

3007 Inquires autem modo, an potentia visiva non solum indigeat specie impressa, ad videndum colorem, sed etiam ad videndam lucem. Respondeo affirmative; quia color requirit speciem, quia distat à potẽtia, vt media tali specie cum potentia concurrat: sed etiam lux distat à potentia; cum videatur, à nobis lux solis, & lux per aerẽ diffusa; imò lux illa, quę immediata est potentiæ nõ videatur; iuxta superius dicta: eãdem ergo ratione, ac color, lux speciebus indiget. Dices lucem vnam posse videri, media alia. Cõtra tamen est, quod tam lux, quam luminosum distans videri possunt à loco tenebroso: ergo quia nõ videntur media alia luce, sed media specie.

3008 Dico secundo, etiam auditus vtitur speciebus ad percipiendum sonum. Est conclusio contra Oviedum *in præsenti controv.* 13. *§.* 2. & Quiros *disp.* 91. *num.* 4. & aliquos antiquos, communior tamen inter RR. Probari solet primo: quia surdastri, qui male audiunt, vtuntur tubis quibusdã, quæ versus auriculã angustũ habent orificium, latum vero ex alia parte, cuius ratio erit, vt plures species in eam ab vndique receptę magis immutent, dum maiori conatu per orificiũ angustum refractæ ingrediuntur. Secundo solet probari alia experientia ex reflexione, quã facit echo, quæ similis est reflexioni specierum visus in speculo.

3009 Respondet tamen Oviedus à primo sono non produci speciem soni; sed sonum alium, & ab isto alium, sicque vsque ad aures sonũ pervenire, sicut in nostra sentẽtia soni species. Nec difficilius putat vnũ sonũ alio produci, quã à primo sono vnã soni speciẽ, & ab hac specie aliam, & sic vsque ad aures. Vnde ad argumenta posita respõdet: ad primũ tubã deservire, vt soni producti maiori conatu ingrediantur, sicut argumentum de speciebus aiebat. Ad secundũ dicit in echo, sicut argumentũ intendit dari specierum reflexionẽ, per productionẽ specierũ ordine inverso, sic ipse ait dari sonorũ reflexionẽ per novorũ sonorũ, ordine inverso, productionem.

3010 Hæc Oviedi sententia probabilior est, quam sententia aliquorum, qui asserebant sonũ primò à collisione corporum productũ ab aere deferiusque ad auditum; hoc enim fieri nequit ita, vt aer, in quo primo recipitur sonus, veluti tabellarius, pergat ad auditũ in se ferens sonũ, quia non potest causa reperiri, quæ talẽ aeris particulã, cæteras aeris partes frangendo, sic breviter immittat. sed potius ipse aer in cõtrariã partẽ pergit, quin vlla aeris particula versus audientẽ ferri iudicari possit. Nec etiã potest sonus ille ad audientem pervenire ita, vt prius veniat ad aeris partẽ proximiorem deinde ad alias successive, quia sic idẽ numero sonus subiecta adæquata variaret: quod contra naturam accidentis est.

3011 Quamvis autẽm sententia Oviedi sit probabilior, quam nunc memorata, absoluteque. Valde probabilis; non tamen probabilior, quam ea, quæ species admittit; quãvis enim duo posita argumẽta æque faveant productioni multorum sonorum, ac productioni multarũ specierũ; verosimilius tamen esse debet, quod species sint admittẽdæ, & quod ad eas admittendas potius, quã ad sonos illos multiplicandos dictis argumentis convinci debemus. In primis enim, cum obiecto potentiæ visivæ concedatur virtus, ad producendam sui speciẽ, non est nova difficultas in concedendo hanc virtutẽ obiecto potentiæ auditivæ; ei tamen concedere potentiã producendi aliũ sonũ, non sine nova difficultate fierĩ potest; cũ id non habeat obiectũ potentiæ visivæ; cũ color nõ producat aliũ colorẽ, & lux, si aliã lucem producat, hoc nõ deserviat, vt lux producens videatur; sed potius ad hoc necessariũ sit, quod speciẽ producat.

3012 Deinde idipsum persuadetur; quia reflexio, qua formatur echo valde est similis reflexioni, quę fit in speculo: ergo sicut cõtrarij fatentur in speculo speciei tantũ reflexionẽ, eandem congruentius debent defensare in echo. Antecedens constat, tum quia echo repræsentat obiectũ, non vbi est; sed in tanta distãtia versus partẽ interiorẽ obsistẽtis quantã habet sonus verus ab obsistente. Deinde, si in parte, à qua sonus incipit inveniatur corpus aptũ ad echo, sive ad reflexionem, bis, aut ter

cer solet echo audiri: simile autem contingit in speculo: quod enim in eo nõ videatur obiectũ, vbi est; sed intra speculũ, diximus supra: quod etiã reflexio multiplicetur, constat, quia dum quis se inspicit in speculo, nõ solũ se in ipso videt speculo, sed etiã in pupilla sua, quę intra speculũ apparet, cuius ratio nõ est alia, quam reflexionis multiplicatio, qua species speculi ad pupillã reflectitur, & in illa apparet: species vero postquã in pupilla apparet iterũ ad speculũ, seu ad pupillæ speciẽ existentẽ in speculo regreditur: vnde ibi datur triplex reflexio: valde ergo assimilatur reflexio, quæ fit ab echo reflexioni speciei in speculo.

3013 Denique persuadetur verisimiliorem esse specierum, quam sonorũ productionem; quia, si sonus sentiretur media productione diversi soni, nõ sentiretur sonus producens; sed productus: sed hoc est contra experientiam: ergo potius dicendum sonum sentiri media specie producta. Minor constat experientia, qua discimus sonum primo editum percipi, quia percipimus vbi fiat, seu versus quã partẽ. Maior autẽ probatur: quia eo ipso, quod calor sentiatur medio calore producto, nõ sentitur calor producẽs; sed, qui immediate ad sensum est productus; qui enim distat ab igne per quatuor passus, calorẽ sentit in manu, aut immediate ad eã productũ; nõ tamen, quẽ immediate ignis produxit; alias illũ sustinere nõ posset: similiterq; est in odore, qui non percipitur vbi incipiat, eo ipso, quod immediate, & nõ media specie sentiatur, cuius ratio est, quia solum sentitur odor immediatus ad sensum olfatus. Hoc ipsum naturis rerũ congruit; speciei namque natura instituta est ad repræsentandum obiectum, à quo eius productio incipit; non tamen soni, odoris, aut coloris natura: vnde nõ mirũ, quod sonus vnus non possit ad alterũ sentiendum servire, & quod magis apte ad hoc deserviant species.

3014 Hic adverte primo non esse inconveniens, nec contra nos, quod vnus sonus alium producat, sicut vna lux aliam. Sicut autem vna lux ab alia producta non facit munus speciei, nec ad eam percipiendã est omnino necessaria, sic nec vnus sonꝰ se habet respectu alterius. Deinde nota, quod sicut sonus successive producitur, quia per motum successivum produci solet. Sic species eius successive ab ipso producuntur; & vnæ illarum ab alijs: vnde ista est ratio, cur fulgur prius videatur, quam audiatur tonitruum, etsi simul contingant, tarditas, scilicet, in productione specierum sonus, & velocitas, seu instantaneitas in productione specierum visus. Vnde etiã fit, quod vna species soni ab alia producatur, etiam sono, qui eam produxit, non existente; quia conservatio, quæ in speciebus visus ab obiecto ipso dependet, in speciebus soni non ita; sed à solo Deo fit; quia alias nõ possent species ad auditionem deservire; cum sonus sæpe

corrumperetur antequam species, propter tarditatem in eis producendis ad auditum devenirent. Vnde quod obiectum non existens non possit sentiri, nisi solum supernaturaliter, vt superius disputabamus, est verum in obiecto visus: in obiecto autem auditus, propter dicta sentiendū, quod etiam naturaliter sentiri, possit obiectum non existens; cum sæpe, dum species soni ad auditum venit, iam soleat obiectum non existere. Dicta autē in hac notatione etsi difficilia videantur, necessario sunt ita componenda cum in sententia Oviedi, quæ solū nostræ præferri posset, eandē contineant necessario difficultatem.

3015 Dico tertio: olfatus, gustus, & tactus speciebus impressis nō vtuntur ad suas sensationes. Constat conclusio, quia nulla ratio, nec experientia cogit. Ad eas species admittendas. Sed dices primo: canes venatici per olfatum quærunt leporem, & vbi sit cognoscunt: ergo quia olfaciunt medijs speciebus. Patet consequentia, quia species repræsentat obiectum, & vbi sit, vt constat in visu, & auditu; vna vero qualitas non ita repræsentat, vbi sit alia. Respondetur tamen canem non cognoscere per vnam olfationem vbi sit lepus, quod est signum ipsum per species non olfacere: connijcit ergo, vbi sit, quia pluries olfaciendo, versus aliquam partem sentit intensiorem odorem, versus eamque leporem esse sua apprehendit imaginatione. Quæ responsio est iuxta ea, quæ nos in nostro olfatu experimur; cum eo non percipiamus vbi sit obiectum emittens odorem. Vnde ex ista experientia potius nostra roboratur conclusio.

3016 Dices secundo: si res odorifera, etiam parva, sit in cubiculo, solet odor sentiri: sed credi nequit, quod per totum cubiculum odor diffundatur: ergo per eum dicendum est diffundi illius species. Respondeo tamen qualitatem odoriferam facile posse produci in toto cubiculo; quia corpus odoriferū potest odorem producere in partibus sibi immediatis, & deinde vnus odor productus potest alium producere ita, vt diffundatur odor per totum cubiculum admodum, quo iuxta aduersarios diffunduntur species; neque enim potest vlla ratio convincens adduci ad hoc, quod vnus odor alium producere non possit. Quod autem aliquæ qualitates non sic possint alias sibi similes producere in naturam particularem earum refundendum est. Quod vero potius producatur odor, quam species, constat, tum quia nulla ratio ex adductis pro potentia visiva, & auditiva hic habet parem vim, tum quia amoto corpore odorifero solet odor sentiri, etiam per multum tempus in aliquibus casibus: quod facilius percipitur, si odor ab eo producatur, quā si producerētur species. Dato tamē quod vnus odor non posset alium producere responderi adhuc argumento posset, substantiam odoriferam exhalari, & replere cubi-

biculum ; non quia totum repleat ; sed quia nulla est pars considerabilis, in qua non sit aliqua particula illius substantiæ exhalatæ, quod sufficit, vt in quavis parte odor percipiatur. Hic denique notandum contra aliquos in his tribus sensibus nō requiri, quod qualitas sentienda sensum informet, sed sufficere, quod illi sit contigua, cuius nulla melior est ratio, quam experientia.

QVÆSTIO XIII.

An etiam sensus internus, & intellectus speciebus impressis indigeant.

3017 DICO Primo sensum internum speciebus indigere Constat cōclusio ; quia sensus internus plura obiecta sentit, quæ ei non sunt per seipsa applicata : ergo applicantur illi, aliquo medio: illud autem dicimus esse speciem. Consequentia cōstat ex modo communi discurrendi circa alios sensus ; ponuntur enim communiter species in eis, in quibus obiecta non possunt immediate applicari. Difficultas autem est primo, quales sint sensus interni species. Aliqui enim dicunt esse ipsam externam sensationem. Alij vero dicunt non esse talem sensationem, sed eam dicunt producere speciem alterius rationis ab speciebus sensuum externorum, quæ ipsam, & eius obiectum sensui repræsentet. Alij denique iudicant produci à sensatione externa speciem obiecti eiusdem rationis, ac sunt species externorum sensuum, modificatam tamen, & coniunctam cum specie ipsius sensationis externæ. Pro hac tamen resolvenda difficultate.

3018 Dico secundo: sensatio quævis externa est species, qua obiectum sensatum per illam sentitur à sensu interno ; ipsa autem ab eodem sine distincta specie sentitur: vnde & sui, & sui obiecti species dici potest. Constat conclusio, quia, cum, posita sensatione pro specie sui, suique obiecti, minus entitates multiplicētur, sic debet constitui, si sine inconvenienti possit: sed potest sine inconvenienti: ergo constituēda est. Minor probatur: quia in primis talis sensatio bene repræsentat obiectum, cum sit species expressa illius, & seipsam à fortiori etiam: deinde est sufficienter sensui interno applicata: ergo commode satis, vt species illius possit deservire, tam, vt percipiatur eius obiectum, quam vt percipiatur ipsa. Minor, in qua sola reperiunt Aduersarij difficultatem, probatur: primo ad hominem: quia sensatio externa, iuxta Aduersarios, est sufficienter applicata sensui interno, vt in eo producat speciem: ergo etiam, vt sensationem internam producat. Secundo quia sensatio externa, v.g. visio, animę, quæ est in oculis est sufficienter applicata: sed anima hominis, quę est in oculis, est etiam in organo sensus interni: ergo animæ sensus interni est sufficienter applicata. Quod autem in brutis sit sufficien-

tienter applicata, aliter probandum est, iuxta nostram sententiam, quæ eorum animas divisibiles asserit. Probatur ergo sic: visio existit in parte animæ, quæ est in oculis: sed ista pars animę partialiter concurrit ad sensationem internam: ergo alicui parti animę, quę sensationem internam elicit, est applicata visio: sed ista est sufficiens applicatio; quia applicatio speciei ad potentiã non debet esse alterius rationis, quã applicatio agentis ad passum: sed ista sufficiens intelligitur, si, dum agens est divisibile, ei, secundum aliquam partem, applicetur passum: ergo etiam species sufficienter est animæ sentienti interne applicata, dum alicui eius parti applicata probatur.

3019 Dices, difficile satis esse, quod operationem cuiusvis partis viventis omnes animæ partes partialiter eliciant: quæ doctrina modo à nobis supponitur; cum nũquam fuerit probata. Respondeo eam doctrinam, quam supponimus veriorem nobis videri, quamvis vsque modo non sit probata à nobis. Modo autem ea doctrina probatur; quia sic melius intelligitur consonantia, & consensio inter partes eiusdem materialis animæ: hæcque doctrina est optima solutio difficilioris argumẽti contra nostram sententiam de animæ materialis divisibilitate. Difficultas autem, quam contra se habet hæc doctrina, est, quod non videtur sufficienter applicata pars animæ, quæ est in capite ad efficiendam ambulationem. Quæ difficultas ex dictis num. præcedenti evanescit; quia eoipso, quod pars animæ, quæ est in pede, applicata sit, est tota anima applicata; quia totius alicuius divisibilis applicatio sufficiens intelligitur, dum totum est secundum aliquam partem applicatum immediate, etsi secundum plures tantum mediate, vt in igne, & alijs agentibus divisibilibus est compertum.

3020 Ex dictis colliges non esse diversam speciem, adhuc partialiter, qua sentitur interne sensatio externa, & eius obiectum, sicut diversa partialiter est species sensibilis proprij, & communis. Ratio est, quia sensibile proprium, & cõmune sunt distincta obiecta: vndè distinctas species mittere debent, etsi ita connexas, vt vnam totalem componant; sensatio vero externa, & eius obiectum ita se habent, vt sensatio externa sit species respectu obiecti sui: cumque ipsa sit sui species, omnino in ea identificatur sui, suique obiecti species ita, vt nec partialiter vllo modo possint distingui; quia tota sensatio est sui species, & tota sui obiecti.

3021 Sed dices iterum sensus internus percipit obiectum sensationis externæ, & ipsam externam sensationem, adhuc quando ipsa externa sensatio non existit: ergo talis sensatio non deservit, vt species. Respondetur tamen sensationem solum esse speciem sui, & obiecti, dum existit; dum vero iam

non

ſion exiſtit, alia ſpecies eſt in ſenſu ponenda, qua & ſenſationem externam iam præteritam, & eius obiectum cognoſcat. Dicunt ergo aliqui, quod ſenſus internus ſuam ſenſationem poſsit percipere: quod, ſi ita ſit, dicendum, quod, dum ſenſatio interna exiſtit ipſa ſui ipſius ſit ſpecies ſimulque producat ſpeciem, qua ipſa poſtea, dum iam præterijt, cognoſcatur: quæ ſpecies, etſi ſtatim à cognitione interna producatur, non deſervit, vt ipſa cognoſcatur, dum exiſtit; quia ad hoc non eſt neceſſaria, ſed, vt cognoſcatur poſtea dum præterierit: ſicut in Angelis poni ſolent ſpecies futurorum, quæ, etſi ſemper ſint in ipſis, tamen non repræſentent ea, vſque dum ipſa exiſtant. Si ergo ſic res componatur, dicendum cognitionem externam, & eius obiectum cognoſci à ſenſu interno mediate tantum per ſpeciem illam, quam ſenſatio interna reliquit, quæ immmediate ſenſui repręſentat eam ſenſationem internam, & mediate externam ſenſationem, & eius obiectum.

3022 Si autem dicatur, quod ſenſus internus nõ poteſt ſuos actus cognoſcere nec præſentes, nec præteritos, eo, quod reflexio videatur eſſe ſupra perfectionem ſenſus materialis, etiam interni: quod, etſi comperiri non poſsit, probabilius mihi videtur: tunc vnum de duobus dici poteſt: alterum eſt, quod ipſa ſenſatio externa, quæ ſui, & ſui obiecti eſt ſpecies, aliam producit, qua ipſa, & eius obiectum cognoſcatur, non quæ deſerviat, quando ipſa exiſtit, quia tunc neceſſaria non eſt, ſed quæ, poſtquam illa perierit, eius vicem gerat. & obiectum, maiori quadam confuſione, repræſentet, quæ maior confuſio dat intellectui in hominibus fundamentum, ad iudicandum eam ſenſationem eſſe de obiecto, & ſenſatione præterita. Alterum, quod dici poteſt eſt, quod, quamvis ſenſatio interna ſentiri non poſsit, producit, ſeu relinquit in potentia ſpeciem, non qua ipſa repræſentetur, ſed qua repræſentetur ipſum obiectum, quod per illam cognoſcebatur: cumque illud ſit ſenſatio externa, & eius obiectũ, media hac ſpecie à ſenſatione relicta interna, cognoſcuntur obiectum, & ſenſatio externa, dũ iſta nõ exiſtit iam. Poterat hic etiam eſſe difficultas, an in ſenſu interno admitti debeant ſpecies inſenſatæ; ſed iam eas negandas ſuperius diximus n. 2988.

3023 Ad ſecundam quæſtionis partem deveniendo. Dico tertio; intellectus multoties vtitur ſpeciebus, multoties non. Prima concluſionis pars probatur: quia dum intellectus cognoſcit ſuos actus præteritos, atque etiam actus voluntatis vtitur ſpeciebus: ergo multoties illis vtitur. Antecedens probatur: quia tales actus, cum iam non ſint, non poſſunt ſeipſis intellectui applicari, & cum ipſo ad ſui cognitionem concurrere, nec poteſt aliquid aliud aſſignari, quod vice illorum concurrat, niſi ſpecies; nam ſi aſsignetur phantaſma, iſtud non poteſt illos, cum

cum ſpirituales ſint, repræſentare: vnde neceſſarium eſt dari illorum ſpecies, & conſequenter intellectus, vt eos cognoſcat præteritos, ſpecie. bus vtitur.

3024 Secunda concluſionis pars probatur primo. quia intelle. ctus, dum ſuos actus, & actus volũ tatis actu exiſtentes cognoſcit, non vtitur ſpeciebus: ergo multoties illis non vtitus. Antecedens conſtat, quia tales actus ſunt ſufficienter applicati intellectui, vt cum ipſo concurſum præſtent obiectivum: ergo ad illum præſtandum non indigent ſpeciebus, ac proinde eis intellectus non vtitur in cognitione ipſorum. Deinde probatur etiam; quia cognitionem internam ſenſitivam, quæ phantaſma vocatur, eiuſque obiectũ cognoſcit, abſque ſpecie vlla ab ipſo phantaſmate diſtincta: ergo multoties, aut plerumque ſpeciebus non vtitur. Antecedens conſtat; quia phantaſma nec minus ſe, & ſuum obiectum repræſentat, quam ſenſatio externa ſe, & obiectum ſuum, nec minus eſt intellectui applicata, quã ſenſui interno externa ſenſatio: ſed vidimus in ſecunda concluſione ſenſationem externam, & eius obiectum ſentiri ab interno ſenſu, abſque ſpecie ab ipſa ſenſatione diſtincta: ergo ſimiliter cognoſcetur ab intellectu phantaſma, & eius obiectũ abſque ſpecie vlla ab ipſo phantaſmate diſtincta. Scio in hoc ſpecialem quandam reperiri difficultatem, ei tamen ſatisfiet ex dicendis diſp. ſeq. quæſt. 1.

3025 Sed dices: anima rationalis, eius potentiæ, habitus, & ſpecies ſunt immediate animæ ipſi, eiuſque intellectui applicatæ: & tamen ipſæ non cognoſcuntur immediate, ſed medijs ſpeciebus: ergo quod actus intellectus, voluntatiſque, ac phantaſmata ſint applicata intellectui, non ſufficit, vt ea immediate, ſineque ſpeciebus, ad ſui cognitionem concurrere dicamus. Reſpondetur: in primis argumentum inſtantiam pati; quia ea, quæ in antecedenti memorantur, etiam iuxta Adverſarios, non cognoſcuntur per proprias ſpecies, & tamen per ſpecies proprias cognoſci, quæ in conſequenti deducuntur, fatentur. Reſpondemus ergo nos, ſecundo loco dicta, nimirum, actus intellectus, & voluntatis cognoſci abſolute non præciſſe, quia ſunt applicata, ſed quia præterea nobis experientia conſtat, ipſa habere virtutem ad producendam ſimul cum intellectu noſtro ſui cognitionem: quod autem ſuppoſito, quod hanc virtutem habeant, id debeant præſtare ſeipſis, probamus ex applicatione: vnde anima, potẽtiæ, habitus, & huiuſmodi alia cognoſci etiam poſſent ſine ſpecie, ob applicationem; ſi tamen ſupponeretur, quod habebant virtutem ſui cognitionem cum noſtro intellectu efficiendi; quia tamen non ſupponitur eo, quod experiamur oppoſito modo ſe habere, ac intellectiones volitiones, & phantaſmata, non poteſt inferri quod immediate cognoſcantur.

QVÆS

QVÆSTIO XIV.

Vtrum ſpecies impreſſæ ſint formales obiectorum repræſentationes.

3026 SPECIES Impreſſas eſſe ſimilitudines obiectorũ, imagines, & repræſentationes communis eſt modus loquendi: in præſenti autem examinare intendimus, quanta, aut qualis ſit iſta ſimilitudo. Aliqui ergo exiſtimaverunt tantam eſſe ſimilitudinẽ, quam habet ſpecies quævis impreſſa cum ſuo obiecto, vt dixerint, eam eſſe eiuſdem naturæ, & ſpeciei cum illo. Pro hac ſententia citari ſolent innumeri Thomiſtæ. Eſt tamen advertendum in duplici ſenſu poſſe intelligi, quod ſpecies ſint eiuſdem naturæ cum obiectis, videlicet, aut in eſſe entis, aut in eſſe intentionali, & repręſentativo. Igitur ſpecies eſſe eiuſdem naturę, & ſpeciei cum obiectis in ſecundo ſenſu credendũ eſt intendi communiter à Doctoribus, in eoque credo eam eſſe ſententiam communem Thomiſtarum. Eſſe autem eiuſdem ſpeciei in eſſe entis, forſan pauci dicent: citat tamẽ Prado, Durandum, Valleſium, & Bieſcas. Alij deinde exiſtimant nec in eſſe repræſentativo ſpecies eſſe eiuſdem naturæ cum obiectis.

3027 Dico tamen primo, falſum eſſe, quod ſpecies ſint eiuſdem naturæ cum obiectis in eſſe entis. Conſtat concluſio ita clare, vt videatur oppoſitum inopinabile. Probatur ergo primo: quia obiectorum contrariorum ſpecies non ſunt contrariæ; ergo non ſunt eiuſdem naturæ cum illis. Secundo: quia ſpecies ſemper ſunt accidentia, obiecta vero aliquoties ſunt ſubſtantię. Tertio: quia obiecta ſenſuum externorum ſenſibus percipiuntur, non ſic eorum ſpecies. Sed quid immoror in re clara?

3028 Dico ſecundo in eo ſenſu, in quo ſpecies impreſſa obiectum repræſentat, non ſolum eſt repræſentative eiuſdem ſpeciei cum ipſo; ſed etiam eſt ipſiſſimum obiectum repræſentative. Probatur cõcluſio: quia eſſe hoc, aut illud repræſentative nihil aliud eſt, quam hoc, aut illud repræſentare, ſicque imago Imperatoris dici debet Imperator repræſentative, quia Imperatorem repræſentat: ſed ſpecies obiecti non ſolum repræſentat aliquid, quod eſt eiuſdem ſpeciei cum obiecto, ſed etiam ipſum obiectum: ergo repræſentative non ſolum eſt eiuſdem ſpeciei cum obiecto; ſed etiam eſt ipſum obiectum. Circa hanc tamen concluſionem notandũ eſt primo, quod eſſe repræſentativum debet accipi, vt in maiori probationis à me explicatur; alias namque erit eſſe repræſentativum chimæricum; nullum enim, præter à me explicatum, poteſt in ſpecie inveniri. Secundo notandum, quod, etſi noſtram concluſionem teneant Thomiſtæ, & etiam noſtrum modum eam explicandi, frequenter ſatis videntur æquivocari, quaſi exiſti-

stiment illud esse repræsentativum aliquid aliud esse præter id, quod manet explicatum, quando ergo occurrat, auferenda est æquivocatio.

3029 Tertio notandum est, quod consulto dixi in hac conclusione: *In eo sensu, in quo species impressa obiectum repræsentat*; quia communius lesuitę existimant species impressas repræsentare obiecta solum virtualiter, quatenus, scilicet, simul cum potentia producere possunt repræsentationem formalẽ. Thomistæ vero per oppositum species impressas dicunt esse repræsentationes formales. Vnde, cum repręsentatio virtualis improprie sit repręsentatio, impropriè dicentur iuxta primam sententiam species impressæ esse eiusdem speciei cum obiectis repręsentative, quia improprie ea repræsentant; iuxta secundam vero dicentur proprie esse eiusdem speciei; & sua ipsa obiecta repræsentative, quia proprie ea repræsentant: vnde, quid de eis sentiendum sententijs declarare, præcipuus est huius quæstionis scopus.

3030 Pro omnimoda ergo resolutione, dico tertio cum communi sententia Thomistarum, quos sequitur Franciscus Alphonsus, speciem impressam esse sui obiecti formalem repræsentationem. Antequã istam conclusionem probem noto, speciem impressam dici repræsentationem formalem eo ipso, quod obiectum vere & proprie repræsentet; qui enim dicunt non esse formalem repræsentationem, ideo hoc dicunt, quia illam obiectum non repræsentare existimant, sed tantummodo concurrere cum potentia effective ad repræsentationem formalem, quæ in specie expressa reperitur, producendam. Hoc ergo supposito, probatur conclusio primo, quia est magis conformis modo loquendi D. Thomæ, Philosophi, immo & communi, etiam Adversariorum. Secũdo deinde probatur: quia species impressa, vere, & proprie, obiectum, cuius est species, repræsentat: ergo illius est formalis repræsentatio Cõsequentia patet ex facta suppositione ab Adversarijs admissa. Antecedens vero probatur: species impressa deservit ad supplendam absentiam, & applicationem obiecti: ergo illud vere, & proprie, repræsentat. Antecedens constat: quia vbi obiectum est præsens, & cum necessaria applicatione, non est necessaria species, vt vidimus quæstionibus præcedentibus: ergo dum est absens, & non applicatum, species, quæ ob eã absentiam ponitur, eius præsentiam supplebit, idque erit eius munus. Consequentia autem probatur primo: quia præsentia tunc suppletur melius, quando res absens, vt præsens habetur: hoc autem nullo alio modo melius ab specie fit respectu obiecti, quam illud repræsentando. Secundo probatur eadem consequẽtia: quia dum obiectum taliter est præsens, vt specie non indigeat, vt cognoscatur, ipsum obiectum potentiæ deservit, vt eius ope, & præ-

præsentia, similem ipsi speciē producat expressam: sed hoc munus non aliter melius supplere potest species, quam obiectum repræsentando: ergo eo ipso, quod absentiam obiecti suppleat, illud repræsentat. Minor constat: quia si pictori deservirent res ipsæ depingendæ, vt earum imagines ipsis similes produceret, in absentia illarum, nihil, quod earum absentiam posset supplere, melius inveniri posset, quam imago illarum, quæ eas proprie repræsentaret, etsi coloribus demortuis: ergo absentiam obiecti, ad eius imaginem vivam expressæ speciei producendam, nullo modo melius supplere poterit species impressa, quam ipsum obiectum proprie repræsentando, quamvis mortuo modo, & non ea vivacitate, qua repręsentatur ab specie expressa.

Soluuntur argumenta.

3031 Sed contra nostram tertiam conclusionem, quæ quæstionis resolvit difficultatem, obijcies primo ex quodam R. N. quod species à D. Augustino semen obiecti dicitur: sed semen non est similitudo eius, cuius absentiam supplet, sed tantum virtus productiva effectus ei similis: ergo similiter species non erit obiecti formalis similitudo. Cōfirmat argumentum: quia Deus cum intellectu Beati concurrit loco speciei ad plurium creaturarum cognitionem: sed earum non est formalis repræsentatio, sed virtualis tantum; ergo similiter se habet species. Respondeo ad argumentum speciem dici à D. Augustino, & communiter, semen obiecti, quia sicut illud fœcundat matrem, sic species potentiam; non tamen quia ei sit per omnia similis. Ad confirmationem respondeo, Deum, sive eius essentiam similitudinem non esse formalem creaturarum; eminentiori tamen modo eas non minus perfecte repræsentare, quam similitudo formalis: vnde cum in specie non detur ea repræsentatio eminentior, formalis est necessaria.

3032 Secundo obijes argumentum fundamentale dicti R. species impressa non est imago, similitudo, aut repræsentatio formalis naturalis, qualis est ea, quæ in imagine externa reperitur: deinde neque est imago, & similitudo formalis intētionalis: ergo nullatenus est formalis obiecti similitudo, aut repræsentatio. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia formalis similitudo intentionalis reddit potētiam, quam informat, formaliter cognoscentem: sed species impressa potentiam informans non reddit ea formaliter cognoscentem: ergo non est formalis similitudo intentionalis. Minor probatur quia alias species expressa non esset necessaria. Confirmatur quia tunc potentia cognoscit obiectum, quando facta est ei actu, & formaliter similis, iuxta D. August. 14. *de Trinit. cap.* 11. aientem: *tunc fore perfectam Dei similitudinem in mente, cum fuerit perfecta*

ta Dei visio: sed eo ipso, quod species impressa sit formalis similitudo, informando potentiam, eam reddit obiecto similem: ergo eam reddit cognoscentem.

3033 Ad hoc argumentum respondet Franciscus Alphonsus, dicendo, similitudinem speciei impressæ esse per modum habitus; similitudinem vero expressæ speciei per modum actus: hæc autem secũda similitudo est, quæ potentiam potest reddere cognoscentem; non illa prima: sicut per scientiam actualem vere quis dicitur scire; non sic per habitualem. Sed quidquid sit de impugnatione qua N. R. hanc impugnat solutionẽ, ego eam nõ intelligo; quamvis enim species impressa, dum est in potentia, quasi sopita, & nihil ei repræsentando, nec cum ea ad vllam cognitionem concurrendo, similis videatur habitui; quando tamen est excitata, & actu exercet suam virtutem in potentia, non potest non ei obiectum actu repræsentare: tunc ergo currit argumentum, & tunc similitudo speciei impressæ bene potest à similitudine expressę differre; non tamen vllo modo in actualitate, seu in eo quod non detur per modum actus, aut sic non repræsenter; alias ad quid eius repræsentatio, & similitudo deserviret?

3034 Aliter ergo est argumento respondendum. Ego vero, antequam ad illud respondeam, ipsum instо, quia eius instantia magis me adduxit ad sententiam, quam defendo, quam rationes pro ea adductæ. Sic ergo instо: quando obiectum non indiget specie impressa, vt cognoscatur, sed seipso gerit, quod, media specie, alia gerunt obiecta, æque, aut magis assimilatur potentia ipsi obiecto per eius informationem, ac potest assimilari, iuxta nostram sententiam per informationem speciei impressæ: sed talis obiecti informatio nec ab vllo dicitur, quod reddat potentiam cognoscentem formaliter, nec, quod tollat necessitatem speciei expressæ: ergo nec informatio speciei impressæ, quæ similitudo formalis sit, reddet potentiam cognoscentem; nec tollet speciei expressæ necessitatem.

3035 Sed dices primo, quod R. noster in nulla potentia admittit, quod obiectum, sine media specie, ad sui posit concurrere cognitionem: ergo non bene contra ipsum argumentum instо. Secundo dices, quod obiectum non est sui similitudo, sive sibi simile: non ergo poterit, potentiam informando, eam sibi assimilare. Antecedens constat; quia similitudo realem postulat distinctionem extremorum similium. sed contra primam evasionem est, quod ad instantiam argumenti sufficit, quod aliqua cognitio, sive materialis, sive spiritualis, sine specie fiat: quod autem non semel, sed multoties id contingat, probavimus nos iã in superioribus, sufficit autem argumentum instare in doctrina cõmuniori, & à nobis iam probata, præsertim, cum oppositam non ita

rop-

probet præfatus R. etsi enim in omnibus potentijs species dari, teneat; non tamen, vt probet. pro omnibus experientias adducit, sed pro aliquibus; quas tamen pro omnibus vult deservire. Contra secundam vero evasionem est, quod identitas, quamvis non possit rigorose, & formaliter dici similitudo, est tamen similitudo eminenter: quod, ad reddendam potentiam cognoscentem non minus sufficiens est. Primo namque, quamvis generatio viventium requirat similitudinem inter naturam, geniti, & generantis, Filius Divinus vere genitus est, ob solam eminentem similitudinem naturæ. Deinde quamvis cognitio sit, etiam iuxta Adversarios, similitudo obiecti cogniti, cognitio Divina, qua Deus suam essentiam cognoscit est perfectissima cognitio, quamvis similitudinem solum eminentialiter habeat: nihil ergo minuit instantiam, quod obiectum proprie sibi simile dici non possit; cum habeat similitudinem eminentialem, quæ in re presenti æquivalet ad minus similitudini formali.

3036 Deinde ad argumentum absolute respondeo, negando minorem: ad cuius probationem distinguo maiorem: formalis similitudo intentionalis reddit potentiam, quam informat cognoscentem, si sit similitudo expressa, concedo maiorem; si tantum impressa, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Ratio autem cur potius similitudo expressa reddat potentiam cognoscentem, quam impressa, non solum est, quia expressa est magis clara, & vivacius obiectum repræsentat, sed multo magis, quia expressa, vt nomen indicat, est producta ab ipsa potentia, & per eam tendit ipsa vitaliter in obiectum, illud repræsentando: ea ergo expressio, & tendentia est, quæ dicitur cognitio, & non quæcumque assimilatio potentiæ cum obiecto. Nec huic doctrinæ opponitur D. Aug. sed potius eã confirmat, dum ait perfectam similitudinem fore in mente, cum fuerit perfecta Dei visio; tum quia D. August. non ait, quod vbicumque reperiatur similitudo detur cognitio; sed, quod, vbi cognitio reperitur, reperiatur etiam perfecta similitudo, quod nos non negamus. Tum etiam, quia (quamvis hoc apud me necessariũ non sit) communiter similitudo speciei impressæ, etsi formalis dicatur, dicitur esse imperfecta; similitudo vero speciei expressæ perfecta: vnde, cum D. Aug. loquatur de similitudine perfecta, potius loquitur ad mentem Doctorum nostræ sententiæ.

QVÆSTIO XV.

Quomodo species impressæ concurrant ad actus potentiarum.

3037 IN Hac quæstione primo supponendum est speciem impressam non

concurrere, vt imaginem prius cognitam, ad obiecti cognitionem. Ratio est, quia experimur nos immediate obiectum cognoscere, si autem concurreret species, vt imago prius cognita, nō cognosceremus obiectū immediate. Deinde experimur, nos cognoscere obiecta per externos sēsus, quin eorū species cognoscamus: ergo eorum species non ita deserviunt cognitioni, vt ipsæ prius cognosci debeant. Igitur difficultas in hac quæstione est, in quo genere causæ species ad cognitionem concurrant. Communis ergo sententia asserit eas concurrere effective. Ab hac autem sententia discedunt pauciſsimi, inter eos autem est Franciscus Alphonsus, quem sequūtur nonnulli ex nostris Recentioribus, qui tantum vt conditionē, requiri speciem impressam ad cognitionem dicunt, quāvis alij eiusdem sententiæ DD. aliter concursum speciei explicent.

3038 Dico tamen cum communi sententia speciem impressam ad cognitionem effective concurrere. Probatur conclusio primo ex illo dicto D. Augustini, quod communiter profertur ab omnibus: *Ab obiecto, & potentia gignitur notitia*: quod improprie valde diceretur, si obiectum, media specie, vt pura conditio, & non effective concurreret. Secundo probatur: quia constat experientijs species necessarias esse: sed, quamvis difficile percipiatur, quomodo effective concurrant, difficilius percipitur, quomodo concurrant in alio genere causæ, ac etiam, quomodo, vt conditio concurrant: ergo potius dicēdum eas concurrere effective. Tertio probatur: quia communiter speciei impressæ tribuitur potentiæ determinatio: sed ista determinatio non potest commodius aliter fieri, quam simul cum illa effective concurrendo: ergo ei cōcedendus est effectivus concursus. Cōfirmatur contra quemdā ex dictis Recentioribus: quia iuxta ipsum species impressa non est formalis imago, quæ veluti exemplar possit intellectui deservire, ad quid ergo illi deserviet, si cum illo efficienter non concurrat? Certe nihil in ea vtilitatis, aut conducentiæ apparere posse videtur.

3039 Quarto probatur conclusio ex correspondentia prædicatorum, quæ in specie expressa producuntur; nam species expressa iuxta omnes, est similitudo obiecti expressa, & vitalis: ergo eius vitalitas debet intellectui correspondere; ratio vero similitudinis, & imaginis speciei. Sed dicent, quod intellectus est causa æquivoca speciei expressæ: vnde illam potest adæquate causare, quamvis in ipso non sint formaliter prędicata, quæ in specie relucent. Fateor ego sic contingere sæpe; tamen negandum non est, quod, quotiescumque causa vnivoca effectus potest assignari, ea assignari debeat: ergo similiter, quamvis causa vnivoca omnino nequeat assignari, debet assignari, cum potest, causa effectui similior, potius quam minus similis; ista enim con-

consequentia videtur bona à pari, rate rationis: sed assignando, pro causa speciei expressæ, speciem impressam, & potentiam, assignatur causa, etsi non vnivoca, similior tamen, quam si solus intellectus assignetur: ergo ea assignari debet.

Soluuntur argumenta.

3040 Contra nostram tamen sententiam præcipuè objcit memoratus Recentior, quod non adest sufficiens fundamentum ad concursum effectivum speciei admittendum. Sed cum plerumque, quæ de speciebus disputantur, valde sint confusa, & incognita, iuxta materiæ capacitatem, fundamenta adducta sufficientia videntur; quod enim omnino non convincant, fert secum materiæ obscuritas; nec enim clarius convincitur existentia specierum, & hoc non obstante, eas admittunt nostræ sententiæ contrarij.

3041 Præterea R. idem objcit, quod intellectus habet sufficientem virtutem ad intellectiones producendas: ergo non indiget concursu partiali effectivo specierum. Antecedens probat: quia voluntas habet sufficientem, & adæquatam virtutem, ad volitiones producendas, sola cognitione, & propositione obiecti, vt conditione, concurrente: ergo intellectus habebit sufficientem virtutem ad intellectiones producendas, sola specie, vt applicatione, & conditione, concurrente. Respondetur negando antecedens, & ad eius probationem consequentiam, ob disparitatem, quæ ex nostræ sententiæ rationibus colligitur; voluntas enim non producit obiecti repræsentationem: sed inclinationem in illud, in qua inclinatione nihil apparet, quod obiecto possit correspondere efficienter, sicut in cognitione reperitur ratio imaginis, quæ obiecto, eiusve speciei, non solum possit, sed debeat correspondere.

3042 Tertio objcies: si species effective concurreret, quotiescumque daretur species, daretur illius concursus: sed hoc est falsum: ergo species non concurrit effective. Respondetur negando maiorem; quamvis enim aliquæ species eo ipso, quod applicentur potentiæ necessario cum ea concurrant; sunt tamen aliquæ, quæ non ita necessario concurrunt, sed sunt quasi sopitæ, & excitatione indigent, ad hoc, vt actu concurrant. Quod non habet in nostra sententia maiorem, quam in opposita, difficultatem. Et si inquiratur, à quonam species sopitæ excitentur, vt potius hæ, quam aliæ modo concurrant. Respondetur excitari ab imperio voluntatis: ad hoc autem requiritur, quod præcedat iam aliqua cognitio: & præterea ex eo imperio non potest immediate quævis species excitari; sed solum intellectus ex voluntatis imperio per varias res discurrit, vsque dum de vna in aliam perveniat ad cognitionem à voluntate præceden-

te cognitione confusa, imperatam. Etsi dicas quomodo excitatur species eius rei, quæ cognoscitur ante omne imperium voluntatis. Respõdetur eam excitari in intellectu aliquando à Deo: hoc autem specialiter contingit, cum cogitatio, seu cognitio est de re conducente ad salutem animæ. Communius autem cognitio, si sit intellectualis, excitatur ab interna sensatione de eadem re, aut de alia simili. Etsi quæras, iterum, à quo ergo sensatio illa interna excitatur, seu species, vt eam producat? Respondeo iterum, eam excitari à cognitione externa eiusdem rei, aut alterius similis.

3043 Etsi adhuc inquiras: dum sensus internus, nullo externo sensu cognoscente, recordatur præteritorum, à quo excitatur? Resp. eum, varijs modis, excitari; ab aliqua enim ex vltimis sensationibus excitatus fuit sensus internus ad similem internam sensationem: ab hac autẽ interna sensatione facile contingere solet, quod excitetur ad aliam alterius rei, quæ habet cum ea aliquam similitudinem, aliquamve connexionem; aut etiam sæpe ad eam, quæ cum illa habet contrarietatem. Deinde etiam Phantasia excitari solet, seu species in ea existentes, ab humoribus viventis: vnde iuxta diversos humores prædominantes, solent diversa insomnia contingere, sicque frequentius somniant tristia melancolici, prælia colerici.

3044 Ex dictis numero præcedenti, & ex experientia ipsa colliges talem esse inter intellectum, & phantasiam connexionem, vt, operante phantasia, intellectus etiam operetur, & istius operationẽ semper phantasiæ operatio, aut præcedat, aut committetur, aut subsequatur eiusdem rei, aut diversæ; ei tamen, quoad fieri potest, similis, cum eave connexa; quod enim à cognitione phantasiæ excitetur intellectus, passim occurrit: quod aliquando illius operationem committetur, constat; quia dum res spirituales concipimus, aliquã rem materialem imaginatione formamus, ad cuius instar eam intellectu concipimus; dum enim Angelum concipit intellectus phantasia iuvenem concipit, & senem, dum intellectus concipit Patrem Æternum. Similiter consequenter operatur phantasia in eadem cognitione, quam concomittanter habuit; perseverando, aut ex ea ad aliam rei similis transeundo. Nec mirandum, si doctrina à me, occasione huius argumenti, tradita adhuc remanet obscura, & inexplicata; est enim res ita difficilis, vt Oviedus *in præsenti contr. 13. punct. 4. n. 9.* dicat eam esse omnium difficillimam, quã invenit in tota Philosophia: Villaverde autem, postquam proponit hanc difficultatem *lib. 3. de anima quæst. 2. num. vltimo*, his respondet verbis: *Respondeo, quod est difficultas mihi inintelligibilis.*

QVÆS-

QVÆSTIO XVI.

Difficultates aliquæ circa ſpecies impreſſas reſoluuntur.

3045 PRIMA Difficultas eſt, quorum obiectorum dentur ſpecies propriæ. Vidimus iam quæ obiecta ſpeciebus indigeant, vt cognoſcantur, quare modo eſt difficultas ſolum, quænã ex his, quæ, medijs ſpeciebus, cognoſcũtur, proprijs ſpeciebus cognoſcantur; quæ vero alienis. Reſp. ergo primo, actus intellectus, & voluntatis, ac ſenſus interni, dum non exiſtunt, cognoſcuntur per proprias ſpecies ab eis relictas Conſtat hoc; quia ſpecies, quibus tunc cognoſcuntur, ipſos immediate repræſentant: ergo propriæ debent tales ſpecies iudicari. Vbi aduerte, quod, cum tales ſpecies non ſolum actus, ſed etiam eorum obiecta, ex conſequenti repræſentent, etiã dici debent propriæ ipſorum, quamvis non ita rigoroſe; quia, etſi non immediate, ipſa tamen repręſentant vere & proprie: intellige tamen hoc de cognitionibus, quę obiecta ſua cũ proprietate rrepræſentabant; ſpecies enim actus non poteſt melius eius obiectum repræſentare, ac actus ipſę prę. teritus repræſentabat ipſum.

3046 Secundo reſp. omnia obiecta, quæ aliquo ex externis ſenſibus ſunt perceptibilia, ab intellectu cognoſcuntur per proprias ſpecies; quę vero ab eis percipi nequeunt, præterdicta num. prçced. nõ cognoſcuntur per proprias ſpecies. Vnde Deus, Angeli, entia rationis, aliaque ſimilia, non cognoſcuntur per proprias ſpecies. Huiuſmodi ergo res cognoſcit intellectus per alienas ſpecies, Angelũ, v. g. per ſpecies iuvenis alati, pulchri, & fortis, ſublatis tamen imperfectionibus. Vnde benẽ notat Oviedus, quod huiuſmodi ſpecies etiã propriæ dici poſſunt, quatenus ſpecies Angeli, v. g. ita Angelũ repræſentat, vt nullam aliam rem repræſentare poſsit; licet enim ſpecies iuvenis iuvenem repræſentet, & ſpecies alæ alam, ſim literque de alijs; collectio tamen illa ſpecierũ, quæ ex pluribus ſpeciebus dictis conſtat, ſublatis imperfectionibus, ita vnam ſpeciem, quaſi monſtruoſam conſtituit, vt ea ſolũ Angelum repræſentet, vnde in hoc ſenſu propria Angeli dici poteſt, dicitur tamẽ aliena, quia ex pluribus alienis conſtituta. Non iam moror in quæſt. de nomine, an in rigore talis ſpecies potius propria, quã aliena dici debeat; hoc enim pendet à modo accipiendi de ly *propria*: quod forſan etiam ita accipi poteſt, vt ſpecies adhuc, quas proprias nuper diximus non omnes proprię in rigore dicantur. vide *diſp. ſequenti quæſt 3. num 3097.*

3047 Secunda difficultas eſt vtrum partes ſpeciei indiviſibiliter producantur, hoc eſt, vtrum partes ſpeciei ita à partibus obiecti producantur, quod omnes ſpeciei partes producantur ab obiecti ſingulis partibus. Vel clarius, vtrum tota ſpecies, quæ obiectum diviſibile repræ-

ſētiat, producatur à ſingulis partibus obiecti, etſi non to aliter totalitate cauſæ; totaliter tamē totalitate effectus. Vel, adhuc clarius, difficultas eſt vtrū ſpecies, quę totum Petrū repręſentat ita à ſingulis partib⁹ Petri producatur, vt manus Petri nō ſolū producat partem ſpeciei repræſentantē manum, ſed etiā partem ſpeciei repræſentantē caput, pedes, & reliquas & ſimiliter caput nō ſolum producat partem ſpeciei repræſentantē caput; ſed etiā partes alias, quæ manum, & reliquas corporis partes repræſentāt.

3048 Ad hanc ergo difficultatem reſpondeo negative cum communi Recentiorū ſententia, cōtra Carleton aientem, ſpeciem non ſolum de potentia abſoluta poſſe indiviſibiliter produci, ſed de facto ita produci multoties. Antequam reſponſionem probem, adverto me non con endere, quod ſpecies non poſsit produci indiviſibiliter de potentia abſoluta, ſed ſolum, quod de facto id non contingat. Quamvis enim aliquæ rationes primum etiam probare videantur, me tamen non convincunt. Probo ergo modo reſponſionem: manus Petri non producit ſpeciem repræſentantem caput Petri: ergo ſpecies totius Petri non producitur à ſingulis Petri partibus indiviſibiliter: ergo ſimiliter dicendum eſt de alijs ſpeciebus ſenſibilibus (de his enim procedit difficultas) ſecunda conſequentia eſt ſine difficultate bona, & prima tantum indiget terminorū explicatione qui iam ſunt ſupra explicati. Probo ergo anteced. primo: quia dū Petrū video ſi inter manum Petri, & meos oculos, interponatur obſtaculum, & non inter eius caput, & oculos meos eodē modo, ac antea, video caput, nō videndo, ſicut antea, manū: ergo ſignum eſt, quod manus nō producebat ſpeciem capitis; ſed tantum ſpeciem manus; alias, poſito obſtaculo, ceſſaret repræſentatio capitis, ſicut ceſſat repræſentatio manus: ſimiliterque non eſſet cur ceſſaret repræſentatio manus; quia, cum caput non ſolū ſpeciem capitis, ſed etiā ſpeciem manus produceret, nō poſito erga caput obſtaculo, eamdem, ſicut antea, producere debebat.

3049 Sed dices, quod, poſito obſtaculo inter manū, & meos oculos, non impeditur, quod repræſentetur caput; quia, etſi manus impediatur ab ſpeciei productione, & ideo nō perſeveret eadem capitis ſpecies; tamen caput ipſum aliā ſpeciem producit repræſentativam capitis, & nō manus: & hæc eadē eſt ratio cur non repræſentetur manus; quia caput ſolum partialiter producebat ſpeciem repræſentantem manum, concurrente, ſcilicet, ipſa manu: vnde, ea impedita, nullatenus producit ſpeciem ipſam repræſentantem. Sed contra hāc doctrinam eſt; quod quamvis in ea nulla detegatur implicatio; ſequitur tamen ex ea, quod quacumque parte obiecti ablata, etiā minima, aut impedita, tota ſpecies obiecti pereat, & alia de novo producatur, quod, cum non ſolum frequenter; ſed frequentiſsimè contingat, eſt concedere

dere frequentissimam productionē, & corruptionem specierum, absque vlla vtilitate, aut vrgenti fundamento.

3050 Secundo probatur idem antecedens nostrę probationis, & simul præcedens probatio roboratur: quia in manu nulla potest cū fundamento reperiri virtus ad producendam speciem caput repræsentatem: ergo illam non producit. Antecedens probatur: quia obiectum quodvis tantum producit speciem eiusdem naturæ cum ipso in repræsentando: sed species repræsentans caput non est eiusdem naturæ cum manu in repræsentando; cum sit repræsentative manus, & caput, & manus ipsa tantum sit manus: ergo species capitis nequit produci à manu, & consequenter in manu nulla est virtus productiva speciei repræsentantis caput. Maior, præterquam quod est à nobis superius probata constat experientia; quia nunquam est visum, quod equus produxerit speciem repræsentativā leonis, aut leo repræsentativam equi: ergo quia vnumquodque obiectum habet tantum producere speciem sui repræsentativam, seu eiusdem naturæ cum ipso in repræsentando.

3051 Sed dices, quod quamvis solus equus non producat speciē repræsentativā leonis; tamen equus simul cum leone speciem repræsentativam leonis producit: & similiter leo cum equo repræsentativam equi, ita vt vterque simul speciem indivisibiliter vtrumque repræsentantem producat. Sed contra est: quia quamvis ignis A, & B, separati diversas actiones, & terminos producentes, dum coniunguntur, seu eidem passo applicantur, possint eū dem effectum indivisibiliter producere; id tamen evenit, quia similem virtutem habent, & dum agunt separati, etsi non producant eumdem effectum; tamen producit quilibet eorum effectum similem effectui alterius. Vnde, si coniungantur ignis, & nix ad calorem, & frigiditatem in vno passo producendam, non producent eas qualitates indivisibiliter, sed ille producet quosdam gradus caloris, & ista quosdam frigiditatis: ergo cum equus, & leo, albedo etiam, & nigredo, dum seorsim operantur, non solum producāt distinctas species, sed etiam dissimiles, credendum est, quod, dum coniunguntur, non vnam producant speciem indivisibiliter; sed duas divisibiliter, vnusquisque, scilicet, suam.

3052 Sed contra doctrinam vtriusque probationis dices. Rationes positæ, etsi videantur apparentes, & inconveniens aliquod contra sententiam oppositam videantur inferre; tamen habent contra se instantiam claram, & experientiam: ergo reijciendæ sunt, & opposita doctrina admittenda. Consequentia est bona, quia inconveniens à nobis adductum, si habent nostræ rationes instantiam, in ea dirimendum ab omnibus est:

deinde, si nostræ rationes omnino convincentes non sunt, experientiæ potius, quam illis, fidendum est: reijciendæ ergo sunt nostrę rationes, & opposita doctrina amplexanda, si antecedens argumenti est verum. Antecedens ergo, in quo est difficultas, probatur: In primis enim nostræ rationes instantur in specie expressa; ea namque indivisibiliter producitur ab omnibus partibus speciei impressæ, indivisibiliterque omnes partes obiecti repræsentat: ergo in ea patitur instantiam vtraque nostra ratio, seu primi nostri antecedentis probatio. Deinde autem, quod dictæ probationes contra se habeant experientiam constat; quia acervus tritici à longe videtur; & tamen quilibet tritici granus existens in ipso, si solus esset, non videretur: hoc autem non alia ratione fieri potest, nisi quia dum simul sunt, mutuo se adiuvant ad producendá speciem: alias enim quilibet non meliorem speciem produceret, quam separatus, & consequenter non magis videretur.

3053 Sed contra istam replicam est, quod nostri antecedentis primi probationes nec instantiam, nec experientiam habent contra se: ergo subsistunt. Antecedens probatur, respondendo ad vtramque & in primis ad instantiá responderi posset ex Spinula, quod est valde diversa ratio in specie expressa, atque in impressa, vnde in ea admitti possent, quæ nos in impressa recusamus; quia pluta, vrgente fundamento, admittuntur sępe, quæ illo non vrgente, absurde admitterentur. Quod autem diversa sit ratio, sic explicatur: species namque expressa non producitur à sola impressa, sed simul à potentia: cum ergo à potentia indivisibiliter producatur, ab specie etiam indivisibiliter producí debet; quia cum species concurrat cum potentia, vt inferior, & subordinata, debet eius modo producendi se accommodare, sicque indivisibiliter, sicut ipsa, speciem expressam producere: cum autem hæc ratio non militet in productione speciei impressæ ab obiecto facta, quæ in specie expressa, ob vrgens fundamentum, admittuntur, in impressa, si diceretur similiter produci, sine fundamento admitterentur. Etsi dicas, causa creata est Deo subordinata, & tamen cum ista divisibiliter petit effectum producere, potius Deus eius modo producendi se accommodat, quam subordinatam causam accommodet suo: ergo similiter, etsi species sit potentiæ subordinata, potius potentia eius modo producendi se accommodabit, quã illam suo accommodet. Negat consequentiam Spinula; quia, quod prima causa se accommodet modo operandi secundæ, operando, scilicet, actione divisibili, cum ipsa, actione divisibili, operatur, non provenit ex conceptu causæ subordinantis, vt cumque; sed ex munere causæ primæ, ad quam spectat (ó summa primę causæ benignitas!) se causis secundis accommodare.

Sed

3054 Sed veriſimilius adhuc reſpondeo ad inſtantiam, negãdo etiam, quod ſpecies expreſſa indiviſibiliter à partibus ſpeciei impreſſæ producatur; cur enim dicturi ſumus, quod ſpecies impreſſa manus, quæ tantum manum repræſentat, producat ſpeciem expreſſam repræſentantem non ſolum manum, ſed etiam caput? cum iuxta experiẽtiam ſit, quod & quodlibet obiectũ producat ſpeciem ſui repræſentativam, & quod quælibet ſpecies impreſſa producat expreſſam repręſentativam eius obiecti, quod ipſa, etſi minus pe fecte, & quaſi mortuo modo, repręſentabat. Nec obeſt, quod potentia indiviſibiliter ad ſpeciem expreſſam concurrat; quia ſtat bene, quod ſpecies expreſſa indiviſibiliter à potentia producatur, & diviſibiliter ab ſpecie impreſſa: tum, quia quælibet pars ſpeciei impreſſæ, ob rationes dictas, ſolum poteſt cum fundamento dici, quod habeat virtutem ad producendã expreſſam idem, ac ipſa, obiectum repræſentantem. Potentia autem aut non habet partes, aut, ſi eas habet, omnes ſine ea difficultate concurrere poſſunt ad producendam ſpeciem expreſſam cuiuſcumque obiecti repręſentativam. Tum etiam, quia incompatibile nõ eſt, quod duæ cauſæ indiviſibiliter eundem effectum producentes, hoc eſt ita, vt quælibet totum producat, ita tamen ſe habeant, vt vna indiviſibiliter illum producente, aut quia non habet partes, aut quia omnes æque ad quamvis effectus partem ſunt neceſſariæ; diviſibiliter altera illum producat; cum hoc oriri poſſit ex diverſitate cauſarũ, ſicut ex ea oritur, quod vna potentia viſiva plures, & diverſas ſpecies expreſſas producat, ſaltim diviſive, non tamẽ vna ſpecies impreſſa, ſed plures ſint ad tales diverſas expreſſas neceſſariæ.

3055 Eſt autem hic notandum, quod poteſt ſpecies expreſſa à potentia, & ſpecie produci indiviſibiliter; & tamẽ à partibus ſpeciei impreſſæ diviſibiliter produci, & à partibus potentiæ indiviſibiliter. Ratio eſt, quia produci ab vtraque indiviſibiliter, ſic eſt intelligẽdum, quod effectus totus ſit ab ſpecie, totuſque à potentia: quod verum eſt. Deinde quod diviſibiliter ab ſpecie producatur intelligendũ, quod non producitur tota ſpecies expreſſa à tota impreſſa, & tota à quavis parte; ſed tota à tota, & pars à parte, commoda diſtributione. Quod denique à potentia producatur indiviſibiliter eſt, quod tota potentia, & quævis etiam eius pars ad totam, & ad quamvis ſpeciei expreſſæ partem concurrat. Quæ omnia bene percepta intelligibilia, & compatibilia ſunt: credendumque eſt ita contingere, quia ſic melius experiẽtiæ, & naturæ tam ſpeciei, quam potentiæ videtur ſatisfieri.

3056 Ad experientiam autem contra rationes noſtras, & doctrinam, reſpondetur, rationem, cur acervus tritici à longe videatur non eſſe, quia grana illius mutuo ſe adiuvent

vent in productione speciei ita, vt vnus granus speciem alterius partialiter producat, sed ratio est, quia, si vnus solus granus esset, eius species ad potentiam perveniret ita remissa, vt ab ea non perciperetur; cũ tamen sunt plures vnusquisque suam speciẽ mittit, cumque omnes pergant per lineam rectam versus oculos, sunt prope illos species omniũ granorũ, qui sunt in anteriori parte acervi tritici, in multo minori spacio, quã prope triticum, vnde necessariũ est, quod plures illarum sint penetratæ, & componant quandam quasi intẽsionem, quæ, etsi, propter distantiã, non repræsentet singulos tritici granos, repræsentat tamen omnes confusæ, vt apparet acervus. Consulto dixi componere *vnam quasi intensionẽ*, quia illa non est propria intẽsio; vt enim talis esset debebant omnes illæ partes speciei penetratæ repræsentare eandem obiecti partem, tuncque secundum maiorem, vel minorem intensionem illam, pars illa clarius, aut confusius videretur.

3057 Etsi dicas iterum impossibile esse, quod quodlibet indivisibile coloris, v.g. producat suã speciei partem. ergo potius dicendum ab alijs partibus adiuvari. Respondeo forsan fore naturaliter impossibile, quod species vnius indivisibilis, si alijs speciei partibus cõiuncta non esset, posset potentiam immutare; tamen, quod speciem ipsum repræsentantem producat, nec impossibile, nec incredibile est, sed credibilius, quam oppositum; cum enim ex dictis constet, quod quælibet notabilis pars suam partem speciei producat, & non alterius, idem etiam de indivisibilibus est dicendũ; tamen, sicut in obiecto non reperitur indivisibile separatum, nec designabile, sic nec pars seu indivisibile speciei in specie ab alijs separatur, minusque potest discerni.

3058 Hic disputant non pauci de existẽtia, & possibilitate speciei impressæ ad claram Dei visionẽ eliciendam. Istę tamen quęstiones, omnibus consentientibus ad tractatum de visione Dei spectant. In quo cõmunior sententia circa primam tenet contra paucos quosdam, inter quos sunt Vazquez, & Alarcon, de facto Deum non videri, nec naturaliter posse, media specie impressa, sed ipsum immediate cum potentia concurrere ad sui visionem claram eliciendam. Quæ sententia etiã est conformior nostro modo philosophandi circa species. Circa aliã tamen quæstionem maior est inter Theologos dissensio, & pro qualibet parte magna copia Doctorum est. Quamvis autem secunda quæstio hic tractari posset eo, quod iuvet ad naturã speciei impressæ magis penetrandam, id ego omitto; cõsultius iudicans res philosophicas in præsenti absolvere, quam ad theologicas transire.

(?)

DIS-

DISPVTATIO TERTIA.

De Potentijs spiritualibus animæ rationalis.



OQVIMVR In præsenti de spiritualibus potentijs animæ rationalis, pluraque de illis sumus in hac disputatione tractaturi. Hæ tamen potentiæ communiter tres esse dicuntur, intellectus, scilicet, memoria, & voluntas. Adverto tamen, quod, cum omnes hominis potentiæ cum ipsius anima sint identificatæ, omnes veræ spirituales sunt, dicuntur tamen reliquæ, præter tres istas, materiales denominatione ab earum actibus, & organis desumpta; quia tamen hæ tres non solum spirituales sunt, sed etiam actus spirituales eliciunt, organoque materiali non indigent, ideo præ alijs spirituales vocantur. Vnde & colliges quod longior, difficilior, vtiliorque, præteritis, hæc futura sit disputatio: longior quidem quia harum potentiarum actus, earumque virtus plurium difficultatum materiam sub ministrant: difficilior, quia, cum harum actus spirituales sint magis subterfugiunt nostrum captum, præsertim dum materię huic terrestri animas immersas habemus: vtilior denique sine dubio hæc disputatio erit, quia tam ad morales, quam ad Scholasticas Theologiæ materias doctrinas valde necessarias præmittit.

QVÆSTIO PRIMA.

De intellectu agente, & memoria.

3060 COMMVNIVS In præsenti Doctores intellectū dividunt in agentem & passibilem, sive possibilem: communior etiam eius divisionis explicatio tenet, intellectum agentem esse illum, qui pro munere habet species producere impressas intellectuales; possibilem vero, qui eas patitur, & recipit, & hac ratione dicitur passibilis, qui tamen, ipsis in se receptis, simul cum illis elicit, & recipit intellectionem. Dicunt communiter, Thomistæ præsertim, quod intellectus agens præter productionem specierum, habet alia duo munera, alterum reddere obiectum intelligibile; alterum vero illustrare phantasmata. Vtrumque istud munus varie explicatur, videtur tamen verisimilius, nihil vtrumque addere ad speciei productionem; quia per ipsam obiectum po-

potest dici reddi intelligibile, & simul etiã illustrari phantasma, quatenus ad producendam partialiter speciem intellectualem ab ipso intellectu elevatur. Aliqua ergo circa hunc intellectum agentem sunt breviter in præsenti percurrenda.

3061 Primo igitur, iuxta principia nostra præcedenti disputatione iacta, asserendum est intellectum agentem ex suppositione, quod detur in sensu explicato, non distingui realiter à possibili. Constat hoc, quia potentiæ omnes iuxta à nobis dicta identificantur cum anima: ergo & inter se, & consequenter, cum vterque intellectus sit animæ rationalis potentia, vterque est dicendus identificatus. Etsi forte inquiras, an ex suppositione, quod potentiæ distinguerentur ab anima, vt volunt Thomistæ, distingui deberent intellectus agens, & possibilis inter se. Respondeo ea suppositione facta dubiam mihi esse resolutionem; quia vtriusque intellectus munera, sine dubio, sunt valde diversa, vnde ad duas potentias spectare optime dici posset. Deinde pro contraria parte tales intellectus nõ distingui suadet, quod munus intellectus agentis sit subordinatum muneri intellectus possibilis, illique deserviat: vnde non multum erit, quod ab eadem potentia sit; quamvis enim primæ dispositiones ad formam aliquam artificialem diversæ valde sint, & diversimode conficiãtur, quam vltima dispositio, & introductio formæ artificialis, tamen solent ad eandem artem pertinere propter similem subordinationem. Nec refert quod eis non posset vnũ obiectum assignari, quia, quam male ab obiectis vnitas potentiarum desumatur, vidimus iam *disputatione præcedenti quæstione* 3. cum ergo supposita distinctione potentiarum ab anima, tam difficilis, & perplexa sit huius difficultatis resolutio, melius nobis erit illam suppositionem non admittere.

3062 Difficultas ergo maior est, an admittendus sit intellectus agens in sensu dicto, videlicet talis, qui pro munere præcipuo habeat species producere. Et dico esse difficultatẽ in eo sensu, quia in alijs non ita difficulter potest admitti; si enim dicamus intellectum agentem esse eum, qui intellectionem efficit, & passibilem, qui recipit illam, negari difficile poterit, quod detur agens intellectus; in sensu ergo dicto specialem continet difficultatẽ. Igitur suppositio adhuc, quod in intellectu, ad primo percipienda obiecta, dentur species intellectuales à phantasmatibus distinctę tenent alij, qui non dari intellectum agentem, qui sit specialis animæ potentia, sed munus intellectus agentis ab ipso Deo præstari. Ista sentit Hurtado, & apud Linceum Alexander. Alij vero apud eundem Linceum tenent species produci nec ab aliqua potentia animæ, nec à Deo specialiter, sed ab intelligentia, seu substantia separata. Alij deinde existimant (antiquorum alijs omissis opi-

opinionibus) vere dari intellectum agentem in anima productivum specierum: horum tamen aliqui dicunt, ipsum solum species adæquate producere, phantasmate obiecti solum extrinsece determinante ipsum, non tamen partialiter effective concurrere; alij vero censent non solum intellectum agentem ad productionem speciei effective concurrere, sed etiã phantasma ipsum ab ipso intellectu elevatum.

3063 Primam, & secundam sententiam deserunt communiter, & impugnant Recentiores: quia tam Deus, quam substantia illa separata, quæ sine fundamento confingitur, sunt causæ vniversales, ad quas recurri non debet, dum particularis causa effectus potest assignari; cumque productionis speciei causa possit assignari intellectus, qui sit quædam animæ potentia; cũ hic effectus non excedat alios, ad quos in intellectu virtus conceditur: dicendum potius ab eo species produci, quàm à Deo, aut intelligentia separata. Sententiam Hurtadi vide latius impugnatam in Oviedo, nostra enim non interest amplius illam impugnare.

3064 Duæ vltimæ sententiæ, seu potius vna dupliciter explicata communes sunt satis, ac probabiles. Diximus tamen nos ad quævis obiecta primo intelligenda species impressas non esse necessarias, sed aliqua intelligi immediate se ipsis, alia medio phantasmate, tanquam specie; vnde nec ad eas producendas intellectus agens erit necessarius. Diximus deinde ad actus memorativos intellectus necessarias esse species, non quæ sint immediate species obiectorum, sed actuum intellectus, qui præterierunt, & quæ immediate repræsentent actus, & mediate eorum obiecta: ad has autem species producendas necessarius etiam non est intellectus agens; quia harum aptior causa sunt ipsi actus præteriti; quia non est cur illi virtutem non haberent, dum existebant, ad eas producendas; cum alia obiecta facile eam virtutẽ habere credantur: & aptius est, quod illi actus speciebus proportionati eas producant, quam intellectus, cũ in alijs potentijs semper potius productio specierum obiectis, dum potest, quam potentiæ ipsi tribuatur.

3065 Ex dictis colliges, iuxta principia nostra circa species, admittendum non esse intellectum agentem, quia cessat eius indigentia, si in communi sensu divisio intellectus accipiatur. Si vero communiora principia circa species supponamus, easque dari in intellectu spirituales à phantasmatibus distinctas, ille admittendus erit, & dicendum quod in earum productione à phantasmate adiuvetur, ita vt istud partialiter concurrat effective (quamvis oppositum non improbabiliter dicatur) nec enim ad hoc, vt phantasma concurrat, obstat, quod sit materiale, quia elevatur ab intellectu spirituali, in qua elevatione commu-

munius ponitur phantasmatis illustratio, qui etiam elevandi modus non consistit in hoc, quod intellectus aliquid phantasmati imprimat, sed in eo, quod cum illo concurrat, supplendo quidquid ei deest, ad hoc, vt possit totaliter producere speciē spiritualem. Nec potest in eo concursu partiali, & valde debili rei materialis in spiritualem, aliquod inconveniens reperiri: nec iuxta nostra principia id ipsum vitari potest, quia licet iuxta ea non concurrat phantasma ad productionem speciei impressæ spiritualis simul cum agente intellectu, tamen concurrit cum intellectu possibili, sive etiam agente in alio sensu à communi, ad productionem intellectionis, sive speciei expressę non minus spiritualis. Inquiri præterea in præsenti poterat, an supposito concursu phãtasmatis in speciem, dici debeat causa principalis speciei; an solum instrumentalis. Sed ex dictis *d. sputatione secunda physic. quæst.* 11 circa conceptum causæ instrumentalis, facile infertur, quod iuxta principia nostra dici debeat principalis partialis, iuxta aliorum vero principia dici possit instrumentalis.

3066 Memoriam intellectivam dari tenet communis sententia contra Avicenam negantem in intellectu virtutē ad species cõservandas, quod est vnum ex memoriæ muneribus. Ipsum tamen species conservare tenendum est, quia cum res spiritualis minus variabilis sit, quam materialis; melius intelligitur, quod intellectus, qui spiritualis est, conserver species, quas semel acquisivit, quam sensus internus, qui materialis est. Hoc autem melius in nostra sententia intelligitur; iuxta eam enim intellectus recordatur præteritorum per species à suis actibus relictas: sed species ab actibus intellectus relictæ; vtpote spirituales, in intellectu sunt, & nõ possunt in sensu sic esse; cum ei ad nihil deservire possint: ergo intellectus proculdubio habet species conservare, ac proinde hoc munus memoriæ proprium in intellectu reperitur. Fatentur tamen Doctores, etiam illi, qui potentias inter se, & ab anima distingunt, memoriam intellectivam ab intellectu non distingui, quod vrgentius nos fateri tenemur.

3067 Quamvis autem in intellectu fateantur Doctores communiter vim specierum conservativam, non desunt adhuc, qui illi memoriæ rationem denegent cũ proprietate; dicunt enim multi Thomistæ intellectum non posse cognoscere præterita, & cum hoc ad memoriam strictam requiratur, inferunt inde in intellectu non dari memoriam stricte dictam: quod autem præterita non cognoscat intellectus probant: quia iuxta ipsos intellectus non cognoscit singularia: ergo cum sola singularia sint præterita; vniversalia enim, cum æterna sint, numquam præterita dici possunt, hinc est, quod intellectus præterita non cognoscat. Sed in primis,

an

an intellectus singularia possit directe cognoscere in sequentibus visuri sumus; deinde singularia intellectus cognoscit iuxta adversarios, saltim in directe: ergo absolute cognoscit ea, & consequenter, cum ea cognoscat etiam postquam præterita sunt, iam cognoscit præterita: cumque non solum ea præterita cognoscere possit, sed etiam reduplicative vt præterita, quia cognoscere potest tempus durationis illorum, non solum dicenda est memoria intellectiva tam rigorose, & proprie talis, quam sensitiva, sed adhuc cum maiori perfectione, & rigore.

3068 Noto tamen quod, vt actus cognitionis dicatur memoriæ actus, non sufficit quod feratur in obiectum prius cognitum, sed necessum est, quod ita in illud feratur, quod præterita cognitio conducat ad memorativam cognitionẽ, si enim non conducat, quid refert huic, quod ea præcesserit? modus autem, quo præterita cognitio conducit, est, quod cognitio memorativa fit per speciem à prima illa cognitione relictam. Vnde colliges resolutionem quæstionis inquirentis, an ad memoriam requiratur cognitio non solum obiecti prius cogniti, sed etiam cognitionis præteritæ. Respondent enim alij affirmative, negative alij. Nos vero dicimus, quod, si species intellectuales sint admittendæ iuxta sententiam communiorem, videlicet, ita, vt ad primam intellectionem rei sint necessariæ, & ipsæ in intellectu conserventur ad actus memorativos, bene poterit dari memorativa cognitio, quæ obiectum præteritum cognoscat sine eo quod cognoscat cognitionem præteritam: ratio est, quia iuxta eam sententiam in intellectu datur distincta species obiecti præteriti, & cognitionis illius: ergo potest species obiecti relicta excitari, non excitata specie cognitionis: facile tamen dicere quis poteri; eam cognitionem non esse proprie memorativam. Iuxta nostram tamen sententiam de speciebus intellectualibus semper, ac datur cognitio memorativa obiecti prius cogniti, necessum est dari cognitionem cognitionis præteritæ, Rario est, quia species relicta ex priori cognitione, quę ad secundam concurrere debet, vt sit memoriæ actus, est species ab ipsa cognitione relicta, quæ immediate repræsentat illam, & mediate illius obiectum: ergo non potest deservire ad cognoscendum obiectum, quin etiam ad cognoscendam præteritam cognitionem deserviat. Confirmari potest ista doctrina; quia si quis heri habuit cognitionem de Antichristo venturo, & ex virtute illius cognitionis hodie idem cognoscit, hic est actus memoriæ: ergo est actus cognoscitivus præteriti: sed obiectũ cognitionis præteritæ non est præteritum: ergo cognitio memorativa non illud tantum respicit, sed etiam cognitionem, quæ solum præterita est; cum Antichristus, qui est eius obiectum, non præteritus, sed fu-

futurus sit: cognitio ergo memorativa non solum respicit obiectum cognitionis præteritæ, sed etiam ipsam præteritam cognitionem.

3069 Sed dices: sæpe quis recordatur obiecti, & non cognitionis præteritæ, vt patet in arguente, vel explicante, qui illa, quæ explicat, memoratur, non tamen recordatur cognitionum, quibus ea cognovit: ergo non semper actus memoriæ est cognoscitivus præteritæ cognitionis. Respondetur sæpe contingere quod quis inter disputandū, aut arguendum aliqua repetat, quæ prius cognoverat, non tamē per species prioris cognitionis, sed similiter, ac si illas de novo cognosceret; ille tamen actus memorativus non est, vt dicebamus in initio numeri præcedentis. Sæpe tamen arguens, & explicans ad ea, quæ profert, cognoscēda iuvatur cognitionibus præteritis, quamvis primo aspectu videatur quod non; quia obiecta cognoscit clare, cognitiones vero, valde confuse: sed huius ratio non est, quod possit recordari obiectorum, & non cognitionis, sed quod dum vtriusque recordatur, obiectum clare cognoscit, cognitionem vero valde confuse; quamvis enim species immediatius cognitionem repræsentet, quam eius obiectum, eam tamen cognoscit intellectus obscurius, & cum maiori confusione eo, quod in hac mortalitate semper cō fusius valde obiecta non sensata per sensus cognoscat, quam quę per illos sensata fuere; vnde etiam clarius cognoscit colorem, quam phantasma coloris; quia illum oculis sensavit, istud vero, nec oculis, nec alio externo sensu, & forsan nec interno.

QVÆSTIO II.

De intellectu possibili, & eius obiecto.

3070 CONSVLTO De intellectu agente, & memoria quęstionem instituī præcedentem, vt ad agendum iam de intellectu possibili, & voluntate, libera nobis, & integra tota hæc maneret disputatio. Intellectum ergo agentem in communiori sensu diximus esse specierum ipsarum productivum: vnde intellectum possibilem relinquitur esse & specierum receptivum, & intellectionis elicitivum, ac receptivum. Ergo cum munus intellectus agentis explicaverimus, & viderimus etiam, quam dubia sit eius necessitas; modo, illo relicto, quidquid in hac disputatione agemus, de intellectu possibili accipienda sunt, de eo, scilicet, qui & elicit, & recipit intellectiones, ita vt iam solo nomine intellectus iste in tota disputatione veniat, quin particulam *possibilis* necessum sit vlterius multiplicare. Hunc ergo intellectum primo in hac disputatione explicabo, in hac quæstione illum definiendo, & ei obiectum assignando, in sequentibus vero varios eius actus percurrēdo, ex quorum examine melius intellectus natura percipietur.

Pri-

3071 Primò ergo intellectus *est virtus cognoscitiua spiritualis*. Clara est definitio. Eius obiectum est ens in tota sua latitudine, ita vt non solum comprehendat entia realia, sed etiam rationis; non solum positiva, sed etiam negativa. Quod tantam latitudinem habeat obiectum intellectus constat experientia ipsa; nec enim poteris negare, quod aliquod ens sive fictum, sive reale; sive positivum, sive negativum sit obiectum intellectus, quin illud ipsum ens de quo id negas, sub tuo intellectu cadat: vnde in ipsa negatione falso te id negare convinceris.

3072 Sed dices non posse nobis constare, quod omne ens sit nostri intellectus obiectum; quia tantum experientiam possumus habere de entibus, quæ cognoscimus, de quibus certum est, quod cadunt sub specificativo nostri intellectus: quis autem nobis dixit, quod entia, quę cognoscimus, sint omnia possibilia, & quod aliqua non dentur, quę sub obiectum nostri intellectus non cadant; quod enim non possimus ea cogitare, est; quia non cadunt sub obiectum nostri intellectus: vnde verum esse potest, quod de nullo ente possimus vere negare, quod contineatur in obiecto intellectus nostri, & tamen, quod sit aliquod, quod in eo non contineatur, quia de illo nihil possumus affirmare, vel negare: vnde ad probandum omne ens contineri sub obiecto nostri intellectus, non sufficit, quod, quocumque ente assignato à nobis, illud contineatur, sed requiritur etiam, quod ea, quæ possunt à nobis assignari, sint omnia entia, & quod præter illa nullum ens detur: quod non potest probari; quia si dicas inexcogitabile esse aliud, occurri potest inde non inferri, quod non detur, quia esse à nobis inexcogitabile, potest prouenire, non solum ex eo, quod non detur, sed etiam ex eo, quod non cadat sub specificativo obiecto nostri intellectus: vnde ergo probas, quod ex primo capite proueniat, & non potius ex secundo?

3073 Respondetur tamen primo, quod, dato, quod daretur aliquod ens, quod non caderet sub obiecto nostri intellectus, verum est, quod nō possemus de illo id negare, ac proinde, quod modo de nullo id negare cum veritate possimus, non vere infert omne ens sub nostri intellectus obiecto cadere. Sed adhuc nostra conclusio salvari potest primo: quia, dato, quod daretur ens ita inattingibile à nostro intellectu, vt nihil posset de illo affirmare, vel negare, saltim illud esset ens, ac proinde contineretur sub ratione communi entis; consequenterque saltim in communi esse nostri intellectus obiectum. Secundo salvari potest nostra conclusio adhuc, si loquatur de omni ente, non solum in communi, sed etiam in particulari, quia tantum potest intendi

loqui de omni ente à nobis cogitabili; quia, cum dico omne ens esse obiectum nostri intellectus, id dico esse obiectum, quod te intellecturum spero per has voces: *omne ens*: sed certus sum, quod tu intelliges tantum entia cogitabilia à nostro intellectu: ergo de ijs loquor, & consequenter, sive detur, sive non aliud ens, quod sub cogitatione nostra non possit cadere, vera erit nostra conclusio.

3074 Tertio salvari potest nostra conclusio; quia possumus optime coniectari, quod nullum detur, nec possibile sit ens à nobis in excogitabile: ergo quamvis solum ens à nobis cogitabile comprehendat nostra conclusio, omnia entia absolute comprehendit. Antecedens probari poterat primo; quia vt aliqui volunt, repugnat intellectus cognoscitivus aliquorum entium, & non omnium; sed non vtor hac ratione; quia non video cur talis intellectus cognoscitivus aliquorum entium, & non omnium repugnet. Aliter ergo antecedens probo: quia sub intellectu nostro cadit, vt obiectum, Deus, & entia non solum negativa, sed etiam chimærica: ergo omnia. Si hæc consequentia sit bona, saltim coniecturaliter, habemus coniecturam in antecedenti affirmatam: eam autem bonam esse, saltim bene coniecturatam, videtur verisimile satis; si enim noster intellectus pervenit ex vna parte ad cogitandum ens summè omnino perfectum, & ex alia ad cogitandum entia summe imperfecta, innumeraque, quæ medium tenent interdicta extrema, cur aliquod ens poterit ab eius obiecto excipi? Videtur quidem satis probabiliter inferri, quod nullum vlla ratione sit excipiendum.

3075 Hic distingunt communiter Doctores inter obiectum adæquatum intellectus nostri, & obiectum illius pro hoc statu proportionatum: obiectum adæquatum est illud, de quo hucusque mentionem fecimus, obiectum vero proportionatum est quidditas rei materialis, quia in hoc statu intellectus noster clare, & per proprias species ab eis derivatas, solum res materiales cognoscit: res autem spirituales tantum per species à rebus materialibus desumptas. Nec obstat, quod actus intellectus, & voluntatis cognoscat, iuxta à nobis dicta, immediate; illos enim cognoscit satis confuse, & ita vt satis appareat illud non esse obiectum proportionatum, pro hoc statu, quamvis aliquo modo attingatur propter intimam cum potentia coniunctionem.

3076 Cum specificativum intellectus humani sit omne ens, idem erit intellectus humani, atque Angelici obiectum specificativum: vnde sumit in præsenti occasionem quæstio quædam inquirens. Vtrum intellectus humanus, & Angelicus eiusdem sint speciei.

Cui

Cui quæstioni communis responsio est affirmativa; satis tamen communis est negativa. Prado tamen medium excogitavit dicens esse diversæ speciei dictos intellectus, vt proprietates sunt; non tamen diversę, sed vnius, vt sunt potentię. Ante resolutionem tamen nota, id ipsum, quod de intellectu humano, & Angelico inquiritur, inquiri posse de potentia visiva humana, & equina, & eandem responsionem applicari. Nunc ergo pro responsione.

3077 Dico primo in intelligibile est, quod intellectus humanus, & Angelicus differant specie, vt sunt proprietates, & sint speciei vnius, vt sunt potentiæ. Probatur conclusio: quia intellectus humanus, & Angelicus, vt sunt potentiæ, sunt proprietates: ergo aut vtroque modo differunt specie, aut vtroque modo conveniunt. Antecedens probatur; quia intellectus Angelicus, & humanus, vt sunt intellectus, sive virtutes, aut potentiæ intellectivæ, sunt accidentia: sed non accidentia communia: ergo propria: ergo sunt proprietates; quia nihil aliud esse potest proprietas, quam accidens essentiæ proprium.

3078 Dico secundo, verosimilius est, quod intellectus Angelicus, & humanus specie distinguantur, non tamen omnino certum. Prima conclusionis pars probatur; quia probabilius est, quod non distinguatur intellectus hominis ab eius anima, & Angelicus intellectus ab eius essentia: sed anima hominis, & essentia Angeli sunt diversæ speciei: ergo etiam intellectus cum illis identificati. Deinde adhuc admisso, quod intellectus ab anima distinguatur: intellectus humanus, & Angelicus proluuntur ab essentijs diversę speciei: ergo sunt diversi in specie. Probatur consequentia: quia proprius, & rigorosius specificat potentiam causa productiva illius, quam obiectum; cum illa sit specificativum extrinsecum proprium; obiectum vero specificativum extrinsecum improprium. Vnde colliges nihil obstare, quod intellectus Angelicus, & humanus idem habeant obiectum, quia hoc tantum probat, quod ex obiectis non capiant diversitatem specificam, non tamen, quod illam non capiant aliunde: sicut, quod idem sit terminus alicuius actionis: tollit, quod actio à termino diversificari queat, non tamen efficit, quod non possit ab agente, aut passo diversitatem sumere. Secunda deinde conclusionis pars probatur, quia quamvis essentia hominis, & Angeli sint speciei diversæ, non constat, quod virtutem non habeat vtraque ad effectum eiusdem speciei; cum enim intellectus non sit effectus vnivocus vnius, nec alterius, nulla ratione convinci potest, quod eadem species intellectus æquivo-

ce contenta in essentia animæ non possint similiter in essentia Angeli contineri: vnde nec omnino constare potest, quod intellectus ab essentia Angeli dimanans, sit diversæ speciei ab eo, qui dimanat ab animæ rationalis essentia, quod intelligitur, supposita distinctione intellectus ab anima, & ab essentia Angeli.

QVÆSTIO TERTIA.

Quodnam sit primum cognitum à nostro intellectu?

3079 VALDE Late tractant aliqui 1. *lib. Physicorum* ad eius initium de materia huius quæstionis, contendendo multum, an vniversaliora, an vero minus vniversalia sint notiora, tum natura sua, tum nobis: ex cuius resolutione procedunt ad resolvendum, quodnam sit primum cognitum à nostro intellectu, pro hoc statu. Vt ergo de his omnibus ea, quæ in præsenti expediunt, tradam, noto primo notiora, secundum se, sive natura sua, dici entia illa, quæ perfectiora sunt: ratio est, quia, quo magis habet aliquod ens de perfectione, eo magis habet de entitate, & veritate; cumque ens, sive verum, sit obiectum intellectus, eo magis habebit de cognoscibilitate, consequenterque natura sua, sive secundum se, ea entia notiora erunt, quæ fuerint perfectiora; notiora autem nobis dicuntur illa entia, quæ facilius à nobis cognoscuntur, quamvis imperfectiora sint. Igitur ante resolutionem quæstionis in titulo prefixæ oportet declarare, quænam entia sint notiora secundum se, & quænam nobis. Pro cuius declaratione noto secundo, cognitionem aliam esse confusam, qua cognoscitur totum, non cognitis distincte eius partibus; aliam claram, & distinctam, qua cognoscitur totum, eius partes distincte cognoscendo: cum autem inveniantur tota actualia, & tota potentialia, vtriusque cognitio clara, & confusa potest dari. Hoc supposito.

3080 Dico primo: si prædicata vniversaliora, & minus vniversalia, vt tota actualia considerentur, vniversaliora sunt natura sua minus nota, quam minus vniversalia; si vero considerentur vt tota potentialia, vniversaliora sunt natura sua notiora, quã minus vniversalia. Prima conclusionis pars probatur: quia prædicata minus vniversalia, si, vt tota actualia, considerentur, continent prædicata magis vniversalia, & præterea differentiam contractivam illorum: ergo continent amplius perfectionis, & consequenter sunt natura sua notiora. Secunda pars probatur etiã: quia cum partes totius potentialis sint inferiora & omnia inferiora prædicati minus vniversalis, sint inferiora prædicati vni-

vers-

verſalioris, & illud inſuperplura alia inferiora habeat, erit perfectius, vt totum potentiale, conſideratum, conſequenterque notius natura ſua. Hic tamen adverto, quod idem, quod dicimus in concluſione de prædicato minus vniverſali reſpectu magis vniverſalis, eſt etiam intelligendum de prædicato ſingulari comparative ad vniverſale ob rationis paritatem.

3081 Dico ſecundo: ſi prædicata vniverſaliora, & minus vniverſalia conſiderentur, vt tota actualia, vniverſaliora ſunt nobis notiora; ſi vero, vt tota potentialia, notiora nobis ſunt minus vniverſalia. Prima concluſionis pars probatur: quia vniverſaliora prædicata, vt tota actualia, ſunt imperfectiora, & non habent tot partes, quæ cognoſcantur: ergo facilius à nobis cognoſcuntur; facilius enim nobis eſt cognoſcere *viuens ſenſibile*, quam *viuens ſenſibile, & rationale*; cum hoc ſecundum contineat illud, & amplius aliquid. Secunda pars etiã probatur ſimili proportione, quia prædicata minus vniverſalia non habent tot inferiora, quot habent magis vniverſalia, conſequenterque facilius cognoſcuntur, cum ad vniverſaliora cognoſcenda, vt ſunt tota potentialia, neceſſarium ſit cognoſcere inferiora minus vniverſalis, & inſuper multa alia, quæ inferiora ſunt vniverſalioris. In vtraque autem huius concluſionis parte loquimur de cognitione clara.

3082 Nunc ergo punctus queſtionis ſtat in eo; an vniverſaliora ſint nobis notiora cognitione confuſa actuali, quam minus vniverſalia; ſi enim vniverſaliora ſint cognitione confuſa nobis notiora, prædicatũ vniverſalius erit primum cognitum noſtri intellectus; ſi vero ſint notiora minus vniverſalia, prædicatum minus vniverſale erit primum cognitum illius. Et, vt quæſtionis reſolutio in ipſis etiam terminis titulo correſpondeat, illam de primo cognito reſolvam, quamvis idem eſſet in re, ſi eam de notiori nobis, aut minus noto reſolverem. Igitur circa quæſtionem hanc communis ſententia Thomiſtarum, pro qua etiam refertur D. Thomas, & Ariſtoteles, & quam ſequuntur etiam alij innumeri, tenet *ens* eſſe primum cognitum à noſtro intellectu pro hoc ſtatu. Secunda ſententia, quam tenet aliqui Ieſuitæ, docet, & minus vniverſalia eſſe nobis notiora, & primum cognitum noſtri intellectus eſſe non ſolum minus vniverſale, ſed ſingulare. Tertia ſententia Scoti, & Diſcipulorum eius tenet ſpeciem ſpecialiſsimam eſſe primũ cognitum noſtri intellectus; ſpeciem autem ſpecialiſsimam vocat ſpeciem infimam.

3083 Dico ergo tertio cum D. Thoma, & communiori ſententia primum cognitum à noſtro intellectu pro hoc ſtatu eſſe vniverſalem rationem entis materialis, ſub qua omnia alia, quæ in obiecto reperiũtur, cognoſcuntur confuſe. Ratio D. Thomæ eſt, quia cum intellectus

noſter procedat de potentia ad actũ, vtpote, qui de ſe eſt pura potentia, & tanquam tabula raſa, prius debet procedere ad actum imperfectum, quam ad perfectum: ſed actus magis imperfectus, & confuſſus, quem intellectus poteſt habere eſt ille, quo cognoſcit rationem entis materialis cum tunc tantum concipiat in re concepta prædicatum, in quo conuenit cum omnibus obiectis contẽtis intra obiectum proportionatum intellectus, ac proinde â nullo eorum eam rem diſcernat: ergo actus primus intellectus noſtri pro hoc ſtatu eſt circa rationem vniverſalem entis materialis, nonque circa rationem aliam ſpecificam, aut genericam minus vniverſalem, proindeque ens materiale, & non ſpecies ſpecialiſsima, aut ſingulare, eſt primum cognitum intellectus noſtri.

3084 Sed dices: omnis noſtra cognitio, pro hoc ſtatu, ortum habet à ſenſu: ſed ſenſus tantum cognoſcit ſingularia: ergo intellectus primo cognoſcit ſingularia, deindeque aſcendit ad vniverſalia cognoſcenda Si dicas quod, dum viſus imperfecte videt aliquod obiectum, ſolet intellectus percipere ibi eſſe aliquod ens, non tamen quodnam ens ſit, & hoc forſan etiam contingere poteſt ex imperfectione intellectus ante primam cognitionem, & ſi viſus bene obiectum percipiat, contra inſurgunt Ieſuitæ: quando, ob imperfectionem viſus, aut etiam intellectus, nõ poteſt determinare, quod nam obiectum ſit illud, tantum cõtingit, quod non percipiatur, an ſit res alba, aut nigra, an homo, aut brutum, aut ſimiles aliæ differentiæ; non tamen, quod non cognoſcat, quod ſit ens determinatum: vnde ibi, & ſi non percipiatur individua ratio hominis, aut animalis, tamen percipitur individua, & ſingularis ratio entis, & non ratio entis vniverſalis, & communis; hanc enim potius abſtrahit intellectus poſtquã plura ſingularia cognovit.

3085 Reſpondetur ad hanc obiectionem bene in ea reſponſum eſſe, & ad replicam, quæ contra reſponſionem facta eſt, reſpondetur verum eſſe, quod in prima cognitione dum cognoſcitur ratio entis materalis, ſub qua reliqua prædicata confunduntur, non concipiatur ibi ratio entis vniverſalis, ſed determinata, & ſingularis, & ſolum dicitur concipi ratio vniverſalis entis, quia tantum concipitur ens, non conceptis differentijs *viuentis, animalis, rationalis, albi, nigri*, alijs ve ſimilibus: non tamen, quia ratio entis concipiatur abſtracta, & vniverſalis; potius enim concipitur *hoc ens* contractum, & ſingulare. Et ſi dicas hoc iam eſſe ſequi ſententiam Ieſuitarum: vel ſaltim in eo concedendo ipſi non habebunt multum difficultatis: fatebor ſine multa difficultate in hoc plures conſenſuros; etſi iterum dicas: ergo iam recedimus à ſententia Philoſophi D. Thomæ, & reliquorum Thomiſtarum, quam ſequi profitemur. Reſpondeo negando hanc conſequentiam;

tiam: quia Divus Thomas, Philoſophus, & Caietanus, quidquid de aliis Thomiſtis ſit, modo dicto à nobis in hoc numero optime poſſunt explicari: & quo magis per hunc modum oppoſitæ ſententiæ conciliantur, eo credibilior efficitur; propterea que hunc modum explicandi, D. Thomam, apud me cogitavi, dum autem illum cogitaſſem meę cogitationi non multum fidens timebam, ne mentem Divi Thomæ ſiniſtre interpretarem: timorem tamen à me omnino abegit, quod eã interpretationem in Divum Thomam, Philoſophum, ac Caietanum cadere docet expreſſisime, & late Magiſter Ioannes à Santo Thoma, *lib. 1 phiſic. quæſt. 1 art. 3.* qui eam explicationem concludit, & ſimul replicam, quæ contra nos, & ipſum fieri poſſet, ſolvit his verbis: ***Dicitur tamen incipere intellectus ab vniverſaliori, quia incipit ab eo prædicato, quod maiori vniverſalitati ſubſterni aptum eſt.***

3086 Hinc colliges deſtructionem fundamenti ſententiæ Scotiſtarum; iſti enim iudicantes primum cognitum intellectus noſtri eſſe rationem vniverſalem dicunt debere eſſe ſpeciem ſpecialiſsimam, quia iſta eſt facilioris abſtractionis. Iuxta dicta enim numero præcedenti, negandum eſt ſuppoſitum, quod ſcilicet, primum cognitum debeat eſſe ratio aliqua vniverſalis formaliter, & abſtracta; ſed ſolum ratio vniverſaliſsima, non quia vniverſalis formaliter, ſed quia valde confuſa, ideoque apta vt maiori vniverſalitati ſubſternatur.

3087 Sed dices: nullum ſingulare eſt directe à noſtro intellectu cognoſcibile, ſed per reflexionem ad phantaſmata: ergo nullum ſingulare etiam valde cõfuſum poteſt eſſe primum cognitum intellectus noſtri. Fateor antecedentis doctrinam valde eſſe inter Thomiſtas tibicinatam; dicunt enim intellectum agentem denudare ſpecies à materia, & à conditionibus individuantibus, ſicque poſſe rem abintellectu cognoſci; aliter nequaquam poſſe. Vnde ſingularia, vt talia, dicunt cognoſci abintellectu non poſſe, niſi tantum per reflexionem ad phantaſmata; ex phantaſmate namque abſtrahit intellectus ſpeciem quidditatis ibi relinquendo materiam, & conditiones individuantes; poſt abſtractam vero illam ſpeciem immaterialem à phantaſmate, terminum illum, à quo eam abſtraxit, quod eſt phantaſma, poteſt intellectus reſpicere, ibique videre conditiones individuantes, à quibus abſtraxit ſpeciem: ſicque cognoſcit ſingularitatem per eam reflexionem. Vnde recte inferũt ſingularia non eſſe directe, vt talia, cognoſcibilia, ſed ſolũ reflexe, hoc eſt per actum illum reflexum, quo reſpicitur phantaſma, vt terminus à quo abſtractionis ſpeciei immaterialis; tunc enim videtur in illo, quod ibi relictum eſt, ibi autem relicta eſt materialitas, & conditiones individuantes.

3088 Claritate, qua potui, do-

ctrinam Thomistarũ explicavi. Sed adhuc, vt ego eam intelligam, vellẽ magis mihi ab eis declarari, & ab eis inquiro, an materialitas, & cõditiones individuantes, quæ in phãtesmate relinquuntur, sint obiectum intellectus, & ab eo attingibilia, an non? si attingibilia sunt, cur non possunt per cognitionem primam, & directam, ab intellectu attingi? Curque in phantasmare relinquuntur incognita, vsque dum iterum intellectus ad phantasma redeat, sive reflectat? nullam ego rationem cogitare possum. Si dicant inattingibilia esse, quia materialia, inquiro aliter: quomodo ergo per actum reflexum attinguntur? nunquid actus ille reflexus non est actus intellectus & spiritualis? ergo non est magis proportionatus cum re materiali, nec magis illam potest in phantasmate cognoscere, quam primus, & directus: aut ergo dicendum singulare, vt tale, etiam directe posse ab intellectu attingi, aut dicendum nec indirecte & reflexe posse.

3089 Dices memoratam doctrinam esse doctrinam D. Thomæ: sed instio ego, vt mihi eam explicẽt Thomistæ, quia Divi Thomæ eam esse dicunt; si enim dicerent suam esse, & non D. Thomæ, eius declarationem non optarem, sed vt falsam reijcerem; quia autem eam D. Thomæ esse dicunt explicationem posco; credere enim non possum, quod doctrina tam obscura, sit doctrina D. Thomæ. Si dicant eam esse D. Thomę expressam: ego dico D. Thomam, dum à suis hæc doctrina magis non explicatur, aut à me amplius nõ percipitur, in alio sensu intelligendum esse, & dicendum, quod, dum dicit Sanctus Doctor necessariam esse nostro intellectui cõversionem ad phantasmata, ad cognoscendum singulare, intelligendus est, quod loquatur de reflexione cõmuni, quæ etiã necessaria est ad cognoscendum vniversale, & quæ non dicitur reflexio, quia sit secundus intellectus actus, quo iterum redit ad phantasma; sed, quia intellectus non cognoscit res in se ipsis, sed in phantasmate, aut immediate; aut mediate, scilicet, in impressa specie, quam ad ipsum inspiciendo producit, aut ab ipso adiuvatus.

3090 Et si instes D. Thomam adhuc clarius loqui; tum quia specialiter ad cognitionẽ singularium petit reflexionem ad phantasmata, & quod intellectus ad illa se convertat? tum quia ait singulare non esse directe cognoscibile. Respondetur D. Thomam adhuc intelligentiam habere rectam, quia singularia difficile valde cognoscuntur à nobis, quia conditiones individuantes sunt valde abditæ: vnde ad eas cognoscendas iterum, atque iterum intellectus rem respicere debet, & phantasma considerare: hoc autem intelligitur ad singularitatem penetrandam, imò & adhuc omnino eam penetrare raro valebit: non ergo mirum, quod sæpe intellectus ad eam cognoscẽdam, ad phantasma convertatur, & quod singulare vocetur incognoscibile di-

re-

recte: hoc autem non est quia quælibet individualis conditio sit intellectui improportionata, aut directe ab eo incognoscibilis; sed quia tot differentijs, & conditionibus individuantibus constituitur singulare in ratione talis, vt omnino omnes penetrari non possint vnico intuitu, imo & pluribus vix, aut raro à nobis penetrari possunt.

3091 Sed adhuc instant Thomistę dicendo obiectum intellectus esse quidditatem: non ergo directe potest cognosci singularitas, quę extra quidditatem est. Antecedens præterquamquod iudicatur esse doctrina D. Thomæ, etiam constat, quia intelligere idem est, ac intus legere: ergo quia intellectus nõ versatur circa exteriora accidentia, sed interiora, quidditatemque ipsam contemplatur. Sed in primis dicī poterat intellectum differre à sensu, non quia intellectus solum quidditatem attingat, & sensus exteriora accidentia, sed quia sensus exteriora tantum accidentia intuetur; intellectus vero ea, & insuper interiora, hoc enim sufficit, vt dicatur intus legens. Secundo dici potest, quod, quamvis dicamus intellectum tantum posse attingere quidditates rerum, non inde infertur, quod conditiones individuantes non attingat: nunquid, inquiro, conditiones individuantes, sive sint accidentia, sive substantia, sive interiora, sive exteriora, non habēt suas quidditates? profecto eas habent: ergo poterunt ab intellectu attingi, quantumvis iste solas quidditates attingat. Tertio denique respondeo, quo simul fit satis replicæ, quæ contra secundam responsionem fieri posset, quod quamvis intellectus solum quidditatem attingeret, & essentiam rei cuiusque, posset singularitatem attingere, & accidentia omnia individuantia, sive conditiones individuantes, quia ista omnia, & si non sint de essentia specifica rei, sunt tamen de essentia individuali, ipsius quia tamen in scientijs cõmuniter nõ cõsiderantur essentiæ individuales, quia indoctrinales sunt, tales conditiones accidentales, & non de essentia dicuntur, vtpote, cum sermo sit de essentia specifica, quę solum doctrinalis est: non potest autem dici, quod sola essentia doctrinalis, & specifica sit intellectus obiectum; tum quia huius nulla ratio potest exhiberi: tum quia aliàs singularis essentia non solum non esset directe, sed etiam nec indirecte cognoscibilis, vt *num.* 3088. perpendebam.

3092 Ex dictis colliges, quod, cum dicitur intellectus denudare speciem à conditionibus materialibus, seu à materialitate (suppono modo intellectum agentem producere species intellectuales) non est id intelligendum ita, vt species impressa intellectualis non possit repræsentare singularitatem, materialitatem, & conditiones omnes individuantes, quantumcumque materiales sint, sed quia ipsa species in se spiritualis est, vt intellectui sit pro-

proportionata; sic enim cum veritate spiritualis efficitur, & immaterialis redditur, atque à materialitate phantasmatis segregatur, quin ad hoc vlterius sit necessum, quod non repræsentet id omne, quod in phantasmate ipso repræsentabatur.

3093 Sed inquires quæ sit ratio, quod intellectus ad intelligendum indigeat conversione ad phantasmata. Vidimus iam, quod ea conversione intellectus indigeat nõ solum ad singularia cognoscenda, sed etiam ad vniversalia, quamvis ad singularia magis, non quia eo modo, quo requirunt Thomistæ, sit specialiter ad ea cognoscenda necessaria, sed quia ad ea cognoscenda maiori attentione opus est. Nunc ergo rationem eius conversionis, seu cur ea sit necessaria, quærimus. Respondetur rationem præcipuam communius omnes convincentem esse experientiam, qua nos nihil materiale cognoscere intellectu experimur, quin prius ingrediens per externos sensus fuerit cognitum ab interno, & si quæ etiam spiritualia cognoscimus, aut alia quævis à sensu inattingibilia, aliquam rem simul nos experimur imaginari, ad cuius instar illam rem concipimus. Difficultas tamen est quænam sit à priori ratio eius connexionis inter intellectum, & phantasiam, quam experimur: & cur non possimus rem aliquam intellectus concipere, quin eandem, aut similem in phantasia teneamus.

3094 Respondent ergo aliqui rationem esse, quia, cum anima rationalis sit corporis forma, non potest exercere operationes spirituales, quin etiam simul corporeas eliciat. Sed reijcitur ista ratio, quia æqualiter probat alias operationes animam debere elicere, dum intelligit, ac internam sensationem; cum tamen istam specialiter requiri experientia testetur; cum bene intelligamus, cessante visione, auditione, ambulatione, alijsque materialibus operationibus; non tamen cessante interna sensatione, ad eoque læsso organo sensus interni, non solum ipse defectum patitur, sed cum simili proportione intellectũ defectũ pati sentimus: ergo cũ specialiter ea operatio materialis sit requisita, pro ea specialis ratio debet assignari.

3095 Respondet deinde Scotus rationem esse, quia intellectus est phantasiç alligatus in pœnam peccati originalis. Communiter reijcitur ista responsio, seu ratio dependentiæ: primo quia Philosophus non agnovit peccatũ originale, & tamẽ cognovit hanc naturalem depẽdentiam. Secundo, quia in statu innocentiæ, & in pura natura esset conversio ad phantasmata; & tamen non esset originale peccatum. Sed non video his rationibus, quas adducit Prado, quomodo ratio Scoti impugnetur; ad primam enim facilis est responsio, quod Philosophus. Experiebatur dependentiam, & alligationem intellectus ad phantasma: cum tamen peccatum originale, ac proinde eius dependentiç causam ig-

ignoraret, quærebat rationem naturalem exiſtimans naturalem eſſe illam dependentiam. Ad ſecundum facile poteſt reſpõderi, quod in ſtatu innocentiæ, & puræ naturæ non daretur converſio iſta ad phantaſmata; oppoſitũ enim nõ probatur à Prado: quamvis autem non videatur ſufficiens fundamentum rationẽ Scoticam deſerendi, illam non amplector, quia etiam non video fundamentum ſufficiens illam amplexandi.

3096 Reſpondeo ergo rationem cur intellectus in hoc ſtatu indigeat converſione ad phantaſmata eſſe, quia aliquo phantaſmate ſemper vtitur, aut ſpecie impreſſa; ex eo enim, quod ſit in materia, non poteſt percipere res ſecũdum ſe intellectas, ſed ſolum res ſenſatas: ratio vero eſt, quia, cum intellectus de ſe non habeat ſpecies, dum eſt in materia, providet illi Deus de ſpeciebus cum dependentia à materia, quia congruit ſuavitati divinæ providentię, quod, dum eſt in materia anima, & ab illa dependet in ſenſationibus eliciendis, mediate etiam dependeat in intellectionum elicientia, quia, videlicet, cum ſpecies ad intelligendum poſsit eis ſenſationibus adquirere, medijs illis diſponit Deus, vt in hac vita intelligat; ſuavius enim ſic ſe Deus gerit, cum ſenſationes, quæ ſunt in eadem hominis natura, deſerviunt ad intellectiones eliciendas, quam ſi aliter ipſi animæ de ſpeciebus provideret. Hanc doctrinam mihi videtur expreſſiſſe Divum Thomam libro de memoria, & reminiſcentia, dum dicit, quod [operatio proportionatur virtuti, & eſſentiæ: intellectivum autem hominis eſt in ſenſitivo, ſicut dicitur in ſecundo de anima, & ideo propria operatio eius eſt intelligere intelligibilia in phãtaſmatibus, ſicut intellectus ſubſtantiæ ſeparatæ operatio eſt intelligere res ſecundum ſe intellectas.]

3097 Ex dictis numero præcedenti colliges rationem à priori, cur intellectus noſtri pro hoc ſtatu, obiectum ſit ens materiale, prout dicebamus *quæſt. 2. num.* 3075. Ratio enim eſt, quia nullas poteſt adquirere ſpecies intellectus, niſi medijs ſenſationibus: cumque iſtæ non poſsint attingere res alias, niſi materiales, fit inde, quod ſolum per proprias ſpecies res materiales intellectus percipere poſsit, ac proinde, quod ſolum ipſæ ſint obiectum proportionatum, pro hoc ſtatu.

3098 Sed dices ad actus memorativos, intellectus non vtitur phantaſmate, vt ſpecie: ergo in illis non poteſt eſſe vera dicta ratio dependentiæ. Antecedens probabis: quia iuxta noſtram doctrinam, intellectus actus, ſui in ipſo intellectu relinquit ſpeciem quæ cum ipſum repræſentet, mediate etiam repræſentat obiectum, quod ipſe repræſentabat. Reſpondeo tamen quod actus intellectus, & ſi per ſenſus non ingrediantur, dicuntur à nobis cognoſci ſine diſtincta ſpecie, dum exiſtunt, & media ſpecie ab ipſis

ipsis relicta, dum non existunt; quia propter in imam cum anima coniunctionem, quandam de illis experientiam non potest ipsa non habere; tamen cum spirituales adhuc sint, nec, dum sunt, se ipsis solis, nec dum præterierunt, sola sui specie, cognosci perfecte possunt, sed indigent adiutorio specierum alienarum, quæ propriæ sint rerum materialium, quod satis experientia constat: hoc autem sufficit, vt tam ipsi actus, quam eorum obiecta cognoscantur cum dependentia à phantasia, illas species aut de novo producente, aut in se excitante. Etsi instes melius multo fore omnino negare quod actus intellectus se ipsis cognosci possint, aut etiam medijs speciebus à se relictis; cum dicamus iam eam solam non sufficere. Respondeo, quia non semel doctrina ista est à nobis tradita, negando id fore melius, quia est omnino cõtra experientiam; si enim aliquæ species in intellectu non darentur, quæ suos actus, & si cum multa cõfusione, & eorum etiam obiecta repræsentarent, non posset intellectus de vna cognitione in aliam discurrere nisi prius phantasia de vna sensatione in aliam migraret, quod tamen concedere non cogit experientia, quæ præcipue dependentiam intellectus à phantasia suadet, sed illi fit satis, si plerumque cognitiones intellectus antecedat phantasiæ operatio, & si quãdo non præcedit, subsequatur necessario, quod contingit, & si posita vna cognitione intellectus, in aliam migret sine antecedentia operationis phantasiæ; quia illa est nimis confusa, vsque dum phantasiæ sensationibus adiuuetur.

3099 Hic adhuc adverte quod materiam hanc noviter latissime illustrat P. Izquierdo *disp. 1. q. 3. & disp. 2. quæst. etiam 3. sui phari scientiarum*, in quibus resolvit phantasma requiri ad intellectionẽ, intellectusque conversionẽ ad phãtasmata necessariam esse, quia nihil intellectus potest pro hoc statu intelligere, nisi in phantasmate, quasi in quodam obiecti substituto. Hanc autem doctrinam, quæ ad nostram bene inspecta manuducit, non amplector; quia ignoro quid sit obiecta omnia intelligere in phantasmate, tanquã in substituto obiecti; aut enim phantasma loco speciei substituitur, seu est substitutum ad modum, quo species, vt nos defendimus, & sic non: quia iuxta ipsum à phantasmate, & simul ab intellectu producuntur species spirituales: hocque verum etiam esse debet, etsi obiectum sit spirituale, & per proprias species incognoscibile; tunc enim etiam species spiritualis producitur ab intellectu, adiuto tamen, non vno phantasmate, sed plurium phantasmatum combinatione: ergo ista species sufficiens erit obiecti substitutum. Si autem alio modo, quam vt species, cogitet phantasma esse obiecti substitutum, ego illud non intelligo; quia posita specie obiecti vicaria, & substituta, necessitas

tas alterius substituti non appa-
ret, præsertim cum illud substitu-
tum tale dicatur, ob repræsentatio-
nem, quam habet, obiecti, & non
possit habere illius aptiorem re-
præsentationem, quam species: non
ergo bene doctrina ista percipitur.

QVÆSTIO IV.

In quo formaliter consistat intellectio.

3100 QVIA Prolixior, om-
nibus huius tracta-
tus, hæc quæstio est,
tum propter rei difficultatem, tum
propter sententiarum varietatem,
brevitati ab illius initio consulen-
do dico resolutorie. Intellectio cō-
sistit simul in actione intellectus, &
in qualitate obiecti repræsentativa,
per eam producta. Hanc sententiam
tenet Oviedus, & Spinula, & pro
eadem referri solet Ripalda, alijque
Societatis Recentiores. Eandem sen-
tentiam in re tuentur Thomistæ, qui
intellectionem constituunt in actio-
ne, quæ non solum sit actio, sed
etiam qualitas, quæ qualitas profe-
cto non est alia, quam ea, in qua
etiam, & actione nos ponimus in-
tellectionem. Præter hanc tamen
qualitatem ipsi Thomistæ ponere
solent aliam secundario ab actione
intellectiva productam, quæ non
pertineat ad intellectionis constitu-
tivum, & hanc dicunt esse verbum:
sed de hac qualitate superaddenda
alia erit nobis quæstio cum ipsis.
Præterea aliqui Thomistæ dicunt
intellectionem consistere in actio-
ne sine termino, & quamvis in re
idem dicant, quod alij, qui ponunt,
actionem & præterea qualitatem,
quæ sit eius terminus, indistinctus
tamen ab actione; ramen ille mo-
dus loquendi male solet audire. Sed
mihi non adeò absonat, quia certum
est, quod, dum dicunt intellectio-
nem esse actionem sine termino, in-
telligunt de termino distincto, &
nequaquam negant terminum ab
ipsa indistinctum: re ergo bene inspecta nostra conclusio est communis Thomistarum.

3101 Probatur autem conclu-
sio primo: quia intellectio est exer-
citium vitale intellectus obiecti re-
præsentativum, quo medio intelle-
ctus fit ipsa res intellecta: sed omne
hoc reperitur in aggregato posito
actionis, & qualitatis repræsenta-
tivæ: ergo in eo aggregato essentia
intellectionis salvatur. Maior vi-
detur constans, cum enim intelle-
ctus sit potentia intellectiva, profe-
cto intellectio, quæ est eius actus,
erit exercitium talis potentiæ, cum-
que intellectus sit absque dubio
potentia vitalis, eius, vt talis exer-
citium non potest non esse vitale;
quod sit obiecti repræsentativum
tale exercitium, aut talis actus po-
tentiæ intellectivæ, simulque, quod
medio illo potentia fiat ipsum ob-
iectum intentionaliter est commu-
nis locutio, & doctrina communi-
ter recepta: constatque; quia per
intellectionem percipit intelligens
ob-

obiectum, quam perceptionem non aliter experimur fieri, quam per repræsentationem vivam obiecti, quã sibi facit intellectus. Maiori ergo potius explicata, quam probata, modo probatur minor: & in primis cum aggregatum à nobis assignatum includat actionem intellectus, iam erit vitale exercitium; quia nihil maiori cum proprietate est exercitium alicuius, quam eius actio, nec minus clare vitalitatem habebit; cum nulla actio proprius vitalitatis essentiam participare possit, quam actio potentiæ vitalis, vt talis, qualis est actio intellectus: deinde vero, cum illud aggregatum includat qualitatem repræsentativam obiecti, habebit profecto esse obiecti repræsentativum, ad quod sequitur, quod informando potentiam eam faciat esse obiectum ipsum repræsentative, & intentionaliter.

3102 Secundo probatur conclusio nostra: quia nihil potest assignari, in quo verisimilius essentia intellectionis consistat, quam in coniuncto, sive aggregato ex actione intellectus, & qualitate per eam productã: ergo in illo consistere aggregato intellectionem sentiendum est. Antecedens probatur discurrendo per plures partes, quas confuse involuit, tot videlicet, quot excogitatæ sunt sententiæ distinctæ à nostra de intellectionis essentia. In primis ergo intellectio non potest consistere in intellectu ipso, & obiecto, vt volunt Durandus, Ioannes de Ripa, Henricus, & alij apud Lynceum *in metaphysica libro 7. tract. 3. cap. 1.* quod probatur ratione, qua Divus Thomas probat intellectionem à solo intellectu distingui; ait enim, quod intellectus potest existere sine intellectione: ergo ab ea realiter distinguitur: simili ergo modo argumentor: intellectus, & obiectum existere possunt, quin intellectus obiectum cognoscat, sive intelligat: ergo intellectio distinguitur à coniuncto, sive aggregato ex intellectu, & obiecto: consequentia est optima, sicut consequentia Divi Thomæ: antecedens vero non minus constat: quia modo existit meus intellectus, & plura etiam obiecta Romæ, & alibi gentium, quorum intellectio in me non datur. Secundo etiam idipsum suadeo; quia eodem modo communiter philosophantur Doctores de intellectione, ac de visione, & alio quocumque actu potentiæ cognoscitivæ cuiusque; sed visio non consistit in potentia visiva, & obiecto: ergo neque intellectio. Minor probatur: quia si visio consisteret in potentia visiva, & obiecto, obiectum potentiæ visivæ videri posset in quacumque distantia: sed hoc est contra experientiam: ergo non consistit visio inconiuncto potentiæ visivæ & obiecti. Minor constat, & sequela maioris nõ est minus clara cum distantia quævis non possit tollere quominus detur potentiæ, & obiecti coexistentia. Alijs probationibus parco, & hanc

hanc non amplius protendo, quia & sententia memorata est incredibilis, & latius omnia in Lynceo videri possunt.

3103 Secundo, præterea intellectio non consistit in impressa specie in intellectu recepta, & ab eo nequaquam producta, vt vclebat Gotfredus relatus à Connimbricensibus apud Lynceum *in præsent. cap. 3. num. 29.* quod enim ea species in intellectu recepta non constituat illum intelligentem constat ex à nobis dictis *num. 3036.* Tertio præterea intellectio consistere nequit in qualitate intellectui intrinseca, & simul in obiecto; quamvis enim id defendant aliqui Recentiores à Lynceo suppressis relati nominibus, eos tamen optime Lynceus impugnat *citato cap. 3.* & quidem eorum sententiam falsam esse constat, quia omnes concipimus intellectionem adæquate intra intellectum esse, & obiectum solum conducere ad veritatem eius constituendam, aut falsitatem, quin cum vllo fundamento aliud dici possit; ex oppositio enim modo philosophandi sequitur hanc propositionem, Petrus currit, diversam esse si currat Petrus, ac si non currat, quod incredibile est prorsus. Hoc sufficit ad extrahendum obiectum à ratione constitutiva intellectionis: quatenus autem eo recluso non in sola qualitate intellectio consistat, inferius videbimus contra aliam sententiam communem magis, magisque probabilem.

3104 Quarto, præterea intellectio non consistit in actione intellectus, quæ nullum habeat terminum distinctum, aut indistinctum; in primis enim, quamvis pro ea sententia citari soleant plures Thomistæ forsan nullus eam intendit, sed potius, si recte explicentur, nostræ conclusioni favent. Deinde quidquid sit an aliquis eam sententiam teneat, impugnetur: quia repugnat fieri, & produci sine eo, quod aliquid fiat, & producatur: illud autem est, & dicitur terminus: cum ergo actio sit fieri quoddam, & produci, repugnat sine facto, & producto distincto, aut indistincto saltim, ac proinde sine termino.

3105 Quinto præterea dici nequit intellectionem consistere in actione, passione, & termino, qui sit qualitas, sive verbum per eam productum. Quamvis enim hæc sententia, quam tenet Hurtado, & etiam apud Lynceum *num. 60.* Arrubal, & Suarez, vera sit, & amplexenda, quatenus intellectionem constituit in actione, & verbo, quod vtique iuxta ipsorum mentem est qualitas repræsentativa à nobis assignata; tamen reijcienda est, quatenus insuper passionem requirit; quia omne id, quod requiritur ad intellectionem salvatur, intellecta actione, & qualitate producta per illam, quamvis passio non intelligatur, ipsaque qualitas simul cum actione per vnionem præcisse suum effectum formalem intelligitur communicare; ergo quamvis pas-

passio semper actionem in intellectione inclusim committetur, & cum ea sit identificata, tamen non spectat ad conceptum formalem, & essentiam intellectionis; sed ista in actione, & qualitate salvatur. Aliter etiam Hurtadum impugnat Oviedus *num.* 17. Sed forte ea impugnatione nos uti non posse ex inferius dicendis constabit: quamvis ego iudicem eam bene vindicari posse ab inconsequentiæ vitio, quod ei tribuit quidam ex nostris R.

3106 Sexto, præterea dici nequit, quod intellectio consistat in actione, ita vt, quamvis ei non negetur terminus, tota tamen intellectionis essentia in sola actione salvetur. Quod antequam probem, adverto diversimode hanc sententiam à suis Doctoribus defendi; Thomistæ namque non pauci, quávis in intellectione simul reperiant rationem actionis, & qualitatis, eam actionem vocant, & de qualitate in ea reperta, cum ea ve identificata mentionem non faciunt; quia cum ipsi inveniant aliam qualitatem distinctam, quam vocant *verbum*, illam primam pure actionem dicunt ad istius differentiam: vnde solum differunt à nostra sententia in modo se explicandi. An vero etiam differant in illa addenda qualitate ab intellectione omnino distincta, quæ *verbum* dicatur, alibi videbimus. Deinde vero alij dicere possunt (nescio tamen an vllus dicat præter Peñafiel, quem ita sentire existimo) quod intellectio consistat in actione, quæ pure actio sit, & nullo modo qualitas repræsentativa, quamvis qualitatem repræsentativam pro termino habeat. Denique Lynceus eandem sententiam tuetur, existimans tamen actionem intellectivam, quæ pure actio sit, veram & propriam intellectionem esse, antequam vllus eius terminus intelligatur; ait tamen insuper non solum eam actionem intellectionem esse, sed etiam ipsius terminum, ita vt duplicem realiter distinctam intellectionem ponat, alteram in actione adæquate consistentem, alteram adæquate consistentem in termino eius. Hoc prænotato.

3107 Probatur modo, quod intellectio nulla consistat adæquate in actione intellectus, vt distincta ab omni qualitate repræsentativa; quia intellectio essentialiter est obiecti repræsentativa, illudque essentialiter debet repræsentare; sed actio intellectiva, si consideretur, prout ab omni qualitate repræsentativa distincta, nihil repræsentat, sed tantum est productio eius, quod repræsentat obiectum: ergo non potest dici obiecti repræsentativa: sicut actio pingendi non est vllo modo prototypi repræsentativa, sed solum productiva imaginis, quæ prototypi sit repræsentativa.

3108 Septimo, præterea intellectio non consistit in qualitate sola ab actione distincta intellectus producta, eique secundum ali-

aliquos per se ipsam vnita, secundum alios vero ei vnita per vnionem distinctam. Hanc enim sententiam, & si communis sit inter Iesuitas Recentiores, eamque sequantur Izquierdo, Carleton, Echalaz, Arriaga, Zuñiga, alijque innumeri ex eiusdem familiæ Recentioribus, & inter eos Lynceus, & si cum differentia *num.* 3106. memorata, falsam esse probatur; quia intellectio non est, vtcumque obiecti repræsentatio, & similitudo, sed repræsentatio vitalis: sed qualitas repræsentativa, secluſa actione, & si repręsentatio sit, non tamen est vitalis: ergo in qualitate repræsentativa ab actione distincta non consistit adæquate intellectio.

3109 Respondebis primo, ex Izquierdo, Carletone, & alijs, qualitatem repræsentativam esse vitalem intentionaliter, quamvis non physice; ad vitam namque intentionalem non requiritur quod sit ab intrinseco, sed sufficit, quod sit intellectio, aut volitio: quamvis ista intentionalis vita cum vita physica sit naturaliter connexa, quia qualitas illa, in qua consistit intellectio, naturaliter perit ab eo intellectu, in quo est, produci. Sed contra sic argumentor, ratio vitæ intentionalis ita debet explicari, vt ijs, quibus ea ratio vitæ convenit, nec tollatur, nec tolli possit ratio vitæ physicæ: ergo si intellectio, & volitio ponantur in aliquo, cui non conveniat vitalitas physica, ponentur in aliquo, quod neque intentionaliter sit vitale: consequenterque si intellectio, & volitio ponantur in qualitate, quæ non sit vitalis vitalitate physica, ponantur necesse est in qualitate, quæ nec intentionaliter sit vitalis: ergo si intellectio in qualitate adæquate consistat, nullo modo erit vitalis. Omnia in vtraque consequentia posita legitime videntur inferri. Antecedens probatur primo: quia species tam impressa, quam expressa, quamvis dicatur qualitas intentionalis, & sit, non potest, apud eum bene penetrantes, ita qualitas intentionalis esse, quod simul qualitas physica non sit: quod & optime tradit citatus Carleton *in præsenti sect.* 3. *num.* 5. *&* 6. & constat quia nullum prædicatum qualitatis physicæ eis deesse potest eo ipso, quod sint intentionales qualitates: ergo similiter, quod intellectio vitalis sit intentionaliter, ita contingere debet, vt nunquam vitalis intentionaliter possit esse, quin simul vitalis physice sit.

3110 Secundo probatur idem antecedens: quia, si vita intentionalis non esset ita explicanda, vt ijs, quibus convenit, tolli non possit ratio vitæ physicæ, maxime, quia vita intentionalis non est solum vita physica per determinatam differentiam contracta, & quasi modificata; sed est diversum vitæ genus distinctum adæquate ab omni vita physica; sed falsum est, quod vita intentionalis non sit vita ipsa

physica determinata ad particularem differentiam, quæ ob specialem aliquem modum intentionalis dicatur, & quod sit genus vitæ adæquate à vita physica diversum; ergo explicanda est vita intentionalis, ita vt ijs, quibus ea competit, tolli non possit ratio vitæ physicæ. Maior huius sillogismi videtur esse ex adversariorum mente desumpta: consequentia est optima, & probatur minor; & cum in ea prima; & secunda pars sint connexæ, probata secunda, manet etiam probata prima. Secunda ergo probatur; quia in primis, iuxta doctrinam illam, ratio vitæ omnibus viventibus, sive vitalibus non conveniret vnivoce, cum illa vita intentionalis æquivoce solum posset cum vita physica convenire: quamvis autem ex contrarijs nostris sequelam admittant Lynceus, & Arriaga, cæteri communiter negant. Et si forsan dicant, ipsos tunc loqui de ratione vniversalissima vitæ physicæ; si tamen loquerentur de ea, quæ à physica, & intentionali abstrahit, eos locuturos cum Arriaga & Lynceo, quidquid de hoc sit.

3111 Aliter prædictam minoris partem probo: quia non sunt multiplicanda genera entium sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi aliud genus vitæ, quod sit distinctum adæquate à genere vitæ physicæ: ergo non est ponendum genus vitæ intentionalis à genere vitæ physicæ adæquatè distinctum. Minor in qua sola est difficultas satis clare constat; tum quia potentiæ intentionales, & qualitates intentionales non sunt in alio genere potentiæ, aut qualitatis adæquate distincto à genere potentiæ, aut qualitatis physicæ: ergo similiter de actibus & eorum vitalitate sentiendum est. Tum etiam, quia ad eam vitam intentionalem diversi generis ab omni vita physica ponendam solum habent pro fundamento, quod sic melius eorum sententia salvatur: sed hoc potius debebat esse fundamentum ad eam deferendam; cum in nostra optimè salvetur vitalitas, & omnia alia, quæ ad intellectionem requirantur; ergo sine fundamento sufficienti tale vitæ genus additur, nullumque ad illud addendum manuducit.

3112 Secundo respondebis dictam qualitatem vitalem esse, quia est terminus actionis vitalis: contra tamen est primo; quia illa qualitas, cum producatur per actionem distinctam, potest de potentia absoluta produci à Deo solo: tunc autem non erit vitalis adhuc vitalitate termini: ergo illi qualitati non convenit vitalitas vlla essentialiter: sed intellectio vitalis debet esse, non vtcumque, sed essentialiter; hoc enim est vnum ex essentialibus prædicatis intellectionis: ergo qualitas illa habere non potest vitalitatem ad intellectionem requisitam: contra etiam secundo: quia vitalitas ad intellectionem requisita, non est quæcumque

què vitalitas, sed vitalitas per modum tendentiæ, attentionis, & conatus in obiectum: sed iste vitalitatis modus non potest vllatenus in sola qualitate reperiri: ergo quantumcumque qualitati aliqua concedatur vitalitas, non tamen reperitur, quæ ad salvandam intellectionis essentiam requiritur.

3113 Concludo iam antecedentis secundæ nostrę probationis probationem, breviter resumendo dicta: intellectio non consistit in sola qualitate ab actione distincta intellectus producta; nec in actione sola, & præcisa, sive habente terminum, sive illum non habente: nec consistit in aggregato includente præter actionem, & qualitatem, passionem istius: nec in aggregato ex qualitate, & obiecto; nec in specie impressa in intellectu recepta: nec denique in aggregato ex intellectu ipso, & obiecto: ergo nihil potest assignari, in quo verisimilius intellectio consistat, quam in aggregato ex qualitate representativa, & actione productiva illius. Antecedens est fusse & per partes in superioribus probatum. Consequentia apud omnes constare debet: quia nihil verisimilius distinctum à nostro aggregato assignari potest, in quo intellectio consistat, quam ea, quæ in antecedenti memorantur: ergo si in nullo eorum consistit, verisimilius est nihil posse excogitari, in quo verisimilius consistat, quam in nostro aggregato ex qualitate representativa obiecti, & actione.

Adverte hic ante quam ad argumenta transeamus, quod eundem philosophandi modum tenent communiter Doctores circa omnes alias cognitiones sive externas, sive internas, ac circa intellectiones, similem etiam circa volitionem, proportione servata. Hoc notato.

Soluuntur argumenta.

3114 Contra nostram resolutionem obijcies primo: intellectio consistit adæquate in sola qualitate obiecti representativa: ergo non in coniuncto ex qualitate & actione. Antecedens probatur multipliciter: primo, quia intellectio nullo modo melius explicatur, quam dicendo, quod sit perceptio quædam, sive apprehensio obiecti, qua intellectus veluti capit obiectum, illud apprehendit, & ad se trahit, & quasi sibi præsentat: sed omnia ista optime quadrant soli qualitati representativæ: ergo in sola ista salvatur intellectionis essentia. Minor probatur, & declaratur; quia per eam entitatem obiectum apprehenditur, percipitur, & intellectui representatur, quæ illud formaliter representat, tanquam imago ipsius: sed sola species expressa, sive qualitas representativa obiectum representat, vt imago illius: ergo per solam illam intellectus apprehendit, percipit, ac sibi representat obiectum. Secundo quia in cognitione divina, qua Deus obiectum aliquod cognoscit, nulla includitur

actio: ergo neque in creata. Probatur consequentia: quia eo ipso, quod cognitio Divina non includat actionem, non est de conceptu intellectionis, vt sic, actio: ergo nec de conceptu intellectionis creatæ; cum solum hæc addat prædicatum creaturæ, de cuius conceptu intrinseco non est actio.

3115 Tertio probatur: quia depingens non repræsentat prototypon per actionem pingendi, sed per imaginē per talem actionem depictam: ergo similiter intellectus. Quarto: quia voluntas per amorem, quo obiectum amat, propendet, sive fertur in illud: ergo amor consistit in qualitate, quæ pōdus, sive impulsus dicitur; per hanc enim voluntas fertur, & propendet in obiectum: ergo similiter est in intellectu cum proportione sentiendum. Quinto; quia intelligendi actio producit speciem expressam: ergo potius in illam tendit, quam in obiectum; sed intellectus per intellectionem in obiectum tendit: ergo intellectio non in actione, sed in specie consistit expressa. Sexto, intellectio ab intellectu intenditur propter se: sed nulla actio propter se intenditur ab agente, sed propter terminum: ergo intellectio non est actio. Septimo. Albedo non consistit in actione qualitatis productiva, sed in qualitate, quæ sit terminus talis actionis: ergo similiter intellectio. Octavo denique: qualitas obiecti repræsentativa secluſa actione reddit potentiam similem intentionaliter obiecto: ergo reddit illam cognoscentem: ergo est cognitio, sive intellectio.

3116 Respondetur ad hoc argumentum negando antecedens; ad cuius probationes ex Izquierdo, Carletone, & Lynceo desumptas, omissis alijs etiam, quia aut ex dictis, aut dicendis facile solvi possunt, suo ordine respondeo. Ad primam ergo respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego maiorem; quia hoc, quod est intellectum obiectum apprehendere, percipere, sibique repræsentare, non solum dicit imaginem obiecti repræsentativam, sed etiam actionem illius productivam; ipsæ enim voces id conclamant, ideoque primi syllogismi maiorem concessi quod si apprehendere, percipere, sibique repræsentare ita violente accipiatur, quod non hunc sensum faciat, negabo primi syllogismi maiorem, quia solum est vera in sensu à me explicato, & quem voces ipsæ præseferunt. Ad secundam respondeo primo per instantiam: intellectio Divina non est qualitas: ergo neque creata, pari modo vrgeri potest huius instantiæ consequentia; ac consequentia argumenti vrgetur ab Izquierdo. Secundo absolute respondeo negando consequentiam: ad cuius probationem etiam nego consequentiam; quia quamvis nec actio sit de conceptu intellectionis, nec de conceptu creaturæ potest esse de conceptu intellectionis creatæ; sicut posse intelligere in

intellectione distincta, nec est de conceptu intellectus, vt sic, nec de conceptu creaturæ, alias esset de conceptu lapidis: & tamen est de conceptu intellectus creati.

3117 Tertio denique respondeo ad secundam hanc probationem (relicta alia solutione aliquorum existimantium intellectionem Divinam actionem esse, de quo in materia de Trinitate) intellectionem Divinam, etiam absolutam, & tribus Personis, communem, esse actionem æquivalenter, quia eodem modo est illa intellectio in Deo à se, ac si illam immanenter ageret. Hanc appono responsionem, non quia mihi necessaria, nec quia magis placeat, quam præcedentes, sed vt ostendam quantum mihi displiceant obiectiones, quas facit Lynceus, contra illam. Objcit primo. Quod Filius Divinus, & Spiritus Sanctus intelligunt, & tamen non habent intellectionem suam à se, sed à Patre. Ait autem responderi posse, quod ea intellectio Filij possit dici à se respectu entellectus essentialis Filij. Sed contra insurgit: si intelligere omne est agere, & producere Verbum, sicut Filius medio intellectu essentiali dicitur intelligere, dicetur etiã producere Verbum, quod est absurdum. Sed contra istam obiectionem insurgo: primo namque aliter ipsi satis fieri posset satis consone ad ea, quæ asserit ipse Lynceus paulo inferius num. 51 dicendo Filium intelligere à se, quatenus, & si intelligat per intellectionem à Patre Æterno communicatam, habet tamen cum ipso Patre mediatam identitatem. Deinde si tribuatur eius replicæ solutio, quam ipse tribuit necessarium non erit, quod, quamvis Filius vere intelligere dicatur, ideo Verbum producere dicendus sit; debuisset enim animadvertere Lynceus, quod iuxta Societatis Doctores Verbum, quod à quavis cognitione producitur, non correspondet Verbo Divino; sed potius ipsi increatis negant qualitatẽ, quæ Verbum dicatur ab intellectione distinctum, & solum Verbum dicunt ipsam intellectionem: vnde cognitio Filij, vt sit similis cognitioni creatæ, non debet producere Verbum; quia Verbum in Divinis dicitur aliquid ab intellectione distinctum, quod non pertinet ad rationẽ cognitionis cuiusque; sed solũ ad Paternam, vt ipsius terminus.

3118 Rursus objcit idem Lynceus. Contra tertiam nostram solutionem ad initium numeri præcedentis positam, quod Deus habet intellectionem à se negative & nõ positive, quod est improprie illam habere à se. Contra hanc tamen est, quod dato, quod intellectionem habere à se negative sit improprie illã à se habere, tamen hoc ipsum est illam habere proprie ab intrinseco, quod sufficit, vt ibi detur actio æquivalenter cum potius actio in intellectione creata ponatur, vt sit ab intrinseco proprie, quã vt proprie sit à se, si forte ista duo possunt separari.

Omitto tertiam aliam, quam facit, obiectionem; quia ex alibi à nobis dictis est inermis. Redeo ad probationes antecedentis, quæ restant.

3119 Ad tertiam ergo respondeo, transmisso antecedenti, negando consequentiam; quia repræsentatio externa nõ est vitalis; ideoque à sola imagine fit; repræsentatio tamen facta per intellectionem est vitalis; ita vt obiectum repræsenter, tendendo vitaliter in ipsum: quod non facit sola repræsentativa qualitas, nec sola actio, sed vtraque simul. Ad quartam respondeo negando consequentiam; quia si ponderis, & impulsus nomine intelligatur qualitas ab omni actione præcisa, per eum tantum voluntas, nec propendet, nec fertur in obiectum, sed necessaria est actio etiam; quia propensio voluntatis in obiectum semper concipitur, vt ab ipsa nata, & non quasi pure feratur voluntas, sed potius, quasi ipsa tendat, ad quam tendentiam non sufficit pondus, si actione non adiuvetur. Ad quintam respondeo, concesso antecedenti, negando suppositum consequentis, videlicet, quod possit actio tendere in speciem expressam, quin tendat in ipsum obiectum; ratio est, quia species expressa est ipsum obiectum repræsentative: vnde tendere in illam est in obiectum tendere in esse repræsentativo, & forsan ista est præcipua tendentia intellectionis in obiectum. Deinde quamvis sit necessaria tendentia in ipsum obiectum in esse reali, hanc habet intellectio, quia includit speciem, & actionem: species autem tendit in obiectum iuxta ipsos adversarios, quod sufficiebat, sed præterea actio, quæ immediate tendit in speciem, mediate tendit in obiectum, in quod tendit species.

3120 Ad sextam respondeti poterat ex Magistro Sancto Thoma; quod intellectio est actio immanens, consequenterque agentis ipsius perfectiva: ergo non mirum, quod intendatur ab agente propter se, quamvis actiones transeuntes non propter se, sed propter terminos suos intendantur; sed adhuc hoc nobis non est necessarium, quia intellectio in nostra sententia non est sola actio, sed etiam terminus. Vnde potest intendi propter se, quamvis proprium sit termini propter se intendi. Ad septimam, nego consequentiam, disparitas est, quod intellectio est vitalis; albedo non. Ad octavam denique respondeo per speciem expressam reddi potentiam similem obiecto, hoc tamen non sufficit, vtcumque, ad intellectionem, vt circa speciem impressam alibi dicebamus, sed requiritur, quod talis assimilatio sit vitalis tendentia in obiectum: nec sufficit tendentia puræ repræsentationis, quia sic tabula in qua est Imperator depictus diceretur tendere in illum: sed requi-

quiritur tendentia per conatum, & actionem in illud; nec vitalitas intentionalis sufficit; quia ista, si sit pure talis, est vitalitas nomine tenus solum inventa ad eludendam nostræ sententiæ veritatem.

3121 Secundo objicies: intellectio totaliter, & adæquate salvatur in actione, à quovis eius termino præcisa: ergo nec partialiter in termino consistit. Antecedens probatur primo; quia intelligere est exprimere in se imaginem obiecti; sed per solam actionem exprimitur imago obiecti, vtpote, quia sola ea producit speciem expressam: ergo in sola ea consistit intelligere, sive intellectio: secundo; quia intelligere est rem sibi repræsentare: sed repræsentare est facere, vt ipsa verba sonant: ergo in aliquo facere intellectio, sive intelligere consistit. Tertio; quia attendere intellectum nostrum ad obiectum est illud cognoscere: sed attendere importat proprie actionem, & conatum intellectus: ergo in aliqua actione intellectus consistit aliqua intellectio. Quarto dicere, ac loqui interius est intelligere: sed dicere interius est producere in intellectu verbum: ergo producere verbum est intelligere, & consequenter eius actio, sive productio intellectio. Vltimo: actio intelligendi præcisa considerata est vitalis vita rationali; ergo est intellectio.

3122 Respondetur ad argumentum negando antecedens, ad cuius primam probationem respondeo intelligere adæquate sumptum non tantum esse exprimere speciem obiecti, sed etiam obiectum ipsum: cumque obiectum ipsum non exprimatur præcisse per actionem, sed per eam simul, & terminum, in vtroque isto, & non in primo tantum adæquate consistet intellectio. Ad secundam respondeo in primis iuxta Lynceum, cuius sunt quatuor primæ probationes, repræsentare non est facere semper; cum iuxta ipsum species expressa, quæ non est actio, sed terminus, vere repræsentet. Deinde respondeo repræsentare active esse facere; repræsentare vero formaliter non esse facere: cumque intellectio vtroque modo repræsentet obiectum, debet, & includere actionem active repræsentantem, & terminum eius repræsentantem formaliter.

3123 Ad tertiam probationem respondeo attentionem, si sumatur præcisse, & sine termino secum importato, esse intellectionem inadæquate, si vero sumatur non præcisse, sed cum termino etiam suo, erit intellectio adæquate: oppositum autem, nec probatur, nec iuxta rationem est. Ad quartam respondeo simili modo, quod dicere interius est intelligere adæquate, si dicere sumatur pro dictione, & termino dicto; inadæquate vero, si sumatur pro dictione præcisse: sicut loqui exterius consistit adæquate in

actione dicendi, & voce per eam prolata; in adæquate vero in actione sola. Ad vltimam denique probationem, respondeo negando consequentiam: quia vt sit actio intelligendi vitalis vita rationali, sufficit, quod essentialiter à viventi rationali oriatur, quod habet etiam considerata præcisive à termino; vt tamen sit intellectio petit, præter hoc, quod est esse vitalem, esse etiam obiecti repræsentativam.

3124 In Lyncei autem favorem specialiter obijcies tertio ad probandum dari duplicem intellectionem; alteram activam in actione consistentem, alteram passivam consistentem in verbo; primo enim Deus Angelum creat duplici creatione, altera activa, alteraque passiva. Secundo res cognoscit duplici cognitione, altera absoluta, altera relativa. Tertio in nobis, etiam duplex datur intellectus, alter agens, alter passivus. Quarto: in plurium sententia in vno homine duplex datur vnio. Quinto obiectum vnum duplici cognoscibilitate est cognoscibile, altera intrinseca, altera extrinseca. Sexto: præterea omnis creatura est Deo similis duplici similitudine. Septimo: propositio necessaria est vera duplici veritate. Octavo: Pater Æternus duplici cognitione generat Filium. Quid ergo mirum si in nobis duplex etiam ponatur intellectio realiter distincta, altera activa consistens in actione, alteraque passiva consistens in specie expressa?

3125 Sed in primis contra Lynceum insurgo ex eo, quod allata exempla nihil convincunt; in primis enim, quod plura eorum sint falsa, iudico; in homine enim non dari duplicem vnionem vidimus cum ipso in physica: in creatura non dari duplicem similitudinem, nec in propositione duplicem veritatem vidimus contra ipsum in Logica parva: quod etiam Angelus duplici creatione non creetur contra ipsum etiam in physica sustinuimus. Deinde, si aliquod exemplum, aut plura vera sint, ideo erit quia specialis ratio id convincit: eumque in intellectione similis esse non posit, ad illam quæ consequentia? Quod autem similis ratio esse non posit ad duplicem ponendam intellectionem constat ex solutione duplicis præcedentis argumenti; quod autem præter ibi soluta, & exempla nuper posita aliquas Lynceus addat authoritates, non vrget, quia ipsæ non difficilius solvuntur, quam rationes prædictæ, nec minus forsan illis nostra confirmatur sententia, quam sua. Deinde insurgo, quia intellectio, quam passivam dicit nulla ratione potest passiva denominari; cum nec sit causalitas materialis, sed potius res causata; nec sit alia passio, quã Lynceus ab hac distinctã admittit, quia eam identificari tenet cũ actione, cũ

tamen dicta passiva intellectio iuxta ipsum ab actione sit realiter distincta.

3126 Quarto obijcies: intellectio consistit in intellectu, & obiecto; ergo non in actione, & qualitate distincta. Antecedens probabis primo: quia sicut se habet lux ad lucere, sic intellectus ad intelligere: sed lucere non distinguitur à luce, & re illuminata: ergo intelligere non distinguitur ab intellectu, & re intellecta. Secundo visio non est forma à potentia, & obiecto distincta: ergo nec intellectio; antecedens probatur: quia si visio esset forma, visio nigredinis, & albedinis esset contraria; sed non est contraria, cum vtraque in eadem potentia compatiatur; ergo non est forma. Tertio: in Deo intellectio non distinguitur ab eius intellectu, & re intellecta: ego similiter in nobis. Quarto si intellectio esset forma distincta, ipsa precise sumpta non intelligeret, veluti albedo precise non est alba, & simul intelligeret, quia haberet intellectionem per identitatem, & Deus hac ratione dicitur intelligens.

3127 Respondetur negando antecedens; ad cuius primam probationem nego maiorem; intellectus enim se habet ad intelligere, sicut luminosum ad lucis productionem, & intellectio ad intelligere, sicut lux ad lucere. Ad secundam nego antecedens: ad cuius probationem nego maiorem: quia quamvis visio sit forma, cum sit diversæ naturæ ab obiecto viso, non debet eius cõtrarietatem imitari: quod etiam verum est in speciebus impressis: ista autem diversitas inter species, & obiecta experientia ipsa potius, quam ratione colligitur: solum ergo opponuntur inter se visiones, & species obiectorum contrariorum in eadem parte existentium. Ad tertiam nego consequentiam; quia in Deo id contingit ob infinitam simpliciter perfectionem eius. Ad quartam denique nego secundam sequælæ partem; quia Deus non intelligit præcise, quia habet intellectionem per identitatem, sed præterea quia est substantia, & substistens.

3128 Quinto obijcis: intellectio cõsistit partim in obiecto: ergo non in sola actione, & qualitate: probatur antecedens primo: quia imago Imperatoris non consistit in sola imagine, sed partim in Imperatore ipso; quia si ipse talem colorem, & figuram non haberet, non esset eius hæc imago: ergo similiter est de cognitione. Secundo probatur antecedens ex Aristotele *libro tertio de anima cap. 5.* aiente: *Scientia autem ea, quæ est actu, est idem quod res*: ergo iuxta Aristotelem scientia actualis sive cognitio, saltim inadæquate cum re cognita identificatur. Respondetur negando antecedens, ad cuius primã probationem respondeo imaginem repræsentare hominem cum tali figura, talibusque coloribus præcisse per seipsam, sive talis ho-

mo

mo existat, sive non: quod autem homo repræsentatus sit Petrus, vel Imperator, aut alius quivis, facit, quod illum repræsentet: unde tota imaginis repræsentatio in ipsa consistit, & non in obiecto, quamvis, quod ei accidit, possit aliquomodo in obiecto consistere. Ad secundam probationem respondetur Aristotelem loqui de identitate scientiæ actualis cum re ipsa, non in esse entis, sed in esse repræsentativo, cognitio vero, etiam iuxta nostram sententiam, est ipsum obiectum in esse repræsentativo.

3129 Sexto denique obijcies: intelligere iuxta Aristotelem est quoddam pati: ergo aut concedenda est intellectio passiva, quâ Lynceus ponit, aut concedendum, quod intellectio consistat in speciei impressæ receptione. Respondetur negando consequentiam: quia intelligere potest aliter dici quoddam pati; quia cum sit agere, & ipse agens recipiat eam actionem, & effectum eius, pari ratione dici potest intelligere pati, ac agere.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum intellectio possit divinitus collocari in subiecto illam non eliciente?

3130 HÆC Quæstio necessaria est ad naturam intellectionis magis penetrandam: in ea enim magis explicabitur conclusio, quam nos quæstione præcedenti tradidimus: quod consulto in hanc remisi quæstionem, ne nimis prolixa præcedens evaderet. Igitur est difficultas, an intellectio possit divinitus poni, & collocari in Petro verbi gratia, ipso eam non efficiente, sed solo Deo efficiente illam. Videtur autem clarum, quod, si intellectio consistat in sola qualitate per actionem distinctam producta quod ea possit à solo Deo in intellectu Petri produci, quia eo ipso, quod per actionem distinctam producatur, non est cur essentialiter pendeat ab actione Petri, aut cur à solo Deo produci nequeat, nec etiam cur Petro non possit vniri. Sunt tamen, qui dicant primo intellectionem posse collocari divinitus in intellectu Petri, ipso non concurrente, in ratione qualitatis, non tamen in ratione cognitionis. Sunt deinde alij, qui dicant intellectionem posse à solo Deo produci, & in subiecto ad intelligendum incapaci collocari; non tamen in intellectu, qui ad intelligendum est capax: pro vtroque modo dicendi referre aliquos Vazquez testatur Lynceus *in præsenti c.* 10.

3131 Alij denique, quos citat etiam, & sequitur Vazquez apud Lynceum absolute, & nulla distinctione facta sentiunt intellectionem, quamvis in sola qualitate consistat, non posse in subiecto illâ non eliciente collocari. Sed hæ tres sententiæ simul impugnatæ manent, etsi breviter, ratione ante eas proponendas tacta. Deinde etiam

facilè

facilè impugnatur ſingillatim. Prima quidem impugnatur primo: quia intellectio, in ratione cognitionis, in ſententia, quam de eſſentia intellectionis modo ſupponimus, non minus diſtinguitur ab actione ipſius productiva, quam in ratione qualitatis: ergo non minus à Deo ſolo produci, & in intellectu collocari poteſt in ratione cognitionis, quam in ratione qualitatis. Secundo impugnatur ea ſententia; quia intellectio, ſi in qualitate conſiſtat, non poteſt, in ratione cognitionis, realiter diſtingui à qualitate, in ratione qualitatis: ergo nec poteſt ab illa ſeparari; ſeparatio enim ſolum inter realiter diſtincta contingere poteſt: ſed, ſi poneretur intellectio in aliquo in ratione qualitatis, & non in ratione cognitionis, ſepararetur intellectio in ratione cognitionis ab ipſa in ratione qualitatis: ergo non poteſt poni in aliquo, in ratione qualitatis, quin ponatur, in ratione cognitionis.

3132 Secunda autem ſententia impugnatur; quia ſubiectum incapax intellegendi minus capax eſt, vt lumine naturæ videtur notum, intellectionis recipiendæ, quam ſubiectum intelligendi capax: non ergo ſtat, quod intellectio in ſubiecto intelligendi incapaci collocari poſſit potius, quam in ſubiecto intelligendi capaci: ſi ergo inconveniens videtur, quod in ſubiecto capaci collocetur, quamvis illud ita in ſubiecto incapaci non appareat, propter rationis tamen paritatem, ſimiliter debet philoſophari. Tale tamen inconveniens non dari ex tertia ſententiæ impugnatione conſtabit.

3133 Tertia denique ſententia impugnatur: quia nulla repugnantia inveniri poteſt in collocatione intellectionis in intellectu, aut quovis alio ſubiecto illam non producente; quamvis enim dicant adverſarij, quod eo ipſo quod in intellectu collocaretur, ille redderetur intelligens, & ſimul non redderetur, nunquam tamen ſecundam partem probare poſſunt; quia eam probant, multipliciter probando actionem propriam neceſſariam eſſe, vt intellectus intelligens reddatur; id autem potius probat, quod intellectio non conſiſtat in ſola qualitate, ſed etiam in actione, quam, quod, ſuppoſito, quod in qualitate conſiſtat, non poſsit intellectus reddi per eam intelligens, actione propria ſecluſa. Vnde non parum confirmatur noſtra quæſtionis præcedentis concluſio: ſic enim pro ea ex dictis argumentor: difficile eſt, quod intellectio reddat intelligentem intellectum, à quo non producitur: ſed id facilè eſſet, ſi conſiſteret in ſola qualitate, & non in actione: ergo non in ſola qualitate, ſed in actione etiam conſiſtit. Maior conſtat ex eo, quod plures, vt vidimus, intellectionem in qualitate conſtituẽtes coegerit, ad aſſerendum, eam non poſſe in intellectu, ſine ipſius actione collocari. Minor conſtat ex dictis pro ipſorum impugnatione, tum à nobis, tum à pluribus eo-

eorum, qui intellectionem constituunt in sola qualitate. Secundam, & tertiam sententiam memoratam latius impugnat Lynceus, quamvis in secundę impugnatione valde à nobis diversus.

3134 Vidimus, quid in hac quæstione sit dicendum iuxta sententiam intellectionem in sola qualitate constituentem: nunc iuxta nostram, quid sit sentiendum, aperiamus. Dico ergo primo: intellectio adæquate sumpta potest collocari in intellectu Petri, etiamsi ab eo non producatur; si producatur tamen ab alio intellectu, in quo simul sit. Probatur hoc: quia nulla est repugnantia, quod Paulus, dum intellectionem habet à se elicitam, cum Petro penetretur aut etiam cum lapide, & quod intellectio existens in ipso, ab eoque producta, per vnionem novam, Petro, aut lapidi, cum quo penetratur, vniatur; quia quamvis, qua parte in actione consistit, sit modus, id tollit tantum, quod possit à proprio subiecto separari: non tamen, quod non possit, proprio manendo vnita, alteri etiam de novo per vnionem distinctam vniri, quamvis proprio absque vnione distincta vnita sit, vt de subsistentia ex suppositione, quod modus sit, in Metaph. vt probabile, dicemus *disp.* 3. *q.*7. *n.*3546

3135 Sed dices: ergo lapis dici potest intelligens; siquidem ei potest intellectio adæquate sumpta vniri. Nego tamen consequentiam istam. Ratio est quia lapis incapax est eius effectus. Et si dicas non stare, quod sit capax formæ, & non eius effectus formalis primarij: Responderi debet, denominationem intelligentis non esse effectum formalem primarium intellectionis; sed tantummodo denominationem habentis intellectionem. Vel melius denominationē intelligentis non resultare præcise ex intellectione, sed etiam ex determinato subiecto: vnde si tale subiectum deficiat, quamvis adsit forma, ea denominatio nō resultat: quam doctrinam persæpè futuram vtilem prævidens tradidi *disp.*2. *Physic. q.*16. *n.*1850.

3136 Sed instabis: ergo saltim quando intellectio, modo dicto, constituatur in Petro, eum denominabit intelligentem; cum forma sit intellectio, & subiectum sit capax ad constituendum cum forma denominationem intelligentis, vt potè subiectum intellectuale. Respondeo tamen negando consequētiam; quia sunt formę aliquæ, quæ non solum petunt determinatum subiectum ad constituendam, seu dandam denominationem aliquam, sed etiam determinatum modum illud afficiendi; suppone namque, quod passio, qua ex materia A, educitur forma ignis, vniatur materiæ B, cum ipsa materia A, penetratæ per vnionem distinctam, & pure informativam, talis passio non denominabit passum materiam B, quod tantum proveniet ex defectu vnionis, quia, videlicet, non vnitur modo ad eam denominationē constituendam necessa-

ceſſario. Hoc ergo in noſtro caſu evenit; quia intellectio Petro in dicto caſu vnita, etſi ſit forma apta ad denominationem intelligendi & ſubiectum ſimiliter; non tamen modus, quo illi vnitur; quia, ſcilicet, ei non vnitur, vt propria actio, ſed, vt aliena per modum vnionis diſtinctum, & pure informative, quod non ſufficit ad hoc, vt Petrus reddatur intelligens; quia rationes, quibus nos probavimus intellectionem in actione conſiſtere, hoc etiam perſuadent.

3137 Sed reſtat modo videre, an iuxta noſtram de eſſentia intellectionis ſententiam poſsit intellectio collocari in ſubiecto illam non eliciente ita, vt non ſit ſimul in aliquo ſubiecto eliciente illam. Circa quod dico ſecundo: intellectio, prout in actione conſiſtit, nec divinitus poteſt collocari in ſubiecto illam non eliciente, ſi non manet ſimul in intellectu aliquo eliciente illã. Patet concluſio iſta quia actio, cum ſit modus, eſſentialiter dependet ab eo, cuius eſt actio: ergo non poterit ab eo divinitus adhuc ſeparari: ergo nec alteri ita vniri, vt ab ipſo ſeparetur: intellectio ergo, qua parte actio eſt, dicto modo nequit vniri ſubiecto illam non elicienti.

3138 Dico tertio: intellectio, qua parte in qualitate conſiſtit, poteſt extraneo vniri intellectui, quin alicui proprio ſit vnita, ſi ſit ab actione, in qua partim etiam intellectio conſiſtit, realiter diſtincta; ſi vero à tali actione non ſit diſtincta realiter, idem eſt de ea dicendum qualitate, ac de actione nuper dicebamus. Patet ſecunda iſta pars; quia, ſi qualitas ab actione non diſtinguitur: ergo nec poterit ab ea ſeparari, & conſequenter nec alicui vniri, cui ipſa etiam actio non vniatur. Prima autem pars conſtat ex dictis ad huius quęſtionis initiũ; ſi enim ea qualitas eſt realiter ab actione ipſius productiva diſtincta; non eſt cur non poſsit à Deo ſolo produci, & vbi voluerit collocari. Adverte tamen, quod, ſi qualitas dicta, & ſi producatur per actionem diſtinctam, vniatur tamen per ſeipſam non poterit eadem in ſubiecto illam non eliciente poni à Deo; poterit tamen alia eiuſdem ſpeciei, numero tamen diverſa, quæ omnia ex iam dictis in Phyſica bene fundata manent.

3139 Quapropter modo ad omnimodam reſolutionem huius quæſtionis, & declarationem omnimodam concluſionis traditæ quęſtione præcedenti reſtat determinare, an talis qualitas, in qua partialiter intellectio conſiſtit, ſit ab ipſa actione, in qua etiam partialiter conſiſtit realiter diſtincta. Circa quod dico quarto, probabile mihi videri, quod talis qualitas ſit ab actione diſtincta realiter, ac etiam probabile, quod ab ea non ſit realiter diſtincta. Prima pars concluſionis, quamvis minus communis inter DD. noſtræ ſententiæ, probatur, quia, ſi qualitas, in qua partialiter

tialiter intellectio consistit, non distinguatur realiter ab actione, in qua etiam consistit partialiter intellectio, non solum adæquate sumpta; sed etiam sumpta inadæquate, & secundum solam rationem qualitatis, ab intellectu essentialiter dependebit: sed dicendum potius est, quod intellectio, secundum, quod qualitas est, non dependet essentialiter ab intellectu: ergo & dicendum, quod ab actione realiter distinguatur. In maiori non est difficultas; quia, si qualitas non distinguatur realiter ab actione, per seipsam produci, realiter saltim, necessarium est; cum producatur per actionem ab ipsa realiter indistinctam: omne autem, quod per seipsum ab aliquo producitur, & sine actione distincta, ab ipso essentialiter dependet iuxta dicta in Physica. Minor autem probatur: quia cum dependentia essentialis ab aliquo creato tollat, quod illa res possit à solo Deo produci, ea dependentia est omnino vitanda, semper ac cõmode vitari potest: sed ea essentialis dependẽtia qualitatis ab intellectu vitari commodè potest, dicendo, quod illa qualitas est ab actione distincta: ergo talis essentialis dependentia qualitatis ab intellectu admittenda non est.

3140 Confirmatur: quia, quamvis omnis actio creaturę ab ea essentialiter dependeat, ideoque nulla queat à solo Deo produci; tamen omnes actiones habent aliquẽ terminum, quem solus Deus producere possit: ergo similiter, quamvis actio intelligendi essentialiter ab intellectu dependeat, à Deoque solo non possit produci, habebit tamen qualitatem distinctam, pro termino, quæ à Deo solo produci possit. Nec ob esse potest, quod talis qualitas, si distingueretur, esset iam adæquate intellectio; quia ex iam dictis à nobis constat, quod adhuc non esset intellectio, quia ei deficeret vitalitas actioni competens; quæ, & non solum, quæ termino competere potest, est ad intellectionem requisita.

3141 Probatur deinde secunda nostrę conclusionis pars, quæ est communis inter DD. nostræ sententiæ de intellectionis essentia: quapropter dicunt communiter intellectionem cõsistere in qualitate seipsa producta, aut seipsa dependente ab intellectu. Probatur inquam, quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: nulla autem est necessitas ponendi distinctionem inter actionem intellectivam, & qualitatem illam repræsentativam, sed melius concipitur intellectio, si sit vna indivisibilis entitas in se imbibens & repræsentationem qualitatis, & vitalitatem actionis: sic ergo debet poni intellectiõ consequẽterque in ea non distingui qualitas ab actione.

3142 Etsi dicas dari rationem distinguendi qualitatem ab actione, videlicet illam, quam pro prima conclusionis parte fecimus Responderi potest probabiliter, eam nõ

vti

vrgere; quia omnibus compertum est, quod omnis actio creata sit essentialiter à creatura, cuius actio est, dependens, & quod à Deo solo produci non possit: vnde cum intellectio realiter loquendo adæquate sit actio iuxta secundam nostræ conclusionis partem, non mirum, quod adæquate sumpta à creatura dependeat essentialiter: nec est de novo entitas addenda, precisse, vt à Deo solo possit produci; melius enim videtur, quod detur vna entitas ad intelligendum, quę à Deo solo nō possit produci, quam, quod detur duplex, & vna possit produci à Deo solo; alia non, quia primo modo non plures entitates ponuntur, quæ à Deo solo produci non possint, quam secundo modo; siquidem ponitur vna tantum, quę secūdo modo non vitatur, sed solum sine fructu multiplicatur entitas alia. Nec etiam confirmatio vrget quia actio intelligendi duo producit, alterum est qualitas, quam physice producit; alterum est obiectum, quod producit intentionaliter, quia ei dat esse cognitum: cum autem intellectio præcipuè, & quasi primario sit instituta, vt obiectum producat intentionaliter, sufficit, quod eius intentionalis productionis terminus sit à Deo solo intentionaliter producibilis, quin sit necessarium, quod terminus physice productus sit ab ea distinctus, & à Deo solo physice producibilis, sicut contingit in alijs actionibus, quę præcipuè deserviunt, vt sint physicæ productiones; & terminum physice producant.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Verbum mentis distinguatur ab intellectione.

3143 LOQVIMVR De verbo mentis, quod proprie verbum est; non de verbo oris, quia etsi proprium etiā sit, & ad quod significādum est vox ista *Verbum* primo imposita, & cui quadrat eius Ethymologia eo, quod à verberando aerem dicatur; tamen, cum de eo dubium esse non possit, quod ab intellectione distinguatur, loquimur solum de verbo mentis. Verbum ergo mentis, apud omnes est imago, & repræsentatio obiecti. Difficultas autem est, an hæc imago, & repræsentatio, quæ verbū & species expressa dicitur, sit ipsa intellectio; an vero aliquid aliud ab ea distinctum, & per eam productum. Sententiam distinctionis affirmativam tuentur communiter Thomistæ asserentes ab intellectione produci qualitatē quandā ab ipsa realiter adæquate distinctam, in qua cognita obiectum cognoscatur. Iesuitæ tamen omnes ferè hanc distinctam qualitatem impugnant, verbumque, & speciem expressam dicunt esse ipsam intellectionem, quæ verè obiectum repræsentat, & qua posita nullo alio opus est ad obiectum cognoscendum.

3144 Dico resolutorie in intelligente creato nullum verbum distin-

distinguitur realiter ab intellectione, sed in ipsa intellectione ratio verbi salvatur optimè. Probatur primo conclusio ista authoritate D. Thom. *in 1. Sent. distinct. 27. q. 2. a. 2.* vbi dicit: *Vnde oportet, quod verbũ vel dicatur ipsa operatio intelligendi, vel ipsa species, quæ est similitudo rei intellectæ, & sine vtroque istorũ non potest quis intelligere; vtrumque enim istorum est, quo quis intelligit formaliter.* Vbi clare cernitur Doctorẽ sanctũ cõstituere verbum in actione intelligendi, aut specie per eam producta, ita tamen, vt ea species sit, in qua simul cum actione intellectio consistit, cumque D. Tho. non determinet, an potius in actione, an in specie consistat verbum, quodlibet, aut vtrũque istorũ potest assignari, sine eo, quod contra ipsum D. Thom. sit. Nobisque videtur probabilius, quod in vtroque simul verbũ consistat: ex ea tamen authoritate etiã constat, quod nostra sententia de intellectionis essentia q. 4 defensata sit iuxta ipsius Angel. Præcept. mentem.

3145 Nec refert modo plures adducere, & exponere authoritates D. Thom. quas Thomistæ cõtra nostram sententiã obijciunt; quia etiã nostræ sententiæ DD. alias non minus expressas illis obijciunt, de quibus ipsi etiam commemorationem non faciunt: & quãvis valde gloriẽtur de D. Thom patrocinio in materia huius quæstionis, ita tamen clare sæpè nostrã sententiam docet D. Thom. vt aliqui nostræ sententiæ DD. contra ipsos vehemẽter iactentur eo quod Thomistæ nominẽtur, & D. Thom. manifestè nostram sententiam tenentẽ non sequantur. De his tamen ad Nos non spectat iudicare sufficit tamen ea cõtentio, quæ inter DD. versatur, vt quãcumque sententiam sequi possimus sine scrupulo, quod aliquid D. Thomæ contrariũ asseramus. In Theologia nãque maior de hac controversia lux aderit; in materia nãque de visione Dei tangitur iterũ hæc quæstio ibidemque magis ex professo de mente D. Tho. solet esse cõtentio. Rationibus ergo hic agam hãc controversiã.

3146 Probatur ergo ratione nostra conclusio. Verbum ab intellectione distinctũ ad nihil deservire potest, nisi, vel ad hoc, vt intellectio habeat terminũ, vel ad hoc, vt obiectum cognoscatur; sed ad neutrum istorũ potest esse necessarium: ergo admittendum non est tale verbum ab intellectione distinctum. Maior negari nequit, quia cum fundamento non potest ad aliud munus verbum distinctum cogitari necessarium. Minor probatur, quoad primam partem, quam etiam Thomistæ concedent, quia intellectio non indiget termino ab ipsa distincto, quia, cum consistat in actione, & qualitate sufficienter ei terminus assignatur, si dicatur eam, vt qualitas est esse terminum ipsius, qua parte est actio, quin oppositum possit aliqua ratione suaderi. Secunda autem minoris pars, quæ contra Thomistas est,

pro-

probatur, quia, poſita intellectione, non videtur, quid deeſſe poſsit, vt obiectum cognoſcatur: ergo Verbum ab intellectione diſtinctum ad id non poteſt deſeruire.

3147 Dices Verbum illud deſeruire, vt ſit mediũ, in quo cognito intellectus cognoſcat obiectum, ſæpe enim obiectum nõ eſt intellectui applicatum ſufficienter, aut ſufficiẽter immateriale non eſt, idque omne per Verbum illud ab intellectione diſtinctum ſuppletur; in illo enim, cum ſit recte applicatum, obiectum, etiã abſens, cognoſcitur, ipſum etiã Verbũ eſt omnino ſpirituale, & conſequenter defectum immaterialitatis obiecti poteſt etiam ſupplere. Sed contra eſt primo: quod nec requiritur, quod obiectũ ſit ſpirituale omnino, vt cognoſcatur, nec ad id obeſt, quod ſit abſens: ergo Verbum illud diſtinctum nec neceſſarium eſt ad ſupplendam abſentiam, nec ad ponendam immaterialitatem. Antecedens, quoad primam partem, probatur: quia actus intellectus, quamvis ſpiritualis ſit, non eſt cur ad aliquid materiale terminari non poſsit; tum quia difficilius eſt, quod aliquid materiale partialiter efficiat aliquid ſpirituale, quam, quod illud terminet: ſed iuxta communem Thomiſtarum ſententiam phantaſma materiale poteſt efficere partialiter ſpeciẽ intellectualem, quæ ſpiritualis eſt: ergo multo melius res aliqua materialis cognitionẽ ſpiritualem poterit terminare. Tum etiam quia Verbũ illud diſtinctum, cũ obiectũ eſt materiale, repræſentat tale obiectũ: ergo obiectũ eſt terminus repræſentationis illius Verbi: ſed illud Verbũ eſt ſpirituale: ergo iam, quod ſpirituale eſt terminatur ad id, quod eſt materiale: cur ergo ipſa cognitio, quamvis ſpiritualis, non poterit etiã ad obiectũ materiale terminari. Deinde antecedens probatur, quoad ſecundam partem: quia cognitio optime poteſt terminari ad obiectum abſens: ergo non eſt neceſſarium, quod abſentia obiecti per aliquid ſuppleatur. Antecedens cõſtat, quia terminare præcisè non ſolum non petit præſentiã, ſed neque exiſtentiã, vt alibi diximus. Quod autẽ ſimul obiectũ debeat aliquomodo ad ſui cognitionẽ cõcurrere nõ petit obiecti præſentiã determinate, ſed eius, aut ſpeciei, vt in potentia externa viſiva cernimus: nõ enim paries viginti paſſus diſtãs eſt in potentia viſiva immediate, ſed ſolum media ſpecie.

3148 Contra eandẽ ſolutionẽ eſt ſecũdo, quod tã abſentia, quã immaterialitas obiecti ſuppletur per ſpeciẽ impreſsã ſpiritualẽ à Thomiſtis libẽter admiſsã: ergo ad hæc ſupplẽda Verbũ non eſt neceſſariũ. Nec valet dicere, quod ſpecies non ſupplet abſentiã, & immaterialitatẽ, ad terminandã cognitionẽ, ſed ſolũ ad eã efficiendã: nã cõtra eſt, quod numerauimus. Dicebamus. Tũ, videlicet, quod terminatio non modo præſentiã, & immaterialitatẽ nõ poſcit, ſed neque exiſtẽtiã: tũ etiã, quia nõ minus terminare debet obiectũ Verbũ à Thomiſtis poſitũ, quã cognitionẽ iuxta

nos immediate terminat: sed ad terminandum illud Verbum non audebunt Thomistæ ponere aliud Verbum, quod suppleat absentiam, & in materialitatem obiecti, ne incipiat processionem, infinitam: ergo neque ad terminandam cognitionem ea præsentia, & immaterialitas necessaria iudicari debet.

3149 Alias omitto Verbi distincti ab intellectione impugnationes, quia passim inveniuntur, facileque percipietur, quod, si non omnes, plures illarum valde vrgentes sunt. Tantum adverto, quod supposito, quod Verbum non sit realiter ab intellectione distinctum, facile inde colligitur, quod in intellectione consistat; quia in ea reperiũtur omnia, quæ ad Verbum possunt postulari; cum, sicut Verbum exterius alteri rem repræsentat, sic intellectio, quæ interius Verbum est, ipsi intelligenti rem optime repræsentet, quapropter sicut vox recte dicitur exterius Verbum, quia per eam loquens alteri dicit, & manifestat rem, sic intellectio verbum interius dici meretur; quia per eam intelligens sibi dicit & manifestat rẽ; quin aliquid opus sit ab ipsa intellectione distinctũ ad hãc efficiendã manifestationẽ.

3150 Ex doctrina data claret, quod Verbũ, species expressa, & intellectio idẽ sunt realiter, quãvis formaliter distinguantur ipsa enim intellectio dicitur talis quatenus obiectũ percipit, & in illud tendit intentionaliter; dicitur vero species expressa, quatenus ipsũ exprese repręsentat: diciturque Verbũ quatenus obiectũ, non vtcumque, manifestat, sed illud manifestat sibi. Sibique dicit, quod per intellectionẽ intelligit: vnde colliges primo, quod omnis intellectio producta est Verbũ, ac proinde in omni intellectione creata Verbũ producitur. Clarũ est hoc ex nostra doctrina, ex doctrina vero Thomistarũ nihil clare sic deducitur, sed potius inconsequentiæ accusari solent frequenter, dũ Verbũ in aliquibus intellectionibus produci admittunt, in alijs negant; passim hoc invenitur in materijs de Visione, & Trinitate. Secũdo colliges quod etiã in re in omnibus sensationibus etiã externis datur Verbũ, cũ detur cognitio, non tamen dicitur Verbũ, nisi cognitio intellectiva, & ad summũ sensitiva interna, quia id in vsu non est. Tertio colliges intellectionẽ absolutã Dei non esse Verbũ, cuius ratio est, quia est improducta, productio enim in omniũ sentẽtia ad Verbũ est necessaria ita, vt quãvis Iesuitæ multi intellectionẽ in sola qualitate constituant, Verbũ tamen, aiunt alij, importare etiã actionẽ, alij vero eam saltim essentialiter connotare.

3151 Quarto colliges in volũtate nõ produci per volitionẽ terminum ab ipsa volitione, & amore distinctũ, quo voluntas inclinetur, & detineatur in affectu rei amatæ, vt plures Thomistæ volunt; sicut enim per intellectionẽ præstatur omne id, quod præstari debebat per Verbum distinctũ, sicque ipsa intellectio est Verbũ, sic per amorẽ præstatur omne

sse id, quod præstari deberet per terminũ illũ, per amorẽ enim voluntas ad obiectũ trahitur, quæ tractio non debet esse ad modũ, quo fune lignũ trahi potest, sed ea nihil aliud est, quam inclinatio voluntatis in obiectum, quę vtique per amorem fit, seu volitionem, iuxta dictum illud D. Augustini *amor meus pondus meum, illo feror, quocumque feror*: non ergo necessarium est pondus ab ipso amore distinctum, vt voluntas in obiectum feratur, nec etiam necessarium est, vt in eius affectu detineatur, quia cum tale pondus deberet ab amore produci, & conservari, productio supponeret amorem, & affectum in obiectum, & eius cõservatio conservationem amoris, & consequenter detentionem voluntatis in affectu rei amatæ: ad nihil ergo necessarium est tale pondus à volitione, sive amore distinctum.

3152 Dices posito verbo, & voluntatis pondere ab intellectione, & volitione distinctis, melius explicatur productio Verbi Divini, atque etiam Spiritus Sancti: ergo tale Verbum, & pondus distinctum debet poni. Respondeo negando consequentiam, quia, vt melius explicentur processiones divinæ, nõ sunt in creatis ponendæ res inutiles, & non necessariæ, præsertim, cum quocũque modo in creatis philosophemus, nunquam possit, non multum differre quæcumque Verbi creati, & ponderis productio à Verbi Divini, & Spiritus Sancti processionibus, sed de his in materia de Trinitate tractent Theologi.

QVÆST. VII.

De prima intellectus operatione.

3153 EXplicato iam, in quo essentia actus intellectus consistat, procedimus ad varias actus intellectus divisiones: præcipua inter omnes est, qua actus intellectus dividitur in tres eius operationes, qua supposita divisione, circa singula eius mẽbra aliqua hic attingemus, omissis alijs, quæ iam à nobis sunt in dialectica sufficienter attacta. In hac ergo quæstione ea, quæ ad primã spectant, attingemus, & in duabus sequentibus, quæ ad duas alias spectãtia restant. Circa primã ergo operationem inquires, vtrum sit determinate simplicium apprehensio; an vero etiã esse possit aliquando apprehensio simplex, quin tamen simplicis rei; sed potius complexi alicuius, apprehensio sit. Certum vtique est primo, quod simplex apprehensio rerum simplicium pertineat ad primam operationem. Vnde conceptus his vocibus correspõdentes *Petrus, albedo, Sanctus*: ad primam profecto operationem spectant. Deinde mihi videtur certum, quod conceptus correspondentes his vocibus *homo albus, Angelus Sanctus*, & similibus ad primã etiã operationẽ spectent: ratio est; quia in modo nullatenus differunt à conceptibus rerũ per terminos incõplexos significatarũ, nec aliquo modo ad iudicij modũ accedere credi possunt. Difficultas ergo so-

solũ est, an simplex apprehensio versari etiã possit circa obiectũ propositionis integræ, an videlicet, sit possibilis actus intellectus his vocibus respõdẽs *Petrus est albus*; qui tamẽ ad primã intellectus operationẽ spectet eo, quod identitatẽ dictorum extremorum non iudicet, nec assertive pronuncietur, sed tantum apprehẽdat, & affirmare non audeat, nec negare.

3154 Resp. ad quæstionẽ hanc affirmative cũ Linceo, & alijs, quos ipse citat *lib. 7. metaph. tr. 4. c. 1. n. 3.* quos novissime sequitur Quiros *in præsẽti disp. 96. sect. 1.* Probo autem responsionẽ; quia, si non posset dari actus his vocibus *Petrus est albus* correspondens habensque idem obiectum, atque integra propositio, qui actus ad simplicẽ apprehensionẽ spectet, sive ad primam intellectus operationem, maxime aut quia actus illis vocibus correspondens debet semper esse iudicium, ita vt alius eis correspondens sit impossibilis; aut quia actus illis correspõdens & si possit esse à iudicio distinctus, nõ tamen ad primam, sed ad secundam debet pertinere operationẽ: sed ob neutram istarũ rationum potest negari actus habens pro obiecto integram propositionẽ, qui ad primã intellectus operationem spectet; ergo talis actus in prima intellectus operatione collocandus admitti debet. Minor, in qua est difficultas, probatur, quoad primã partem: quia sæpe quis percipit intellectu significatũ harũ vocũ *Petrus est albus* aliarũve similiũ, vt *Petrus est peccator, stellæ Cœli sunt pares*: quin si interrogetur audeat affirmare se iudicasse Petrũ esse albũ, aut peccatorẽ, stellasve Cœli esse pares; ergo possibilis est actus intellectus à iudicio distinctus habens idẽ obiectũ, ac integra propositio. Quoad secundã autẽ partẽ probatur eadẽ minor primo; quia talis actus, vt nuper dicebã non est iudiciũ: ergo non pertinet ad secundã operationẽ; cũque sit certum, quod nõ pertinet ad tertiã, ad primã necessariũ est spectare. Secundo: quia ille actus eo modo apprehendit idẽtitatem inter Petrũ, & albũ, quo alius apprehendit Petrũ; cum sicut iste nihil affirmat nec negat sic nec ille, cũ idẽtitatẽ nec affirmet, nec neget, nec aliquid de ea affirmet, aut neget: ergo ad eandem operationem spectabit, & consequenter ad primam potius, quam ad secundam.

3155 Sed dices primo: prima intellectus operatio cõmuniter dicitur simpliciũ apprehensio, sed actus à nobis assignatus non esset rei simplicis apprehensio; ergo non spectaret ad primã intellectus operationẽ. Secundo ille actus cõponeret; siquidẽ vnius cũ alio identitatem apprehenderet; sed cõpositio, & diuisio ad secundã pertinet operationẽ: ergo & ille actus. Tertio ille actus haberet idẽ obiectũ, ac iudiciũ: ergo nõ posset ab illo differre. Resp. ad has obiectiones: ad primã, quod prima operatio intellectus melius dicitur simplex apprehensio, quam simplicium apprehensio, qui vero eam simplicium apprehensionem vocant inter-

pre-

prętandi ſunt de ſimplicitate ex parte actus, quia, videlicet, actus primæ operationis nullam compoſitionem facit. Ad ſecundam reſpõdeo, apprehenſionem identitatis vnius cum alio, aut eſſe compoſitionem ineffacem, vt probabile iudicat Lincęus, hancque ad primam operationem ſpectare, ſolamque efficacem propriã eſſe ſecundæ; aut nullatenus compoſitionem eſſe; quia cum eam compoſitionem non affirmet, non dicitur cõponere; ſed tantum compoſitionẽ apprehendere. Ad tertiã denique obiectionẽ reſp. negando conſeq. quia ex modo tendendi differunt ſufficiẽter apprehenſio, & iudicium, quantumvis idem habeant obiectũ: quod autem ex ſolo modo tendendi circa idem obiectũ poſſint actus differre, plurimis inſtantijs probat Lincæus *loco cit. n.* 5. quas qui voluerit facile in ipſo videre poteſt, & eas inveniet vim habere, quãvis non omnes.

3156 Inquires autem ſecundo circa primam intellectus operationem, an differat à ſecunda ex obiecto, quia prima percipit quidditatẽ rei. Secũda vero non percipit quidditatem; ſed rem ipſam, quoad an eſt, & alia prædicata. Reſpondeo negative: quia hæc propoſitio *homo eſt animal rationale*, non eſt cur ad ſecundam intellectus operationem non ſpectet. Quamvis autem Philoſophus, & D. Thomas apud Lincæũ *num.* 7. Videantur tenere oppoſitũ, id non tenent, ſed tantum quandam ſimilitudinem habere volunt primã operationem cum attingentia quidditatis, & ſecũdam cum attingentia rei quoad an eſt: quia, ſicut eſſentia conſiſtit in quidditate, ſive exiſtat ſive non, ſic prima operatio in rei pura perceptione, quin exiſtentiam affirmet, aut neget; & ſicut res quoad an eſt, cognoſcitur per affirmationem, ſic iudicium quodlibet rem ſive ſit eſſentia ſive non, affirmando, aut negando cognoſcit.

3157 Tertio denique inquires, an vnus actus poſsit eſſe ſimul ſimplex apprehenſio, & iudicium. Reſpondeo circa idem obiectum non poſſe; quia eo ipſo, quod affirmet aliquid, vt ad iudicium eſt neceſſarium, iam obiectum non pure, & ſimpliciter apprehendit, poſſe tamen circa diverſa obiecta; quia actus his vocibus reſpondens *pallium Petri eſt album* eſt iudicium de identitate pallij, & albi & circa Petrum non eſt iudicium, ſed ſimplex tantum apprehenſio.

QVÆST. VIII.

De ſecunda intellectus operatione.

3158 CIrca ſecundam intellectus operationem difficultas eſt, an ſit ſimplex qualitas, id eſt, an actus iudicij, v.g. quo dico mentaliter *Petrus eſt animal*, ſit vnus ſimplex intellectus actus, an potius ex duplici, aut triplici actu cõpoſitus. Reſp. cũ Lincæo, Carleton, Oviedo, Alphonſo Arriaga, alijſque cõmuniter, iudiciũ ſive ſecundã operationẽ intellectus eſſe ſimplicem qualitatem, proba-

tur conclusio; quia iudicium consistit in actu cognoscente identitatem extremorum, aut distinctionem si negativum sit: sed actus cognoscens identitatem, seu distinctionem est vnus, & simplex; ergo actus iudicij simplex actus est, simplexque qualitas. In maiori nulla potest esse difficultas Minor prob Si actus cognoscens identitatem, aut distinctionem extremorum non esset vnus, & simplex, maxime quia vnus actus cognosceret identitatem inter extrema repertam, & alter actus cognosceret extrema ipsa, sed actus cognoscens identitatem, cognoscit etiam extrema, inter quæ ipsa versatur; similiterque est de actu cognoscēte distinctionē: ergo actus cognoscens identitatem, aut distinctionē extremorū vnus & simplex est. Min. prob. identitas inter extrema est vnū esse aliud & distinctio vnum non esse aliud: ergo implicat cognitio identitatis, aut distinctionis, quin sit cognitio extremorum.

3159 Et si dicat quis, quod, dum cognosco extrema duobus actibus, aut vno, postea non cognosco vnico actu identitatem ipsorum, sed solum cognosco identitatem, vt cūque, eamque his extremis applico. Contra est: quia post apprehensionem Petri, & animalis, non cognoscitur cognitione alia correspondente particulę *est* identitas, vtcumque, sed ipsorum identitas: ergo falsa est solutio: probo antecedens ea identitas cōcipitur, vt Petro, & animali applicetur, quę ipsa posit idē tificare; sed sola identitas quæ inter ipsa reperitur, ea extrema identificare valet: ergo sola ea concipitur, & non identitas vtcumque.

3160 Secundo prob. conclusio nostra: quia iudicij actus non potest in multiplici actu consistere, sive ex multis actibus componi: ergo consistit in vno simplici: consequentia est optima; quia medium inter vtrūque non est. Antec. vero prob. quia actus iudicij nec componitur ex duobus, nec ex tribus actibus: ergo nullatenus est ex multiplici actu compositus: consequentia apud adversarios ipsos est bona. Anteced. prima pars probatur cōtra Vazquez, & alios asserentes iudicium componi ex duobus actibus, quorum vnus concipiat subiectum, vt conveniēs prædicato, alter prædicatū, vt conveniens subiecto, contra prædictos inquā probatur prima antec. pars primo: quia posita apprehensione subiecti, vt cōveniētis prædicato, & altera prædicati vt convenientis subiecto, adhuc iudiciū non datur: ergo iudiciū non consistit in duplici dicta apprehensione Prob. antec. quia dum quis iudicium suspendendo totum hoc cōplexū apprehēdit *Petrus est albus*, vt quæstione præcedēti dicebamus, concipit prædicatum vt conveniens subiecto, & subiectum vt conveniēs prædicato, & tamen non datur iudicium: ergo ille non consistit in duplici dicto actu. Confirmatur, quia vterque ille actus est apprehensio simplex non autem potest capi, quomodo duplex simplex apprehen-

hensio, absque vllo addito, vnum componat iudicium, quod in modo tendendi valde ab apprehensione est diversum. Confirmatur iterum, quia aut duplex ille actus habet efficaciã, sive assleverationem iudicij propriã; aut eam non habet: si non habet; ergo iudicium non in eis actibus consistit; si eam habet: ergo superfluit vnus actus illorum; & consequenter iudicium in vnico consistit. Probatur consequentia: quia apprehensio, seu cognitio prædicati, vt convenientis subiecto, eo ipso, quod sit efficax, & assleverans, est iudicium; ergo superfluit cognitio subiecti, vt convenientis prædicato. Antecedens probatur; tum quia iudicium non in alio consistit, quam in assleveratione, qua dicitur prædicatum convenire subiecto. Tum etiam, quia, dato, quod iudicium etiam affirmaret subiectum convenire prædicato id fieret per primum illum actum; quia, sicut vnio nequit intelligi vnire materiam cum forma, quin intelligatur vnire formam cum materia, sic nec intelligi poterit actus affirmans convenientiam, & identitatẽ prædicati cum subiecto, quin per ipsum identitas subiecti cum prædicato intelligatur affirmata. Secundo probatur eadem antecedẽtis pars prima: quia, cum Petrum esse sanum volo, hæc volitio non componitur ex duplici volitione, quarum altera velit Petrum cum ordine ad sanitatem, & altera sanitatem cum respectu ad Petrum: ergo similiter iudicium duos intellectus actus nõ postulat, sed in vnico indivisibili consistit.

3161 Probatur modo secunda positi antec. pars contra Suarez, & alios: quia potest dari apprehensio subiecti, copulæ, & prædicati, quin detur iudicium: ergo iudiciũ in triplici apprehensione non consistit. Antec. prob. quia cum successive audio propositionẽ vocalẽ, tres apprehensiones facio subiecti, scilicet, copulæ, & prædicati: & tamen si materia est mihi dubia soleo nõ ferre iudiciũ, vt constat experientia ipsa: ergo dari potest triplex dicta apprehẽsio, quin iudicium detur. Sed dices, quod ad hoc, vt illæ apprehensiones constituant iudiciũ, requiritur, quod aut vniantur physice, aut apprehensio copulæ informet apprehensionẽ subiecti; quod, cũ nõ contingat semper, ac sunt simul in intellectu, non semper, eis positis, datur iudiciũ. Sed contra est; quia iuxta hanc solutionẽ aliquando erunt dictæ apprehensiones in intellectu inunitæ, & quin vna informetur alia, aliquando vnitæ, & vna per aliam informata: quod omnino est incredibile; plures namque non intelligunt, quomodo vnio ista aut informatio possit dari, quãto autem magis inintelligibile erit, quod existentibus dictis apprehensionibus in intellectu, modo detur, modoque non detur vnio illarũ, aut informatio? certe hoc sine vllo fundamento videtur confictum.

Soluuntur argumenta.

3162 Contra nostram tamẽ conclusionem obijcies primo. Vnus

intellectus actus non potest plura, vt plura attingere sive cognoscere; sed sæpe indicium plura attingit diversa valde: ergo non potest esse vnus indivisibilis actus, sed ex pluribus necessario componitur. Ad hoc argumentum responderi poterat, quod iudicium non possit plura attingere ita diversa, quod non habeant aliquam vnitatem, sub qua attingantur. Sed respondeo adhuc, quidquid sit de ista solutione, negando maiorem contra plures Thomistas, si enim vno visionis actu plura, vt plura attingi possunt, cur à fortiori vnico intellectus actu plura, vt plura attingi non poterunt? Si respondeas vnico visionis actu non posse plura, aut plura attingi; quia semper, vt possint attingi, debent aliquam inter se habere vnionem, aut connexionem, inquiro à te, quam habeat vnionem, & connexionem Equus albus, & Bos rubrus, qui distant inter se per viginti passus; videtur quod nullam. Sed vnica visione videri possunt: ergo solutio est nulla. Dices aliquam vnionem habere, quia scilicet sunt intra sphæram potentiæ visivę. Sed contra sic argumentor: quia, si ista vnitas sufficit, nulla dabuntur obiecta adeo diversa, disparata, & inconnexa, quæ non possint vnum actum intellectus terminare; quod probo: quia per te in potentia materiali sufficit vnitas consistens in eo quod plura obiecta sint intra eandem potentiæ visivæ sphæram: ergo similis vnitas suficiet, vt plura attingantur ab intellectu, qui perfectior, & spiritualis est; sed nulla dantur obiecta adeo diversa, inconnexa, & disparata, quæ non habeant vnitatem consistentem in eo, quod & contineantur intra obiectum specificativum intellectus, & intra sphæram activitatis illius: ergo, si subsistit solutio data, nulla dabuntur obiecta ita diversa inconnexa, & separata, quæ non habeant vnitatem sufficientem, vt possint eundem intellectus actum terminare.

3163 Secundo obijcies, propositio vocalis est imago propositionis mentalis: sed vocalis tribus vocibus constare solet: ergo mentalis tribus conceptibus. Resp. propositionem vocalem imaginem esse mentalis, esse tamen imaginem diversę rationis valde; cum vna sit materialis, alia spiritualis. Vnde mirum etiam non est, quod altera simplex, altera composita sit, quamvis simplex omnia ea repræsentet, quæ composita.

3164 Sed contra vtriusque prędcedentis argumenti solutionem replicabis: non potest vna eademque imago physica plures, & diversas res repræsentare, v. g hominem, & equum: ergo neque intentionalis: ergo vt propositio mentalis repræsentet subiectum, copulam, & prædicatum tribus actibus constare debet. Respondeo negando consequętiam primam, quia imago intentionalis est diversę, & superioris rationis; non enim repræsentat obiectum per hoc, quod in se habeat accidentia similia accidentibus obiecti, sed per hoc, quod eius diversa na-

natura in essendo est instituta, vt sit ipsum obiectum in repræsentando, & conformius est experientiæ, vt *numero* 3162. Videbamus, quod vnus actus plura obiecta possit repræsentare, quam, quod ad vnum tantum sit alligatus.

3165 Tertio obijcies. Discursus, sive tertia intellectus operatio componitur ex pluribus propositionibus: ergo & propositio, quæ secunda est operatio ex pluribus apprehensionibus. Respondeo negando consequentiam; dato enim, quod discursus non consistat in vno solo iudicio mediato, videlicet, in conclusione, vi præmissarum, deducta, est disparitas in consequenti, quia discursus non habet aliam diversitatem in modo repræsentandi à tribus propositionibus, nisi tantum, quod ad vnius assensum moveatur intellectus ex alijs. Vnde, positis duabus, ea dispositione, vt moveatur ad tertiam, in tribus, absque vllo superaddito, consistit discursus, cum vero propositio valde diversum modum repræsentandi habeat, ac tres simplices apprehensiones, quocumque modo illæ ponantur, in actu ab eis distincto, nonque ex eis composito, consistere debet.

3166 Quarto obijcies, iudicium humanum differre debet à divino & Angelico: sed ista sunt qualitates simplices: ergo humanum iudicium debet esse ex pluribus apprehensionibus compositum. Respondeo concedendo maiorem, & minorem, & negando conseq. quâvis enim iudicium humanum ex apprehensionibus non componatur, potest differre à divino, & Angelico, primo: quia divinum vnico iudicio omnia iudicabilia attingit; Angelicum vero, & si non omnia, multo plura, quam humanum, & præterea multo perfectius; non parva certe est ista differentia. Deinde differunt, quia, quâvis humanũ non constet apprehensionibus, eas tamen prævias supponit, non sic divinum, & Angelicum.

3167 Inquires tamen, an ita vera sit disparitas secunda numeri præcedentis inter iudicium humanum, & Angelicum, vt iudiciũ humanum nunquam detur, sine apprehensionibus prævijs, & iudicium Angelicum nunquam prævijs indigeat apprehensionibu. Respondeo dictam disparitatem veram esse regulariter; non tamen ita vniversaliter, vt aliquando humanum iudiciũ non possit sine prævijs apprehensionibus dari, atque etiam Angelicum aliquando prævias apprehensionis supponat: prima responsionis pars constat, quia eatenus ad iudicium humanum necessario præeunt apprehensiones aliquæ simplices, quatenus pleraque quæ cognoscit, ita sunt intellectui nostro, pro hoc statu, obscura, vt non statim, ac in illa incidit intellectus, possit de illis iudicare, sed prius ea tantum apprehendat, deinde ad iudiciũ gradum faciat: sed sunt aliquæ res adeò clarę, vt statim, ac intellectus in eas incidit, possit de eis iudicare; ergo

ergo dabuntur aliqua iudicia, ad quæ prævia apprehensiones non sint necessariæ. Minor, in qua est difficultas, constat: quia hoc principium: *Quodlibet est vel non est: nequit aliquid simul esse & non esse: numerus quaternarius est maior ternario.* Adeo sunt clara, vt, postquam intellectus in ea incidit, non videatur posse dari mora vlla in iudicando, aut vllus dubitandi locus: dantur ergo res adeo claræ, vt intellectus ad iudicandum de illis prævia apprehensione non egeat.

3168 Secunda responsionis nostræ pars similiter probatur. Angelus ea ratione cognoscit frequenter sine prævijs apprehensionibus, quia res, quas cognoscit, sunt ipsi adeo claræ, vt statim, ac in eas incidit, possit iudicare; sed sunt res aliquæ, quæ ipsi Angelo sunt satis obscuræ, & de quibus non sine difficultate iudicare potest: ergo dantur casus, in quibus apprehensiones simplices præire iudicium Angelicum oporteat. Minor constat; quia mysteria Fidei, futura plura contingentia, secretaque cordium valde sunt abdita intellectui Angelico, valdeque difficile ab eo cognoscuntur; & multoties obscure, aut tantum probabiliter, & aliquando nullatenus: plura ergo dantur, ad quorum iudicium habendum præ difficultate sua Angelum oporteat habere prævias apprehensiones. Confirmatur: quia dum Angelo proponatur mysterium aliquod Fidei, vt libere illud credat, pro priori naturę illud debet apprehendere simpliciter; aliter enim dum se determinaret ad credendum nesciret; ad quid credendum se determinabat vnde non libere crederet; in eo ergo casu prioritate naturæ præcedere apprehensionem simplicem ad iudicium in Angelo necessarium est.

3169 Contra primam ergo partem nostræ responsionis allatæ *numero* 3167. obijcies primo. Cognitio intellectiva necessario pendet à sensitiva saltim interna; ergo cognitio sensitiva præcedit, & illuminat ad intellectivam; sed eius imperfectio postulat, vt non illuminet adiudicativam immediate; ergo solum media intellectione apprehensiva, ac proinde ista semper, & necessario præcedit iudicativam. Secundo si daretur iudicium sine apprehensionibus prævijs, talis iudicij actus rem apprehenderet simul, & iudicaret; sed hoc dici nequit: ergo nec, quod detur iudicium sine prævijs apprehensionibus. Minor probatur: quia tale iudicium esset iudicium formale, vt omnes supponunt, & non esset iudicium formale, sed solum virtuale, sicut actus, qui simul est assensus præmissarum & conclusionis, non formalis, sed virtualis discursus appellatur. Tertio amor semper dependet à cognitione; ergo & iudicium ab apprehensione. Quarto conclusio, vt talis, necessario præsupponit præmissas, ergo & iudicium apprehensiones. Quinto cognitio apprehensiva præsupponit speciem impressam necessa-

ratios ergò & cognitio iudicativa apprehensivam.

3170 Respondeo ad has obiectiones: ad primam concedendo cõsequentiam, & negando minorem subsumptam: quod enim omnis intellectio pendeat à sensatione, petit status præsentis vitæ; quod vero ea ad iudicium semper dirigat media apprehensione, & nunquam possit immediate nulla ratione convinci potest; quia sicut non est contra imperfectionem apprehensionis, quod, & si dirigat ad amorem, medio iudicio, possit ad illum immediate etiam dirigere, sic nec contra sensationis materialis rationem, quod aliquando etiam immediate ad iudicium intellectum excitet, & dirigat. Ad secundam obiectionem respondeo, negando minorem. Ad cuius probationem nego secundam cõtradictionis partem: ad paritatem vero dico, discursum formaliter cõsistere in multiplicitate actuum, non vero iudicium: vnde non mirum, quod, multiplicitate actuum ablata non maneat discursus formaliter, quamvis formaliter maneat iudiciũ, omni actuum multiplicitate secluſa. Ad tertiam nego consequentiam, quia, cum voluntas sit potentia cœca, non mirum, quod, omnimoda necessitate, petat cognitionem. cum vero intellectus non sit cœcus potest, obiecto per sensationem proposito, aut per speciem impressam, illud apprehendere, aut, cum nimis clarum est, statim iudicare. Ad quartam respondeo; conclusionem, vt talem, idem esse, ac secundum, quod præmissis medijs ei intellectus assentitur; vnde non mirum, quod, vt talis, eas supponat: vnde solum infertur, quod iudicium si tale diceretur, secundum quod apprehensiones supponit, eas, vt tale, supponeret necessario; cum vero iudicium non dicatur tale, prout apprehensiones supponit, sed secundum suam substantiam, quæ, etiam sine ea suppositione, aliquoties salvatur, non semper illud præcedere debent apprehensiones. Ad quintam denique respondeo negando consequentiam; quia species concurrit partialiter effective ad cognitionem, apprehensio vero, adhuc quando datur, effective ad iudicium non concurrit, sed determinativè, & illuminativè, quod suppleri potest ob obiecti claritatem.

3171 Hic pro coronide inquirit R. quidam ex nostris vtrum propositio hypothetica sit qualitas composita, hisque respondet verbis [relictis varijs dicendi modis. Resolutorie dico propositionem hypotheticam esse compositam ex pluribus iudicijs: quod sic probo: propositio hypothetica est illa, quæ constat ex duabus propositionibus cathegoricis: sed quælibet propositio cathegorica dicit vnum iudicium: ergo propositio, quæ ex duabus cathegoricis constat componitur ex duobus iudicijs.] Ego vero resolutorie etiam dico propositionem hypotheticam esse simplicem qualitatẽ & simplex vnum iudiciũ; probo me-

re-

resolutionem in primis in propositione conditionali, quæ solum hypothetica proprie est, quia propositio conditionata affirmat, vt talis connexionem antecedentis cum cõsequenti; sed ista connexio vnico actu non minus attingitur, quam identitas simplicis prædicati cum simplici subiecto: ergo non minus simplex qualitas est propositio conditionalis, quam cathegorica quævis. Deinde probatur resolutio in copulativis, & disiunctivis, quæ ex communi vsu, etiam hypotheticæ dicuntur. Quia propositio copulativa, quod vtraque cathegorica affirmat, coniungit, & disiunctiva similiter disiungit: ergo salvatur in actu disiunctionem, aut coniunctionem concipiente; cum ille necessario etiã concipiat, quæ coniungit, aut disiũgit, extrema. Adverte tamen, quod, sicut actus terminatus ad identitatem cum asseveratione, habet totam iudicij essentiam, quia etiam extrema necessario attingit; hoc tamen non obstante, solet extremorum apprehensio præire: sic quamvis iudicium terminatum ad copulam propositionis hypotheticæ attingat etiam propositiones cathegoricas, non tollit hoc, quod illarum distincta iudicia præcedere soleant.

3172 Nec obstat fundamentũ, quod affert R. prædictus; insto enim illud in propositione cathegorica, propositio cathegorica constat ex pluribus terminis, sed quilibet terminus dicit vnam apprehensionẽ: ergo propositio cathegorica, quæ pluribus terminis constat, dicẽda est constare ex pluribus apprehensionibus: tenetur ergo, sicut & Nos R. argumentum suum solvere. Pro omnibus ergo respondeo, propositionem cathegoricam componi ex pluribus terminis virtualiter distinctis, quia, quamvis sit vna simplex qualitas realiter, est triplex virtualiter, sive formaliter, quatenus triplicis obiecti est attactiva. Præterea dici potest, quod componitur ex pluribus terminis extrinsece, videlicet, quia plures simplices apprehensiones præcedunt, ab eisque incipit iudicium; & si resolvatur, possunt iterum plures apprehensiones remanere, quamvis formaliter ipsa propositio eas apprehensiones non includat. Ea autem solutio applicanda est similiter ad propositionem hypotheticam. Est tamen sermo de mentalibus; nã vocales iam constat omnibus, quod cõpositæ sint, terminis, aut propositionibus. Vnde poterat alia solutio parum diversa cogitari dicendo cõpositionem ex pluribus terminis, aut propositionibus locũ habere in vocalibus non in mentalibus.

QVÆST. IX.

De tertia intellectus operatione.

3173 TErtia intellectus operatio discursus est, de quo plura in Summulis, & in Logica parva, restãt tamen adhuc aliqua modo tradenda. Primo ergo hic sciendum est, quod cũ dis-

discursus sit per methaphoram trãslatus à cursu physico, sive discursu, quo quis de vno loco transit in aliũ, est transitus, sive cursus, quo intellectus de vno actu in alium transit; est tamen advertendum, quod cũ ea translatio facta fuerit ad libitũ, vsusque communis discursus nomẽ cursui, quo intellectus de vno, aut pluribus iudicijs in aliud transit, applicaverit, nonque cursui, quo transit de vna apprehensione ad aliam, sive etiam ad iudicium, solum transitus de vno iudicio, aut pluribus ad aliud discursus proprie, & tertia intellectus operatio est dicendus: quamvis cursus ab apprehensione vna ad aliã sive etiam ad iudicium improprie discursus possit nominari, & proprie posset, si nominis translatoribus placuisset.

3174 Secundo sciendũ est discursum alium esse formalem, qui cõsistit in pluribus iudicijs distinctis, de quorum alijs ad aliud fit transitus, huic assentiẽdo propter illa: virtualem aliũ, qui, videlicet, est actus, obiecta omnia cognoscens, quæ in discursu formali continentur, ita vt quamvis vnus realiter actus sit, assentiatur tamen obiecto præmissarũ propter se, & propter ipsum obiecto conclusionis. Huiusmodi discursus improprie discursus est; ratio est, quia communis sententia discursum proprium solum iudicat esse vbi realis actuum distinctio reperitur, cumque istud nomen pro libito fuerit translatum; ad intellectus actus, & numero præcedenti dicebamus, solum illis proprie conuenire credendum est, quibus communiter à Doctoribus tribuitur. Difficultas tamen est, an eiusmodi virtualis discursus non solum reperiatur semper in Deo, frequenterque in Angelis, sed etiam aliquando in hominibus possit reperiri. In qua difficultate prima sententia est negativa, quam tenet Izquierdo *disp. 2. q. 4. prope 1 n. 288.* eãque tenent apud Lincæum *lib. 7. metaph. tract. 4. cap. 6. num. 59* Connimbricenses Aversa, Gregorius, & Marsilius. Secunda vero sententia est affirmativa, quam tenet Franciscus Alphonsus *disp. 14. de anim. sect. 4. num. 37.* & Lincæus *cap. 5. num. 50.* citans pro ea Divum Thomam, Caietanum, Capreolum, Tellez, plureſque alios.

3175 Sententiam affirmativam asserẽtemque nobis possibilem discursum virtualem, sive actum, qui, cum vnus sit, omnia ea attingat, quæ per tres actus vnum componentes syllogismum attingi solent, veriorem iudico. Illam probo primo, quia, quamvis plerumque apprehensiones simplices circa rem iudicatam præcedant iudicium, solet aliquando contingere, quod intellectus iudicet de re aliqua, sine apprehensionibus prævijs, simul vnico actu rem epprehendendo, & iudicando: ergo similiter contingere potest, quod quamvis frequenter, aut plerumque assensus conclusionis indigeat assensibus distinctis præmissarum vt prælucentibus ad ipsum aliquando tamen, propter ma-

materiæ claritatem, aut quia ex se clara, aut quia studio nimis penetrata, non indigeat actibus distinctis prælucentibus, sed vnico actu id omne intellectus attingat, quod tribus actibus attingere solet. Certe rationis paritas, & quod nulla in consequenti repugnantia detegatur verisimilem facit consequentiam.

3176 Secundo probo sententiam quam veriorem iudicavi; propositio conditionalis quæ ex duabus categoricis componitur est semper indivisibilis qualitas, vnusque simplex actus: ergo argumentatio, sive rationalis propositio, quæ etiam ex duabus aut tribus propositionibus composita esse solet, aliquando poterit esse simplex qualitas, vnusque simplex actus omne id complectens, quod duobus tribusvè iudicijs communiter attingi solet. Probatur consequentia; quia quamvis propositio rationalis plura contineat, quam conditionalis, difficiliusque eius obiectum vno simplici actu possit attingi, quia, videlicet, non solum affirmat connexionem consequentis cum antecedenti, sive præmissis, sed etiam præmissarum veritatem, tamen hæc difficultas, quam ista superaddit, non videtur esse tanta, vt id, quod in conditionali semper contingit, non possit aliquando in rationali, sive argumentatione contingere, præsertim difficultate diminuta ob materiæ claritatem.

3177 Circa discursum autem formalem est difficultas, quomodo, quavè prioritate assensus præmissarum præcedere debeant conclusionis assensum. Circa quod dubitari non potest, quod aliquando, tempore, conclusionis præcedant assensum assensus præmissarum. Sæpe enim paulatim procedit intellectus noster, primoquè vnius præmissæ assensum efformat, postea alterius, ac deinde temporanea successione ad conclusionis assensum progreditur, quod ex rei difficultate, & nostri intellectus tenuitate proficiscitur, qui in rebus non paucis non potest ita facile discurrere, vt statim in eodem temporis instanti assensus præmissarum, & conclusionis possit obtinere, sed temporis intervallo, capitisque defatigatione. Difficultas ergo est, an aliquando saltim intellectus assentiatur præmissis, & conclusioni in eodem temporis instanti, sola prioritate naturæ intercedente, inter assensus præmissarum, & conclusionis assensum.

3178 In hac ergo difficultate affirmativam sententiam teneo cum Lincæo, & cæteris, præter Thomistas, contra eorum non paucos apud ipsum Lincæum *cap.* 10. probatur autem: quia, quod simul tempore sint assensus præmissarum, & conclusionis, nec obstat causalitati præmissarum in conclusionem, nec est supra perfectionem intellectus humani: ergo ex nullo negari potest capite, quod detur. Antecedens, quoad primam partem, probatur, quia non potest esse maior, au-

stri

ſtrictior cauſalitas præmiſſarum in concluſionem, quam ſolis in lucem, ignis in calorem, ſed ignis calorem, & ſol lucem cauſant ſtatim, ac exiſtunt, ſolumque reſpectu eorũ prioritatem naturæ habent: ergo ſimiliter præmiſſæ, ſive illarum aſſenſus cauſare poterunt aſſenſum concluſionis in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti cum ſola naturæ prioritate ad ipſum. Secunda etiam antecedentis pars probatur, quia facilius eſt, quod intellectus ſimul tempore habeat aſſenſus præmiſſarum, & aſſenſum concluſionis, quam, quod vnico indiviſibili actu præmiſsis, & concluſioni aſſentiatur; ſed poſterius eſſe poſsibile probavimus iã; ergo & alterum poſsibile erit, immo & frequentius continget. Maior, in qua eſſe difficultas poterat, ſine difficultate eſt; facilius enim plura diverſis actibus ſimul cognoſci poſſunt, quam vnico: priuſque multi admittentes, ſecundum ſive poſterius negant; facilius ergo eſt, quod intellectus ſimul aſſenſus præmiſſarum, & concluſionis habeat, quam, quod vnico aſſenſu omnium obiecta complectatur.

Soluuntur argumenta.

3179 Contra primæ difficultatis reſolutionem obijcies primo: aſſenſus concluſionis dependet ab aſſenſu præmiſſarum; vtpote, quia concluſioni propter præmiſſas aſſentimur, ſed vnus actus non poteſt dependere à ſe ipſo: ergo non poteſt vnus actus eſſe aſſenſus ſimul concluſionis, & præmiſſarum. Reſpondeo maiorem veram eſſe quando aſſenſus concluſionis, & præmiſſarũ ſunt diſtincti actus; non tamen, quando ſunt vnus actus: tunc vero poterit intellectus dici aſſentiri cõcluſioni propter præmiſſas, ly *propter* denotante connexionem obiectorum non tamen actuum cauſalitatem. Secundo obijcies: actus ille eſſet diſcurſivus, quatenus in obiectum concluſionis ferretur; & non eſſet, videlicet, quatenus tenderet in obiectum præmiſſarum. Reſpondeo primo eas propoſitiones cum de diverſis formalitatibus prædicatum enuncient, non fore contradictorias. Secundo etiam reſpondeo illum actum, adhuc ſecundum quod in concluſionem tendit, nõ fore diſcurſivum formaliter, ſed ſolum eminenter.

3180 Tertio obijcies: quod ex noſtra ſententia ſequeretur vnum actum poſſe eſſe clarum, & obſcurum: naturalem, & ſupernaturalem; ſupernaturalem, & falſum: ſed hæc omnia nequeunt admitti: ergo nec actus vnus totũm obiectum ſyllogiſmi formalis attingens. Sequela maioris videtur clara; cum poſsit dari ſyllogiſmus conſtans vna præmiſſa clara, alia obſcura: vna naturali, alia ſupernaturali: vnaque etiam ſupernaturali, & alia falſa. Reſpondeo in primis ſequelã forsã quoad aliqua poſſe admitti: quia tamẽ tangit difficultates vix in Theologia ſuperabiles, modo nec obſtet

de

de illis oportet loqui: in suis enim materijs fusse res tractando vix poterit quod satisfaciat dici: quapropter ad argumentum respondeo: non ex cognitione indivisibili cuiuscumque syllogismi inferri posse sequelas, quas argumentum infert. Vnde solum potest convinci, quod syllogismi formales, ex quorum attingentia per simplicem actum sequitur aliquid ex dictis in maiori, quod admitti non possit; non possint vno actu simplici attingi, sive comprehendi: non tamen quod alicuius syllogismi formalis obiectum vnico actu attingi non possit; cum plures formales syllogismi inveniãtur, ex quorum attingentia per simplicem actum nihil non admittendum sequatur.

3181 Quarto obijcies; si daretur actus vnus totum syllogismi obiectum complectens, daretur etiam habitus ad huiusmodi actus inclinans: sed hoc est falsum: ergo nõ potest dari talis actus probatur minor, quia si talis habitus daretur distinctus ab habitu inclinãte ad assensus præmissarum tantum, & ab habitu inclinante tantum ad assensum conclusionis, pro diversis combinationibus possibilibus actuum deberent assignari diversi habitus, qui ad actus indivisibiles equivalentes tamẽ diversis combinationibus deservirent; cumque diversorum actuum combinationes sint infinitę possibiles, infiniti acquisiti habitus deberent admitti: quod, cum non sit dicendum, nec dici debet, quod sit possibilis habitus ad actus de quibus nobis est sermo in præsenti difficultate.

3182 Respondeo tamen, quod, quamvis habitus inclinans ad assensus præmissarum, & habitus inclinans ad conclusionis assensum sint distincti, & ad distinctos actus dent facilitatem, verisimile tamen est, quod aliquam præstent facilitatem, & inclinationem ad actum, qui simul sit conclusionis, & præmissarum assensus; sicut quamvis vterque habitus det facilitatem ad actus proprios seorsim ab alijs eliciendos, simul tamen facilitatem præstat ad eos eliciendos simul cum alijs: tamen, cum ille actus, qui simul esset assensus conclusionis, & præmissarum maiorem habeat difficultatem, videtur etiam verisimile, quod per multiplicationem actuum similium produceretur etiam habitus vnus ad eos actus, qui simul essent conclusionis assensus, & præmissarum. Vnde minor argumenti est neganda; ad cuius probationem dico possibiles esse infinitas actuum combinationes: cum tamen actus indivisibiles, qui eis æquivaleant raro fiant, paucissimi eius generij habitus producuntur: inconveniens autem non est, quod infiniti habitus acquisiti sint quasi Methaphysice possibiles, si simul dicatur de facto pauciſsimos dari, aut vix vllum, & possibiles etiam esse pauciſsimos morali possibilitate, & ad actum re-

reducibilia vide Ripald. *lib. 3. de ent. superuac. disp. 47. sect. 2.* citatum à Lynceo.

3183 Contra resolutionem autem secundæ difficultatis huius quæstionis numero 3178. exhibitã, & probatam obijcies primo: discursus intentionalis ita dicitur per analogiam ad physicum, & localem discursum: sed ille successive fit, & vnas partes necessario habet post alias: ergo similiter fiet discursus intentionalis. Respondeo discursum intentionalem, cum spiritualis sit, multo eminentiorem esse, vnde, & plura respicere potest simul, quam physicus, & sine temporanea successione salvari: ad impositionem namque nominis, seu translationem sufficit aliqua similitudo, & convenientia, quamvis aliunde magna differentia, & disparitas inveniatur, vt omnes tenentur confiteri.

3184 Secundo obijcies: discursus est modus sciendi: ergo in eo proceditur à notis ad ignota: ergo præcedit in eo notitia præmissarum conclusionis notitiam. Si enim simul vtraque esset, in nullo instanti essent notæ præmissæ, in quo conclusio esset ignota, & consequenter à notis ad ignota non procederet. Respondeo sufficere ad modum sciendi, quod procedatur à notis ad ignota præcisive, hoc est, quod notitia præmissarũ quamvis in nullo sit instanti, in quo non sit notitia conclusionis, sit saltim pro aliquo naturæ signo, pro quo non est conclusionis notitia: hoc autem sufficere admodum sciendi constat in definitione; quando enim vnica propositione dico: *Homo est animal rationale*: verè definio hominem, quin sit necessarium, quod prius tempore hominem, qui est definitum, cognoscam, vt à noto ad ignotum transeam, modo admodum sciendi requisito. De tota huius quæstionis materia. Vide Lynceum latè disputantem *lib. 7. Metaphysic. iam cit. tract. 4. cap. 5. 6. 7. atque etiam* 10.

QVÆSTIO X.

De cognitione quidditativa, intuitiua, & abstractiua.

3185 DIVISIMVS Actus intellectus in tres illius operationes, quamlibet tamẽ operationem etiam in diversa membra subdivisimus *in 2. 3. & 4. Sumul. disp.* aliq etiam divisiones ex ibi, & in Logica, dictis sunt claræ: cõstat enim ex dictis in Logica quid sit actus practicus, quidq, speculativus: quid actus evidens, quidque opinativus: similesque aliq divisiones sunt claræ: quapropter modo, solũ sunt percurrendi aliqui actus, in quib⁹ potest adhuc aliqua remanere difficultas, qui sunt quidditativus, intuitivus, & abstractivus, & cõprehensivus; circa cognitionẽ ergo intuitivam, & quidditativã nihil firmũ asseri potest; cum, quę cognitio intuitiva, & quiddita-

tiva dicatur, pendeat potius ex authoritate, quam ex ratione: cumque Doctores circa id valde discordes sint, non bene possunt res concordari. Communiores acceptiones tradam, in DD. referendis non immorando, ne plus iusto in re parvi momenti pretiosum tempus insumam.

3186 Igitur dicunt aliqui cognitionē quidditativam non esse quācumque quidditatis cognitionem, sed tantummodo eam, qua quidditas clare immediate, & in se cognoscitur. Alij vero per oppositum iudicāt cognitionem quamcumque quidditatis, sive sit clara, sive obscura, sive per proprias species, sive per alienas, sive in se, sive in sua causa, aut effectu, esse quidditativam. De nomine quæstio in qua nihil potest comperiri. Videtur secunda sententia rationi consentaneor, cum magis æthimologiæ nominis videatur acommodari: vnde iuxta secundam sententiam, dum in hac vita cognoscimus Deum esse volitiuum, intellectivum. Omnipotentem, ipsum quidditative cognoscimus iuxta primam vero non. Vnde ista quæstio etiam de nomine est, cum à prima, quæ de nomine est, omnino dependeat.

3187 Circa intuitivam cognitionem non est minor diversitas inter Authores, nec magis de re: vnde & breviter est ditimenda. Dicūt ergo alij cognitionem intuitivam eam esse, qua res cognoscitur in se, sive per species proprias, vt existens in alipua differentia temporis. Alij vero existimant non sufficere, quod dicto modo intelligatur res existens in aliqua temporis differentia; sed determinatē, vt existentem de præsenti cognosci debere, dicunt. Vnde iuxta vtrumque modum dicendi Angelus à nobis non cognoscitur intuitive, sed abstractive, quia non in se, & per proprias species cognoscitur. Res autem præterita, quæ sui in memoria reliquit speciem, iuxta primum dicendi modum cognoscitur intuitive, quia & cognoscitur per propriam speciem, & cognoscitur, vt existens in aliqua temporis differentia, scilicet, præterito tempore iuxta secundum vero non intuitive, sed abstractive cognoscitur, quia non cognoscitur, vt præsens. Cōmunius etiam secundus dicendi modus, non solū petit, quod res cognita sit præsens, hoc est, de tēpore præsenti existat; sed quod sit præsens, hoc est debite potentię applicata, ita videlicet, vt cognoscatur per propriā speciē, non solū, quę ab ipso producta in memoria conservetur, sed etiā quæ actu ab ipso producatur, aut conservetur. Vnde etiam cognitio rei absētis, quę modo existit, & cognoscitur per speciē conservatam in memoria, quę tamen ab ipso, dum præsens erat, derivata fuit, non dicetur iuxta secundum modum notitia intuitiva.

3188 Cum tamen circa cognitionē intuitivam quæstio etiam de nomine sit parum refert de ea iudiciū ferre iudico tamen verisimilius esse, quod secundo modo sit explicā-

& cognitio intuitiva, vt communiter illa explicant Thomistæ. Etsi dicas, quod cognitio Dei futurorũ, & præteritorum dici solet cõmuniter intuitiva: ergo ad eam sufficit cognitio rei existentis in aliqua differẽtia temporis, & non est determinate necessarium, quod cognoscatur, vt præsens. Resp eam cognitionẽ vocari cõmuniter intuitivã, quia Thomistæ, qui secundam explicationem cognitionis intuitivæ tenent, communius existimant res præteritas, & futuras æternitati coexistere, & præsentes esse: vnde possunt à Deo vt existentes cognosci, & consequenter intuitive. Si vero eam præsentiã in æternitate negemus dici poterit Deũ intuitive cognoscere res futuras, nõ quia cum proprietate eas intuitive cognoscat, sed quia in Deo illa cognitio non est minus clara, & manifesta, ac cognitio rerum præsentium, existentiumque.

3189 Cognitionem abstractivam communiter DD. vsurpant opposito modo ad intuitivã: vnde quælibet cognitio, quæ intuitiva non est, abstractiva erit. Lynceus vero addit, etiam sumi solere, prout opponitur quidditativę, hãc tamen acceptionem ego in alijs non video, raroque iudicio in ea acceptione vsurpari; quæstio tamẽ similiter est de nomine, ideoque cum multis potius, quam cum Lynceo loquendum. Nec aliud obseruandum restat circa cognitionem abstractiuam.

3190 Circa notitiam tamen intuitiuam est primo difficultas, an diuinitus dari possit notitia intuitiua rei absentis, aut non existentis. Vidimus disputatione præcedenti, quod obiectum absens, aut non existens videri possit, vt existens, & præsens: vnde solum quæstio esse potest, an talis notitia, siue visio dicenda sit intuitiua, quæ quæstio profecto de nomine est non minus clarè, quã aliæ, quæ circa acceptionẽ notitiæ intuitiuæ & abstractiuæ sunt iam in hac quæstione resolutæ; cum sit certum, quod ea cognitio sit intuitiua, si cognitio intuitiua solũ dicatur petere quod obiectum cognoscatur, vt præsens, & existens, & certum etiam, quod intuitiua non sit, si petat, quod obiectum non solum cognoscatur, vt præsens, & existens, sed etiam, quod de facto, & in re illud existat. In qua quæstione de nomine mihi videtur probabilior sententia affirmans illam cognitionẽ esse intuitivã; quia illa cognitio non est diuersa ex eo, quod obiectũ non existat, ac esset, si existeret; ergo non habet diuersã essentiã. & consequenter, si existente obiecto esset apud omnes intuitiua, cur eo non existẽte, dicẽda est abstractiua. Quapropter solũ erit falsa, si obiectũ non existat, vera si existat: quia veritas, & falsitas partialiter in obiecto consistunt; cum tamen, quod cognitio sit intuitiua verisimilius consistat in modo repræsentandi, verisimilius etiã obiecti solius variatio eam variare nõ sufficiet. Nec aliquid obest, quod in casu posito species cũ à solo Deo producatur, aut etiã sine spe-

ciei productione, suppleatur eius concursus, non potest dici, quod obiectum videatur per propriã speciem. Nã contra est: quod si à Deo producatur species ipsa quæ ab obiecto erat producenda, iam erit species propria, cum sit ea, quam ipsum produceret, si existeret; & quidquid de nomine sit non potest dici, quod in re nõ sit idem ac propria. Deinde sive illa species dicenda sit propria, sive non, sive etiá Deus sine specie concurrat, illa visio fiet per speciem propriá æquivalenter, quod cũ sufficiat, vt eadem numero visio evadat, ac si subiectum præsens esset, nõ est, cur etiam non sufficiat, vt intuitiva eodem modo, ac si obiectum præsens esset, dicatur.

3191 Hic esse poterat etiam quæstio, an cognitio, qua quis cognoscit actum suum intellectus, aut voluntatis, dum existit, sit intuitiva. Et quidẽ si tales actus nec per seipsos, nec per proprias species cognoscãtur, clarè sequitur resolutio negativa. Difficultas ergo solum est, si cognoscantur speciebus proprijs, vt aliqui volunt, aut seipsis immediate munus speciei gerentibus, vt sæpè nos diximus. Dico tamen: adhuc si seipsis, aut media specie ab ipsis producta cognoscantur actus intellectus, & voluntatis, cognitionem illorum non esse intuitivam. Ratio autem est: quia ita seipsis, aut media specie ab ipsis producta cognoscuntur, vt, si intellectus etiam non adiuvetur speciebus alienis, cognitio futura sit valde confusa, & solũ clara fiat talium specierũ adiutorio; vnde non est intuitiva illorum cognitio, quia aut est nimis obscura, quod in cõmuni modo concipiendi est contra rationem cognitionis intuitivæ; aut, si est clara, id evenit, quia speciebus alienis cognoscitur. Vnde, quod cõmuniter dicitur, intuitivã cognitionẽ esse, qua res cognoscitur in se, & per proprias species id ita intelligitur, cũ ita per eas cognoscitur, vt non indigeat alienarũ adiutorio, vt clarè cognoscatur.

3192 Maior autem difficultas est, an cognitio intuitiva possit attingere vnam rei formalitatem sine alia. Sunt enim aliqui, qui existimãt quod quãvis præcisiones obiectivæ possint, & debeant admitti; istæ tamen fieri nõ possunt per actus intuitivos; sed solũ per abstractivos. Verius tamen existimo vnã formalitatẽ rei sine alia cognosci posse cognitione intuitiva: vnde cognitio abstractiva, quæ opponitur intuitivæ, nõ est ita intelligenda, quod abstractiva idem significet, ac præcisiva; sed ita vt aliter sumatur pro cognitione rei absentis aut in alio, seu per alienas species cognitæ. Probatur breviter resolutio nostra; quia visio, ne materiali videtur albedo, nõ visa relatione trascendentali, quæ cum ipsa est identificata, sed visio illa materialis est intuitiva; ergo visio intuitiva potest attingere vnam rei formalitatem sine alia.

3193 Respondebis tamen, quod relatio non est visibilis, & sic non mirum quod videatur albedo, ipsa

ſpſa non viſa; non poteſt tamen evenire, quod ex duabus formalitatibus, quæ viſibiles ſint, vna intuitive videatur, alia non viſa. Sed contra eſt: quia argumenta, quæ poſſunt probare vnam formalitatem nõ poſſe cognoſci intuitive ſine alia etiam cognoſcibili; æque impugnant viſionem vnius formalitatis ſine alia, etiamſi iſta viſibilis, ſive attingibilis non ſit; æque enim difficile, immo forſam difficilius, percipitur, quod vna formalitas cum alia identificata realiter, nec videatur, nec viſibilis ſit, dum alia videtur, atque, quod vna videatur, alia non viſa; etiamſi vtraque viſibilis ſit; quod enim præcipuè obſtat huic ſecundo, eſt quod viſio intuitiva videt rem in ſe, ſeu, vt eſt in ſe; vnde non compatitur, quod aliqua formalitas videatur, non viſa alia, quia iam non videbitur, vt eſt. Hoc autem vrget non minus contra primum; quia formalitas inviſibilis non minus eſt in re, quam viſibilis: ergo pertinet ad eam, vt eſt in ſe; ergo ſi videtur ſine ea non videtur vt eſt. Similiter aliæ obiectiones inſtãtur in prędicta viſione. Vnde dicendum eſt in eo caſu, in quo videtur vna formalitas, non viſa alia, ſive viſibili, ſive inviſibili, videri in ſe, quia videtur per ſpeciem propriam, & non in alio; non tamen videri in ſe, hoc eſt, ſecundum omnia ea, quæ habet in ſe, in quo decipiuntur Adverſarij, forſam enim id ſolum contingit, ſaltim iuxta probabilem ſententiam, in cognitione comprehenſiva, de qua ſtatim.

3194 Adverto tamen, quod ea præciſio, quæ in viſione eſt à nobis probata, à fortiori in intellectu poteſt contingere; cum facilius ipſe prędcindat. Viſio autem etiam prędcindere poteſt, vt cum colorem videt, non videndo differentiam albi, aut nigri; tunc autem ſaltim naturaliter loquendo, non præſcindit rationem communem coloris à colore albo. V.g ſed rationem ſingularẽ coloris à differentia ſingulari albedinis. Adverto deinde non eſſe opus nobis hic amplius detineri in ſolvendis contrarijs argumentis. Tum quia ea omnino inſtãtur in caſu noſtrę probationis à cõtrarijs admiſſo; tum quia hæc quæſtio reddibit iterũ in Theologia; in materia nimque de viſione Dei graviter certãt Theologi, vtrum viſione intuitiva videri poſsit in Deo vnum attributum ſine alio, aut eſſentia ſine relationibus, quapropter hic ſufficit tẽ prędguſaſſe interim videatur Ovid hic punct. 3. §. 4.

QVÆSTIO XI.

De cognitione comprehenſiua.

4195 COMPREHENSIO Latè vſurpari ſolet pro qualibet adeptione, qua ratione omnis cognitio cõprehenſio dici poteſt: vnde omnes Beati comprehenſores vocantur. Sic etiã vſurpatur à D. Palo 1. ad cho. 9. dicente: *Sic currite, vt cõprehendatis.* Strictius tamẽ hic vſurpatur pro

cognitione quadã valde perfecta, de qua loquitur D.Aug.dum ait *epist.* 112. *Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circunspici possunt.* Similia in D.Thoma reperiuntur: vnde cognitio comprehensiva definiri potest, quod sit *cognitio quidditatiua, & evidens omnium, quæ formaliter, & eminenter continentur in obiecto.*

3196 Valde tamen diversimode DD. circa naturam comprehensionis philosophantur; quia tamen vnusquisque de comprehẽsione sentit eo modo, quo melius res alias Theologicas componere possit, nõ ita latè est hic hæc materia evisceranda: principia tamen necessaria, vt ea, quæ in Theologia occurrant facilè percipiãtur non omittemus. Igitur ad clariorem naturæ comprehensionis notitiã inquires, an ad comprehensionem alicuius obiecti necessarium sit cognoscere omnes species omniaque individua effectuum quos potest producere, & etiam, an non solũ cognosci debeãt effectus, quos naturaliter producere valet, sed etiam illi, quos valet producere supernaturaliter Ad quæ per partes, quid probabilius sentiam, respondeo, &.

3197 Dico primo: ad comprehensionem non est necessariũ, quod cognoscantur omnia individua effectuum, quos obiectum comprehẽsum potest divisive producere, distincte, & in particulari. Probatur conclusio, quia eatenus eorum effectuum cognitio potest esse ad comprehensionem necessaria, quatenus maior obiecti perfectio elucet illis cognitis, ac si non cognoscerentur: sed nõ elucet in obiecto maior perfectio, omnibus individuis cognitis distinctè & in particulari, ac cognitis solũ aliquibus in particulari, alijs vero confusè: ergo omnium cognitio distincte, & in particulari non est ad comprehensionem necessaria. Maior constans videtur: quia cognitio effectuũ eatenus potest esse necessaria ad causę comprehensionem, quatenus ex illis virtus causæ, eiusque perfectio detegitur; ergo eatenus omnium effectuum in particulari potest esse necessaria cognitio ad comprehensionẽ, quatenus, illis cognitis, virtus maior, & perfectio causæ elucet. Minor autẽ probatur quia nec maior, nec diversa virtus est necessaria ad mille hos, quam ad mille alios effectus divisive producendos: ergo eadem virtus, & perfectio, quæ sufficit ad hos, ad illos sufficit, & consequenter si virtus cognoscatur perfectè quatenus istorum productiva, quamvis in ordine ad alios solum cõfuse cognoscatur, tota virtus, & perfectio causæ cognoscitur.

3198 Dico secundo ad comprehensionem non est necessarium, quod omnes species effectuũ, quos potest divisive producere res comprehensa, distincte & in particulari cognoscantur. Probatur conclusio: quia quamvis plerũque diversę spe-

cies

ties; diversam virtutem, & perfectionē requirant in causa earum productiva, tamen sunt aliquæ species, quarum perfectio ita eminenter in alijs continetur, vt ad eas producendas nulla maior virtus in causa sit necessaria, quam quæ sufficiebat ad species illas perfectiores: ergo sufficiet ad rem aliquam comprehendendam cognoscere species illas perfectiores, quas producere valet, quamvis alię, quæ sine additione aliqua virtutis produci ab ea possunt, solum confuse cognoscantur.

3199 Dico tertio: ad comprehensionem rei necessarium est, quod cognoscantur distincte, & in particulari species effectuum, quas potest divisive producere, & in alijs cognitis non sunt eminenter saltim contentæ; estque etiam necessarium, quod cognoscantur individua, & species, quæ non solū divisive, sed etiam simul potest producere, ita vt cognoscantur determinate species, & individua ad quę simul producēda se potest extendere causa. V.g. si causa potest simul decē species producere, aut centum individua, ad cognitionem comprehensivā causæ illæ decem, istaque centum cognosci debent; si tamen possit decem has decemque illas divisive ab his, non requiritur, quod omnes decenarios specierum cognoscat. Constat ista conclusio ex dictis in præcedētibus, quia, cum maior virtus sit necessaria ad decē species collective, quam ad cētum divisive, aut plures alias, quo plures species, & individua simul, sive collective producere possit, eo maiorem continere debet perfectionem: ergo omnes species, & individua, quæ collective valet producere, cognosci debent ad causæ cōprehensionem: cumque vnius decenarij non sit maior perfectio, quam alterius divisive producibilis, nec maiorem perfectionem in causa requirat, cognito vno decenario, specierum, non est necessarium alios cognoscere, quos divisive producere valet, nisi sit specierum perfectiorum, qualem non esse supponimus.

3200 Dico quarto: ad comprehensionem obiecti necessarium non est, quod cognoscātur effectus, quos supernaturaliter, & per elevationem producere valet. Probatur cōclusio: quia tota causæ naturalis virtus penetratur, & omnino cognoscitur, cognitis effectibus naturalibus, seu quos naturaliter producere valet: ergo ad eius comprehēsionem necessarium non est cognoscere effectus supernaturales. Probatur antecedēs: quia in qualibet re naturali nulla datur virtus ad effectus supernaturales quæ sit distincta à virtute, quam habet respectu effectuum naturaliū; sed ista penetratur sufficienter cognitis effectibus naturalibus; ergo tota causę naturalis virtus, istis cognitis, penetratur. Maior, in qua sola est difficultas, constat ex eo quod productio effectus supernaturalis nō contingit per specialē virtutē causæ naturalis; sed per suam naturalem virtutem, quam in effectus natura-

les potest exercere adiutam à principio alio sibi indebito supplente, quidquid virtutis necessarium est, præter eam, quam causa illa naturalis habet ad naturales effectus; nulla ergo in causa datur virtus ad effectus supernaturales, quæ sit distincta à virtute quam habet respectu effectuum naturalium.

3201 Confirmatur tota doctrina tradita in quatuor positis conclusionibus, quia communiter conceditur, quod Angelus naturaliter comprehendat quamlibet creaturam sibi inferiorē: sed bene intelligi potest, quod cognoscat in eis omnia, quę nos ad comprehensionē cognosci debere dicimus vt est satis clarū; difficilè autem, quod cognoscat ea, quę ad cognitionem comprehensivā necessaria esse negavimus: ergo doctrina nostra vera est. Minor probatur quoad secundam partem, in qua esse potest difficultas: quia si ad comprehensionem non sufficeret cognoscere plura individua determinate, & alia confuse, ex his, quæ potest res cōprehensa efficere, oporteret infinitos effectus cognoscere; similiterque in speciebus, si non sufficeret cognoscere species illas, sub quibus aliæ eminenter continentur: cumque cognoscere infinita individua, sive species infinitas distincte, & in particulari sit valde difficilè, difficiliusque naturaliter cognoscere effectus supernaturales, difficile erit admodum Angelo cognoscere ea, quæ nos ad comprehensionem necessaria esse negavimus.

3202 Sunt tamen non pauci DD. qui amplius adhuc ad comprehensionē requirunt, videlicet, quod comprehendens sit tantæ, aut maioris virtutis, seu perfectionis, ac comprehensum: id tamen, vt cumque prolatum, videtur petitio principij; quapropter politiores alij ex Recētioribus, licet idipsū existiment magis à priori procedunt: dicunt ergo ad comprehensionē, nec sufficere ea, quæ nos requiri asseruimus, nec adhuc ea, quæ necessaria esse negavimus: sed præterea requiri, quod obiectum ita perfectè cognoscatur, ac ipsum cognoscī postulat: vnde inferunt, quod quāvis aliqua creatura cognosceret in omnipotētia virtutē ad omnes creaturas possibiles (idem etiam est, si cognosceret etiam virtutem ad omnes chymæras) adhuc omnipotentiam non comprehenderet, quia illam nō cognosceret cognitione ita perfecta, ac ipsa cognoscī postulat ipsa nāque postulat cognosci cognitione substantiali, & cum cognoscēte ipso identificata, cūquē talis non sit cognitio creaturæ non est illius comprehensiva. Quod autem ea cognitionis perfectio sit necessaria ad comprehensionem deducunt ex eo, quod cognitio cōprehensiva debet esse omniū perfectissima, exhaurireque omnē obiecti cognoscibilitatem, finesque omnes obiectī circunscribere, quæ omnia nō aliter vera esse possunt, nisi dicendo talem perfectionem cognitionis dictæ necessariā esse ad comprehensionem. Quod etiā ex eo confirmant, quod om-

omnes tenemur asserere, quod, vtcũque cognoscere omnia, quæ obiectũ formaliter, & eminenter continet, non sufficiat ad cõprehensionẽ; cum, si omnia ea probabiliter tantũ cognoscantur, nemo sit, qui talem cognitionem dicat comprehensivã; quod vtique evenit, non quia omnia non cognoscat; sed quia non habet perfectionem cognitionis exactam ab obiecti cognoscibilitate.

3203 Et si contra eos obijctias, quod creatura aliqua potest ab alia saltim perfectiori comprehendi, & tamen ab illa non potest cognosci cognitione perfectissima, qua ipsa petit cognosci; cum ipsa etiam petat cognosci à Deo, & consequenter cognosci cognitione substantiali, & cum cognoscente identificata. Respõdent, quod nulla creatura petit cognosci cognitione divina, vt substantialis, identificata, & infinita est; sed solum, vt accidentalis, & distincta eminenter est; seu illi æquivalet: vnde cognitione finita, & accidentali valet comprehendi.

3204 Sed hæc doctrina non satis mihi adhuc est comperta; cur enim obiectum infinitum petat cognitione infinita, & substantiali cognosci, & obiectum finitũ cognitione finita, non satis percipio. Si dicas rationem esse, quia cognoscibilitas sequitur entitatem, id ego bene intelligo de cognoscibilitate obiectiva, id est, quo perfectius est obiectũ, eo perfectius petit cognosci objective, eo videlicet amplius de perfectione in eo cognosci debet, sive petit, tamẽ, quod eo perfectior cognitio futura sit alia perfectione ab ea, quam ex obiecto desumit; non capio: equus enim, v. g. solum petit, quod cognoscantur omnia, quæ in ipso sunt, quod vero ab homine cognoscatur cognitione confusa ab Angelo clara, à Deo infinita ad cognoscentẽ spectat, sive ad eius perfectionem, nec oppositum potest omnino probari; & si etiam non possit omnino impugnari; quapropter cũ hic dicendi modus ad Dei incomprehensibilitatem explicandã communiter ponatur de, eo in Theologia est ferendum iudicium; quod si forte verus sit, dicendum comprehensionẽ à nobis vsque ad *num.* 3202 explicatam esse comprehensionem strictam; comprehensionem vero his tribus numeris attactam strictiorem adhuc, sive strictissimam esse de comprehensione hæc sufficiant pro philosophico instituto.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm assensus, & dissensus, circa idem obiectum in eodem possint comparari intellectu.

3205 HÆC Difficultas parĩ passu locum habet de amore efficaci, & odio atque de assensu, & dissensu; quapropter de vtriusque est modo resolvenda, ne iterum eius doctrinam cum de voluntate agamus; repetere, sit necessarium. Prima ergo sententia in hac quæstione tenet præ-

prædictos actus nec divinitus posse in eodem compati subiecto. Hæc sententia communis est, eamque sequitur Carleton cum limitatione hac, quod, videlicet, in subiecto non intelligente, aut amante possint divinitus compati, non tamen in aliquo intellectu, aut voluntate. Secunda sententia tenet dictos actus etiam in intellectu, & voluntate divinitus compati posse. Sic sentiunt aliqui per docti Recentiores inter quos sunt Oviedo, & Spinula in præsenti, & Lynceus *lib. 7. metaph. tr. 12. cap. 1.* Tertia sententia tenet actus prædictos, etiam naturaliter, posse in eodem subiecto simul existere. Pro hac sententia citat Lynceus *num. 7.* in fine Doctorem quendam, suppresso nomine, eique favere videtur, Averroes apud ipsum Lynceum *num. 9.* pro resolutione.

3206 Dico primo. Assensus, & dissensus; amor efficax, & odium eiusdem obiecti non solum in subiecto non intelligente, sed etiam in intellectu, & voluntate divinitus possunt esse simul. Conclusio ista breviter probatur, quia ea omnia fieri posse divinitus, dici debet, in quibus nulla detegitur implicatio: sed in eo, quod in eodem intellectu simul sint assensus, & dissensus eiusdem obiecti, & in eadem voluntate amor, & odium, nulla detegitur implicatio, vt ex solutione constabit argumentorum: ergo divinitus eos actus simul esse posse in intellectu, & voluntate, concedi debet.

3207 Dico secundo: actus assensus, & dissensus; amor, & odium circa idem obiectum non possunt simul esse naturaliter in eodem subiecto. Quod non possint actus prædicti simul esse in subiecto extraneo, & nõ intelligente constat, quia neuter illorum potest naturaliter esse in subiecto non intellectivo, vt constat ex dictis *quæst.* 5 ergo multo minus vterque simul, quod autem in subiecto intellectivo nequeant naturaliter simul esse, probatur primo: quia id saltim evincunt rationes, quæ contra primam nostram conclusionem fieri possunt. Secundo etiam probatur experientia, qua nũquam eveniſſe in nobis assensum simul, & dissensum, amorem, & odiũ eiusdem obiecti pro comperto habemus, iuxta illud D. Greg. *hom. 37. in Euang. An simul odisse possumus & diligere?* censendum igitur est prædictos actus naturalem saltim habere incompossibilitatẽ.

3208 Huic conclusioni nostræ triplicem subiungit Lynceus probationem. Prima earum est. Libertas ad amorem, & odium, ad assensum, atque dissensum dicitur libertas contrarietatis: ergo quia prædicti actus contrarij sunt, & cõsequenter naturaliter incompatibiles. Secunda: assensus merito suæ perfectionis cum aliquo actu intellectus est incompatibilis: sed cum nullo potiori iure, quam cum dissensu: ergo cum isto est incompatibilis naturaliter. Maiorem putat manifestissime constare exemplo ca-

caloris; qui, si sit perfectus, cum aliqua qualitate physica, frigiditate, scilicet, incompossibilis est. Tertia & parum præcedenti dissimilis à paritate qualitatum physicarum, quę dum ad perfectum statũ perveniunt, cum aliis oppositionem gerunt: similis ergo oppositio qualitatibus intentionalibus concedenda est.

3209 Displicent tamen probationes istæ mihi: quia probant non solam incompatibilitatem, sed etiam contrarietatẽ immediatam, & ratione sui dictis actibus convenire, eamque non probant satis efficaciter; quapropter eos actus existimo incompatibiles naturaliter non esse merito contrarietatis immediatæ, quam inter se exerceant, solumque mediatam, & ratione suorum obiectorum eis concedo incompatibilitatem. Ideoque ad argumenta Lyncei respondeo. Ad primum, nego consequentiam, quia, vt libertas ad amorem, & odium dicatur contrarietatis, sufficit, quod isti actus ob incompatibilitatem, quam habent, communiter dicantur contrarij quãtumvis rigorosè loquendo immediate, & per se ipsos non contrarientur. Ad secundum argumentum respondeo negando maiorem, si loquatur de incompatibilitate immediata, & ratione sui, ad cuius probationem constabit ex tertij solutione.

3210 Ad tertium denique respondeo negando consequentiam; in primis enim, si supponamus intellectum, & voluntatem ab anima distingui, erunt qualitates; & tamen nulla earum alicui qualitati contraria erit: non ergo est bona cõsequentia à physicis qualitatibus ad intentionales. Deinde non omnes physicæ qualitates contrarium habent, vt in luce est clarum omnibus: ergo sicut ab aliquibus qualitatibus physicis ad lucem non valet consequentia, nec valebit ad intentionales. Denique qualitates physicæ sunt incompatibiles in gradibus intensis solum: assensus vero, & dissensus in gradibus etiam remissis: non ergo servatur paritas, nec in assensu & dissentu ex contrarietate immediata est censenda incompatibilitas provenire. Nec valet dicere, quod in assensu simplex apprehensio se habet, vt qualitas remissa; ipse vero assensus, etiam si remissus, vt intensa. Nam contra est, quia in qualitatibus physicis intra eandem speciem qualitatis datur qualitas remissa compatibilis cum alia, & intensa incompatibilis: ergo cum in assensu id non reperiatur, sed remississimus assensus sit cum dissensu incompatibilis, & solum cognitio alterius speciei compatibilis, semper dispares inveniuntur: non ergo bene à paritate arguitur; sed potius cum disparitate iudicandum colligitur. Censendum igitur est assensum, & dissensum non solum nõ contrariari contrarietate strictissima, qua contrariantur colores extremi, sed nec stricta, qua contrariari diximus colores medios inter se, & cum extremis. Solum ergo contra-

trariari dici possunt contrarietate ita lata, vt ad eam sufficiat incompatibilitas mediata tantum, quia ad strictiorem contrarietatem nullum apparet fundamentum.

Soluuntur argumenta.

3211 Contra primam conclusionem nostram obijcies primo. Intellectus adhuc divinitus non potest ferri, sive versari extra verum, quod est eius obiectum specificativum: ergo non potest adhuc divinitus falso, vt falso, assentiri, sed si haberet simul assensum, & dissensum circa idem obiectum, falso, vt falso, assentiretur: ergo omnino implicat, quod simul assensum, & dissensum habeat. Antecedens cum consequentia est certum: minor subsumpta probatur. Eo ipso, quod intellectus haberet dissensum cursus Petri, perciperet carentiam cursus vt veram, sed ex hac omnino evidēter infertur existentiam cursus esse falsam: ergo eam existentiam falsam esse, non posset ignorare: ergo eam, vt falsam, cognosceret: ergo dum illi per assensum assentiretur, falso, vt tali, assentiretur: ergo si intellectus haberet simul assensum, & dissensum, falso, vt falso, assentiretur. Circa amorem autem, & odium paulo aliter argumentum formatur sic: voluntas nequit velle impossibile, vt tale cognitum: sed illud vellet, si simul haberet amorem, & odium: ergo non potest simul amorem, & odium habere. Minor constat: quia, si voluntas haberet simul amorem, & odium, per illud vellet obiectum esse, per istud obiectum non esse; cumque hoc intellectus manifeste cognoscat esse impossibile, vellet voluntas aliquid impossibile.

3212 Ad argumentum istud respondet Lynceus primo intellectum posse assentiri obiecto, quod per vim apprehensivam proponitur, vt evidenter falsum, sicut sæpe assentitur obiecto, quod per sensus, vt falsum, proponitur, eos corrigendo. Secundo respondet, quod, quamvis obiectum apprehendatur, vt falsum, per præviam apprehensionem, potest per assensum subsequens iudicari verum: quia nō est implicatio, quod id, quod apprehenditur evidenter falsum, sit per actum alium saltim apparenter verum. Tertio respondet, quod intellectus potest sine apprehensionibus prævijs iudicare: vnde si sic eliceret assensum, & dissensum, per nullum actum obiectum assensus falsum appareret.

3213 Sed contra tres istas solutiones insurgo: contra primam quidem, quia intellectus corrigit sensum sæpe sæpius; id tamen solū evenit, cum ad eum corrigendum habet saltim apparens fundamentū: sed ad corrigendā apprehensionem præviam de falsitate obiecti assensus posito dissensu non potest in intellectu reperiri fundamentum: ergo non potest illam corrigere, & assensum præstare. Contra secundam autem, & tertiam solutionem insurgo:

quia

quia, poſito diſſenſu, quamvis nulla ponatur prævia apprehenſio, nec actus vllus de falſitate aſſenſus cognoſcens, eſt tamen ita clara eius falſitas, vt intellectus nequeat ibi veritatem vllam, etiam apparenter cõcipere: ergo quamvis nullus ponatur actus falſitatem aſſenſus repræſentans, tamen ita diſſenſus ad illam determinat, vt nequeat actus poni, qui in eo veritatem adhuc apparentem concipiat antecedens, in quo eſt difficultas probatur. Quia, poſitis præmiſsis recte diſpoſitis in modo aliquo perfecto, ita intellectus neceſsitatur ad concluſionis aſſenſum, vt quamtumvis illud poſſit cohibere, nunquam tamen poſſit diſſenſum elicere, aut conſequens falſum iudicare: ſed poſito diſſenſu non minus clare infertur falſitas aſſenſus, quam concluſio poſitis præmiſsis: ergo intellectus neceſſario ita ſe habebit reſpectu falſitatis aſſenſus, vt quamvis poſſit de eſſe in illo omnis actus eius falſitatem repræſentans nequaquam tamen poſsit dari actus obiecto aſſenſus, adhuc apparenter, vt vero, aſſentiens.

3214 Quarto reſpondet Lynceus, quod intellectus, aſſentiens, & diſſentiens obiecto non affirmaret idem ſimul eſſe, & non eſſe, ſi ſimultas appellet ſupra obiectum affirmationis, ſed ſolum, ſi ſimultas illa ſupra aſſenſum, & diſſenſum appellet: ſimultas autem prima eſt implicatoria & falſum evidenter includit, non autem eſt implicatoria ſecunda. Sed contra ſic argumentor: aſſenſus affirmaret Petrum currere in inſtanti *A*. ſeu in eo eſſe, aut exiſtere curſum Petri; diſſenſus vero talem curſum in inſtanti *A*. non eſſe, aut non exiſtere affirmaret: de his enim actibus eſt omnibus hic ſermo: ergo affirmaretur rem eſſe, & non eſſe ſimul ſimultate obiecti. Patet, mihi evidenter, conſequentia, quia obiectũ eſſe in inſtanti *A*. & illud non eſſe in eodem inſtanti *A*. eſt ſimul obiectum eſſe, & non eſſe: ergo affirmare eſſe in inſtanti *A*. & in eo non eſſe eſt affirmare ſimul eſſe obiectũ, & nõ eſſe; ſed nihil aliud requiritur ad obiectivam ſimultatẽ: ergo per talem aſſenſum, & diſſenſum, ſi daretur, affirmaretur ſimultas obiectiva, ſeu ſimultas cadens ſupra obiectum affirmationis.

3215 Reſpondeo ergo ad argumentum concedendo antecedens, & conſequentiam, & negando minorem ſubſumptam. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtingo minorem: ſed ex carentia curſus evidenter infertur exiſtentiam curſus eſſe falſam: infertur evidenter, & neceſſario neceſsitate quoad ſpecificationem, concedo minorem, infertur evidenter, & neceſſario, quoad exercitium, nego minorem, & permiſſo primo, & ſecundo, conſequenti, nego tertiam conſequentiam, quia quamvis exiſtentia curſus cognoſceretur, vt falſa, ſi divinitus cognoſceretur per actum aſſenſus, non cognoſceretur per

per hunc sub ea ratione, sub qua per alium actum falsa repræsentabatur, & apparebat: vnde per illum actum quamvis intellectus assentiretur falso, non tamen, vt falso, sed vt apparenter vero. Dixi permisso primo & secundo consequenti; vtrumque enim negari facile poterat; quia, quamvis ex carentia cursus necessario, & evidenter sequatur eius existentiam falsam esse, non tamen necessitate quoad exercitium: vnde existente cognitione de existentia carentiæ cursus, posset non dari, præsertim divinitus, cognitio de falsitate existentiæ, & consequenter dari posset talis falsitatis ignorantia, prout hæc dicit solum carentiam actualis cognitionis.

3216 Dices: non videtur, quo modo intellectus qui se ad dissentiendum determinavit, possit, dissensu perseverante, se determinare ad assensum. Respondeo verum esse, quod intellectus dissentiens obiecto non possit se determinare ad assensum eiusdem; quia ratio ipsa obiectiva, quæ illum determinat ad dissensum, retrahit, æqua vi ab assensu; tamen, quamvis intellectus, stante dissensu nō possit se determinare ad assensum, potest à Deo determinari, quia concursum illum, quem obiectum præstare posset, si non daretur dissensus, potest Deus supplere, & movere intellectum, vt ad assensum concurrat non minus; ac illum movere posset veritas apparens obiecti, si dissensus non adesset. Vnde colliges rationem oppositionis, seu incompatibilitatis naturalis assensus, atque dissensus esse impotentiā intellectus ad hoc, vt se determinet ad vtrumque simul, istamque impotentiam ad obiectum reduci; quia, suppositā natura potentiæ, ab ipso oritur, quod potentia non possit se ad vtrumque determinare. Non solum autem intellectus se ad assensum determinare non potest, dum dissensum habet, sed nec etiam à voluntate potest; quia ista non potest tollere, quod intellectus, dum dissentitur, non habeat motivum dissensus, nec, quod illud motivum ab assensu retrahat.

3217 Ad secundam autem argumenti partem, quæ de amore, & odio loquitur respondeo: quod quamvis voluntas nequeat ferri in impossibile, quod fortum forsan est, loquendo saltim de potentia absoluta, potest adhuc simul habere amorem, & odium; quia potest divinitus ei proponi obiectum, & carentia illius, quin vtriusque incompossibilitas proponatur, aut forsan etiā potest obiectum amare, & odisse, quin ei ipsum proponatur vllo actu; quia forsan cognitio non est ita ad actus voluntatis necessaria, quin possit suppleri divinitus, de quo inferius nobis erit in hac disputatione sermo.

3218 Secundo obijcies: dissensus destruit obiectum assensus; ergo nō potest dissensus cum assensu componi. Respondeo negando antecedens. Primo enim, si loquatur de obiecto materiali, est falsum; quia

quia dissensus solum affirmat, quod non existat obiectum: cum hoc autem compatitur, quod existat. Praeterea, quamvis non existeret physice, posset esse obiectum assensus; quia ad hoc solum requiritur, quod assensum terminet, quod facere potest, etiam si non existat. Si autem loquatur argumentum de obiecto formali, hoc est, de motivo; in primis, posito dissensu, potest adhuc adesse aliquod motivū ad assensum, quamvis naturaliter inefficax, propter vim maiorem, quam dissensus habet ad retrahendum ab assensu; istam tamen inefficaciam potest Deus supplere. Deinde, dato, quod nullum remaneret motivum, Deus posset illud supplere. Vnde in hoc sensu antecedenti permisso negari posset consequentia.

3219 Tertio obijcies: assensus, & dissensus affirmant obiecta divinitus incompossibilia: ergo ipsi etiam sunt incompossibiles divinitus. Respondeo negando consequentiam, quia si teneret, maxime, aut quia similis est ratio in actibus, ac in obiectis, aut quia connectuntur actus cum obiectis, & ideo non stat compati actus, si non compatiantur obiecta: neutrum autem eorum est verum, consequenterque consequentia est mala. Primum non esse verum constat; quia obiecta assensus, atque dissensus ita se habent, vt vnum sit carentia alterius; assensus vero, & dissensus ita, vt vterque sit aliquid positivum. Deinde, quod secundum etiam sit falsum, claret, quia cum assensus, sive dissensus falsus possit esse, neuter cum suo obiecto habet necessariam connexionem.

3220 Quarto obijcies: gratia, & peccatum nequeunt divinitus esse simul: ergo neque assensus, & dissensus. Respondeo antecedens examinandum in Theologia. Qui autem ibi illud concedunt plerumque fundātur in eo, quod peccatum consistat, aut saltim includat gratiæ privationem, cumque dissensus, nec includat, nec constituatur per carentiam assensus, facile negabunt consequentiam.

3221 Vltimo obijcies: repugnat motus physicus ad opposita loca: ergo & intentionalis ad opposita obiecta. Respondeo negādo consequentiam: quia per motum physicū adquiritur terminus, cumque vnum corpus, si in duobus locis non ponatur, nequeat acquirere oppositos terminos, nec motus ad eos potest simul efficere: cum tamen motus intentionalis, sive dissensus non acquirat, aut ponat in re obiectum suum, potest vterque existere, non existente termino vtriusque, sed altero tantum, & consequenter sine eo, quod vlla sequatur contradictio, aut repugnantia.

QVÆSTIO XIII:

De aliorum actuum intellectus compositione, sive incompatibilitate.

3222 VIDIMVS Quæstione præcedenti, quomodo

do assensus, & dissensus opponantur, sive incompatibiles sint. Circa apprehensiones vero simplices nulla est difficultas: quia frequenter experimur in nobis componi posse simplicem apprehensionem de obiecti existentia cum alia de eius non existentia, sive etiã cum iudicio. Sicut etiam amor inefficax, qui simplex complacentia dicitur, solet componi, tum cum alia simplici displicẽtia, tum etiam cum odio, necnon displicentia simplex cũ efficaci amore. Ratio autem est: quia tales apprehensiones, & complacentiæ ob suam inefficaciam, permittunt in eodem intellectu, aut voluntate actus oppositio modo tendentes, non solum inefficaciter, sed etiam efficaciter. Adhuc tamen sunt alij actus, de quibus dubitare possimus, an simul esse possint in eodem intellectu, & primo est difficultas de actu fidei, & scientiæ.

3223 Circa quam difficultatem, quæ ab aliquibus hic ab alijs in Theologia ab alijs vero in Logica parva tractatur, sunt opiniones variæ, & vt bene notat quidã R. ex nostris plures Doctores non declarant, dum suam sententiã proferunt, an loquantur de potentia ordinaria, an vero de potentia absoluta. Sententiam: ergo negativam tenent plures, & graves Thomistæ; affirmativa vero inter alios non minus est communis, præsertim inter Iesuitas Recentiores; quamvis aliqui eorum id sentiant cum limitatione aliqua. Ante quam ego quæstionem resolvam, adverto difficultatem præsentem esse de actu scientiæ & fidei, non de vtriusque habitu, aut de vnius habitu, & actu alterius. Ratio est; quia de vtriusque habitu minor est difficultas, quam de actibus, & facilius ipsos simul adesse posse quisque concedet; de habitu autem vnus, & actu alterius, adhuc est magis comperta affirmativa sententia; cum sit communis satis, & vera doctrina, quod habitus virtutis acquisitæ sæpe sæpius cum actu vitij ei contrarij compatiantur, aut etiam vitiosus habitus cum actu virtutis contrariæ: vt ergo de actibus quæstionem resolutam.

3224 Dico primo actum fidei compatibilem esse cum actu scientiæ in eodem intellectu circa idem obiectum naturaliter. Conclusio ista videtur esse Doctorum secundæ sententiæ: quia, quamvis nõ explicent, an naturaliter loquantur, eorum rationes id naturaliter etiam evenire posse, probant. Probatur ergo conclusio primo authoritate D. Thomæ, qui 1. 2. q. 67. art. 3. ait: *Potest enim vnus homo cognoscere eandem conclusionem per medium probabile & demonstrativum.* Ergo iuxta D. Thom. mentem scientia actualis & opinio sunt simul cõpatibiles; sed non est maior difficultas iuxta adversarios ipsos, de scientia, & fide: ergo istarum actus sunt simul compatibiles.

3225 Secundò probatur conclusio: quia fide divina cognoscimus ani-

nimę rationalis immortalitatem, & tamen id ipsum ratione naturali ducti probabiliter iudicamus, ergo similiter id ipsum, quod scientia naturali scimus, possumus fide divina credere. Probatur consequentia: quia sicut assensus fidei est obscurus scientiæ vero clarus, sic etiam assensus fidei est certus, & opinionis incertus, non potest autem probari maior oppositio inter assensum clarum, & obscurum, quam inter certum, & incertum. Tertio probatur conclusio nostra: quia plura sciunt scientia naturali homines docti, quæ tamen fide divina etiam credunt: ergo non repugnat vtriusque actus in eodem intellectu, sed potius potest esse, & solet sine vllo miraculo. Antecedens probatur. Quia homines docti evidenter cognoscunt, Deum esse, bona opera remunerare, promissis stare, aliaque similia: sed ista etiam credunt fide divina; quia iuxta D. Paulum *ad Hæbr* 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator est*: dantur ergo aliqua, quæ ab hominibus doctis, simul certo, & evidenter cognoscantur, & fide divina credantur.

3226 Respondent, primo nō pauci Thomistæ apud Lynceum *lib. 7. metaph. tract* 12. *cap.* 2. eum, qui evidenter scit mysteria aliqua fidei nostræ, eadem non credere, quia accedente notitia evidenti, perit habitus fidei, quo ea credere possit. Antequā Lynceus hanc impugnet solutionem in hæc verba prorumpit, [bene nobiscum actum est, quod hæc doctrina nostra non sit; quas enim non censuras in nos adversarij despumarent? his tamen prætermissis, eam impugnat primo, quia iuxta doctrinā apertā B. Thomæ, etiā, fides habitualis nunquā diminuitur, sed potius, si in aliquo diminuatur, tota deperditur: ergo si, iuxta datā solutionē, acquirens notitiam evidentē alicuius mysterij perdit habitum fidei, ad illam veritatē credendam, totum perdit habitum fidei, quod & absurdum est, & male cuivis viro docto stare posset. Secūdo respondent alij apud eundem Lynceum eum, qui evidenter cognoscit aliqua fidei mysteria, habere habitum fidei ad eadem credenda non tamen posse ea actu credere, nisi cessando à cognitione evidenti.

3227 Quidquid tamen sit de allata Lyncei impugnatione, & alijs, quas omitto. Vtramque solutionem impugno; quia notitia clara, & evidens difficile deperditur, facileque excitatur, cum enim & sit certa, & clara, ei intellectus magis, quam alijs, adhæret: vnde quotiescumque conetur quis habere notitiam aliquam de novo, aut habitum excitare de re evidenter cognita, facilius ea excitabitur, quam notitia obscura, & probabilis: ergo qui semel acquirit notitiam evidentem de existentia Dei, nunquam aut rarissime poterit elicere de eadem assensum fidei. Patet consequentia; quia dum se ad actum fidei

conetur excitare, excitabit actum scientiæ, qui facilius excitatur, & cum quo actus fidei est incompatibilis. Dicere autem, quod raro vel nunquam fideles docti credere possunt actu mysteria fidei evidenter ipsis aliquando cognita, & quod Gentilis doctis, vsque dum oblivione mandet ea, quæ de mysterijs nostræ fidei novit evidenter, nequeat credere ea, & consequenter cum hoc ei liberum non sit, non habere libertatem ad ea credenda, si forte absurdum non est, petit tamen vrgentiora fundamenta, quam quæ adducuntur ab adversarijs, quorum solutio inferius præstanda pro nostra conclusione probanda sufficiebat.

3228 Dico secundo: non solum in eodem intellectu potest simul esse actus fidei, & actus scientiæ de eodem obiecto, sed etiam vnus, & idem actus potest esse actus fidei, & scientiæ Hæc conclusio, quæ hic à me ponitur propter connexionem doctrinæ, cõstat primo ex probatione primæ conclusionis ab authoritate D. Thomæ de sumpta, quæ expressius pro hac videtur stare, quam pro illa. Probatur deinde, quia voluntas vno actu potest velle obiectum propter duo diversa motiva, vt cũ detestatur peccatũ, quia est Dei offensa, & simul propter ipsius fœditatẽ, aut inferni pœnas, & cũ quis desiderat aquæ frigidæ potũ propter delectationẽ simul, & sanitatẽ: ergo similiter intellectus potest eidẽ obiecto assentiri propter duplex simul motivũ, videlicet, ob evidẽtes præmissas, & propter divinam authoritatem; nec enim inter ista motiva vlla oppositio potest reperiri.

3229 Secundo in præsenti potest esse difficultas de compatibilitate actus fidei, & opinionis. Tertio de cõpatibilitate actus opinionis & scientiæ. Respondeo tamen, & dico tertio vtramque conclusionẽ positam circa primũ difficultatẽ, secundæ, & tertiæ applicari debere constat conclusio ista quia nulla specialis difficultas militat in ijs actibus, quæ momẽti sit, quæ nõ militet in actibus, de quib⁹ in dictis conclusionibus fumus locuti. Hic tamen advertunt aliqui nostræ sentẽtiæ Doctores, quod, dum vnus actus esset simul scientiæ, & opinionis, nõ haberet formidinẽ, quia evidẽtia eã tolleret solũ ergo formidolosus diceretur, quia formidinẽ virtualiter contineret. Mihi tamẽ videtur eandem notationẽ, pari ratione, cũ proportione applicandam actui, qui simul esset scientiæ, & fidei; sentio tamen, quod actus, qui simul esset fidei scientiæ; & opinionis, absolutè esset clarus, & sine formidine; esset tamen obscurus, & formidolosus, prout mediũ fidei, aut opinionis respiciens, & vt habitus per ea media: & in hoc sensu formidinẽ, & obscuritatẽ habere posset nõ solũ virtualiter, sed etiam formaliter; quod enim obscuritas fidei, & scientiæ claritas nõ se habeant, vt forma & privatio, ac proinde non sint essentialiter incompatibiles ex solutione constabit argumentorum.

Sol-

Soluuntur argumenta.

3230 Contra primam cõcluſionem noſtram obijcies primo: repugnant in eodẽ intellectu actus clarus, & actus obſcurus ſimul; ſed actus ſcientiæ eſt clarus, actus fidei obſcurus: ergo repugnat eos adeſſe ſimul in eodem intellectu. Maior probatur: quia obſcuritas eſt carentia claritatis: ergo non poteſt intellectus habere ſimul actum clarũ, & obſcurum circa idem obiectũ; aliàs intellectus eſſet cognoſcens illud obiectum cum claritate, & carentia claritatis. Hoc argumentum magis militat contra noſtrã ſecundam cõcluſionẽ, quam contra primã; quia, dato, quod obſcuritas in actibus intellectus ſit carentia claritatis, ſolũ ſequitur, quod vnus actus, qui claritatem habet, obſcuritatem, habere non poſsit; nõ tamẽ facile ſequitur, quod intellectus non poſsit habere, vnum actum habentẽ claritatem, & ſimul alium ea carentem, & per vnũ obiectum clare cognoſcere, per aliũ non clare, ſed obſcure; ſicut potentia viſiva, quæ craſſior eſt, poteſt ita obiecto applicari, vt ſimul per vnam lineam videat obiectũ clare per aliã vero ob velamen interpoſitũ confuſe, quamvis per vnã lineam clare, & obſcure illud videre non poſsit. Sive autẽ militet contra primam ſive cõtra ſecundam concluſionem.

3231 Reſpondeo negando maiorem: ad cuius probationem nego antecedens: quia in actu intellectus obſcuro, obſcuritas non eſt carentia, ſicut in aeris obſcuritate contingit; ſed potius tam actus clarus, quam obſcurus ſunt luces intẽtionales, taliter, tamen, vt vnius claritas conſiſtat in ipſa actus eſſentia, quia ex ſua natura obiectum ita repreſentat, vt ſimilis ſit analogice eius repræſentatio viſioni materiali qua obiectum videtur cũ luce intenſa: obſcuritas vero alterius conſiſtat, non in aliqua lucis carentia, ſed etiã in ipſa actus eſſentia, qui obiectũ repræſentat ex natura ſua ita imperfectè, vt eius repræſentatio analogicã ſimilitudinẽ habeat cum viſione externa, qua obiectum aliquod cũ modica luce videtur. Vnde à myſticis Deus cognoſci in tenebris dicitur, dum per fidẽ cognoſcitur, & fidẽ nõ raro tenebras vocant: quod tamẽ ipſi non velint, quod cognitio fidei ſit, vel habeat carentiã lucis conſtat; quia etiã illam vocant lucem obſcuram, & aliquando tenebras claras; quia per tenebras illas, quæ cõſiſtũt in cognitione fidei, magis anima illuminatur, & proficit, quã qui obſcumque alijs cognitionibus evidẽtibus, nec modo loquẽdi myſticorũ ab ſcholaſtico rigore alienus eſt cẽſendus. Theologia enim myſtica nõ eſt cõtraria ſcholaſticæ, ſed plerumque eius diſcipula, ſive ei ſubalternata.

3232 Suppoſito ergo iam, quod obſcuritas fidei non ſit claritatis carẽtia, ſed forma poſsitiva ipſa, videlicet, actus eſſentia, aut, vt alij innuunt, modus poſitivus illius, corruit iam argumenti vis; ſolum enim

se poterunt habere actus scientiæ, & fidei, vt actus magis, & minus perfectus: ideoque simul poterunt naturaliter existere: sicut simul existere possunt in eodem intellectu apprehensio, & iudicium de eodē obiecto, quamvis illa sit imperfecta, & istud perfectū. Similiter in volūtate circa idē obiectum reperiri posse simul videtur simplicē complacentiā, & amorē efficacē. Præterea in Christo fuerunt simul scientia Beata scientia infusa, scientiaque acquisita, cum tamen ista vltima alijs imperfectior esset; non ergo sunt incompatibiles actus intellectus ex eo, quod vnus sit magis perfectus alter minus, consequenterque, cum nec actus fidei sit, aut includat carentiā lucis intentionalis, & consequenter non sit oppositus actui scientiæ privative, nec contradictorie, non est vnde ei censeatur oppositus, aut cum eo incompatibilis.

3233 Quatenus autem contra secundam conclusionem argumentum militat etiam constat solutio, quia cum claritas, & obscuritas non sint forma, & privatio, bene possunt reperiri non solum in eodē intellectu, sed etiā in eodē actu per diversa media, hoc est, quatenus ille diversa motiva, sive obiecta formalia respicit; quid enim repugnātię continet, quod vnus actus quatenus deducitur clare ex præmissis evidentibus, & rectis, clare, & evidēter obiectū suum repræsenter, quatenus vero ei assentitur intellectus ob divinam revelationē, eam non habeat clariratem, sed cum fidei obscuritate illud repræsentet.

3234 Sed dies primo: si talis admittatur actus clarus, & obscurus consequenterque etiam possit admitti actus certus, & incertus propter diversa media, aut obiecta formalia: ergo etiam poterit admitti actus verus, & falsus. Secundo dices admisso tali actu erit in duplici specie; erit enim actus fidei, & scientificus. Tertio dices prædictus actus eo ipso, quod sit scientiæ, non erit omnino liber, cum præmissæ aliquomodo ad illud necessitent; sed de ratione actus fidei est, quod liber sit omnino: ergo talis actus nō poterit esse actus fidei.

3235 Respondeo tamen ad primam replicam i starū distinguendo consequens: ergo etiam poterit admitti actus verus simul, & falsus, respectu diversorum obiectorū formaliū tantū, nego consequentiā, respectu diversorū obiectorū materialium concedo consequentiam. Quod ergo respectu diversorum obiectorū formalium tantū non possit esse actus simul verus, & falsus constat ex eo, quod veritas consistat in cōformitate actus cū obiecto enuntiato, quod est materiale: cumque istud, dum est vnū, quamvis ob varia motiva intellectus ei assentiatur, non possit cum actu conformari & nō conformari, non potest actus simul esse verus, & falsus, obiecto materiali non multiplicato; quod vero, multiplicato isto actus possit esse verus, & falsus, non debet inconveniens iudicari; quia

quia, si actus repræsentet, sive affirmet Petrum currere, & Ioannem sedere, Petro currente erit verus, quatenus id affirmat, Ioanne non sedente erit falsus, prout eum sedere affirmat. Adverte tamen, quod, vt iste actus sit verus simul, & falsus, debet respicere vtrumque obiectum sine connexione, quæ explicari solet per particulam, &, si enim cum ea repræsentaret vtrumque, totus falsus, & totaliter, diceretur, eo ipso, quod cum vno obiecto non conformaretur, vt ex summulis cõstat. Vnde, vt possit esse verus, & falsus, debet vtrumque obiectum amplecti disparate, vt significatur his vocibus *Petrus currit: Ioannes sedet*: Solumque est difficultas, an talis actus sit possibilis, in quo tamen ego repugnantiã nõ video, nec magnã difficultatẽ. Si enim mẽtaliter actu simplicissimo dicere possumus: *Petrus currit, & Ioannes sedet*, cur vnico etiã dicere nõ poterimus *Petrus currit, Ioannes sedet*?

3236 Ad secundam obiectionem respondent aliqui, actum prædictum esse scientiæ, & si non nihil sapiat fidẽ. Sed cum talis actus æque respiciat motivum fidei, ac scientiæ non videtur cur non sit absolute dicendus actus fidei non minus, ac scientiæ. Secundo respondent alij actum illũ nec esse fidei, nec scientiæ, sed alterius speciei, qui vtriusq; perfectionem eminenter contineat. Tertio respondet Lynceus. Actũ prædictũ fore simul fidei, & sciẽtiæ, nec inconveniens esse, quod sit in duplici specie; sunt enim aliquæ species oppositæ, & quæ vni entitati convenire non possunt; aliæ vero non ita; sed tales, vt in eadem entitate possint coniungi, & huiusmodi potest esse species actuũ scientiæ. Iudico tamen secundam, & tertiã responsionẽ veras esse si tamẽ prima earũ loquatur de actu realiter sumpto, secunda vero de illo sumpto formaliter. Ratio est; quia ille actus realiter sumptus non continet claritatem puram, quæ est de ratione scientiæ, nec puram obscuritatẽ quæ est de fidei ratione: continet ergo claritatẽ cum obscuritate compositã, & obscuritatem cũ claritate, quod est vtramque continere eminenter, quia continet eam cum alia identificatam; cum autem ille actus formaliter sumptus sit duplex, & secundum vnam formalitatem habeat quidquid ad scientiam requiritur, secundum aliam vero quid, quid ad fidem, mirum etiam non est, quod sit sic sumptus in vtraque ista specie.

3237 Ad tertiam denique obiectionem respondeo, negando antecedens. quia præmissæ quamvis necessitent ad actum scientiæ, quoad specificationem, nequaquam tamen necessitant ad actum scientiæ, qui simul sit fidei. Vnde cum prædictus actus non sit scientiæ vtcumque, sed scientiæ, & fidei motivum simul respiciens, liber omnino est, quia intellectus per præmissas non est ad illum determinate necessitatus, sed indifferens ad illum, vel ad alium,

qui pure scientiæ sit, quamvis sub disiunctione ad vnum, vel alterum sit necessitatus.

3238 Sed iam contra primam conclusionem obijcies secundo: cognitio fidei excludit cognitionem claram de eodem obiecto, præsertim intuitivam: ergo non est cum ea compatibilis. Antecedens probatur primo ex D. Paulo iuxta quē *ad Hebr. 11. Fides est argumē tum rerum non apparentium.* Sed res clare cognitæ apparent. Ergo de illis non potest esse fides. Secundo ex D. Augustino *tractat. 79. in Ioannem*, vbi ait: *Nescio vtrum ne credere dicendus est quisque quod videt?* Tertio ex Gregorio: *Qui super Ioannes 20. caput* loquens de S. Thoma Apostolo ait: *Aliud vidit, aliud credidit.* Innuens, quod id, quod vidit, credere non poterat. Quarto, quia actus fidei est meritorius, sed talis non esset, si id ipsum, quod creditur videretur; quia iuxta D. Gregor. fides nō habet meritū, vbi humana ratio præbet experimē tum. Quinto probabis, quia si visio, & fides non essent incompatibiles, nulla esset ratio cur in patria fides non permaneret, vt non permanere testantur omnes.

3239 Respondeo, negando antecedens: ad cuius primā probationem respondeo primo fidem esse plerumque de rebus non apparentibus, & hanc esse D. Pauli mentem. Secundo respondeo fidem esse rerum non apparentium: quatenus per fidē cognoscuntur; id autē verū est, quamvis per alias cognitiones, aut propter alia motiva apparentes sint. Ad secundā probationē respō deo, dubitare D. Augustinum, an qui videt dicendus sit id ipsum credere, quia potest esse difficultas, an assentiatur tantum, quia videt, an etiam propter dicentis authoritatem, si vero ita videret, quod simul ob dicentis authoritatem assentiretur, forsan D. Augustinus non dubitaret, quod ille credebat. Ad tertiam respondeo D. Thomam aliud credidisse, aliud vidisse, non aliud ex toto, sed ex parte, quia etiam credidit, quod vidit, forsan tamen sine merito, aut cum exiguo, quapropter forsan D. Gregorius fidem de illa non habuisse innuit. Ad quartā distinguo minorem, sed actus fidei meritorius non esset, si id ipsum, quod creditur, videretur: si ita, quod creditur, videretur, vt credens non crederet, nisi videret, concedo minorem, si ita videretur, quod creditur, vt credens eodem modo crederet, si non videret; quia ad credendum non movetur visione, sed dicentis authoritate nego minorem, & hoc ipsum intendere est indicandus Div. Gregorius.

3240 Ad quintam denique probationem, propter quam satis probabilis mihi videtur sententia quorundam Doctorum nostræ sententiæ, qui dicunt auctum fidei esse compatibilē cum actu evidenti, & scientifico; non tamen, si ille intuitivus sit. Respondeo inquā, quod, quamvis visio, & fides sint com-

pas

patibiles de obiecto eodem non tamen deest ratio cur visio patriæ sit cum fide incompatibilis: ea autem est specialis illius visionis natura, quæ secum non compatitur vllum fidei motivum, quia per eam omnia fidei mysteria non solum videntur clare, sed etiam ipsa fidei motiva clare videntur, & in eis etiam videntur clare mysteria, vnde per nullum medium ibi videri possunt mysteria obscure, id enim fieri deberet per revelationem, quæ cum ibi, & clare videatur, & clare mysteria repræsentet, locum non relinquit obscuritati fidei propriæ: est ergo visio illa cum fide incompatibilis, non quia visio, sed quia talis visio. Alias omitto solutiones, quia minus placent.

3241 Tertio obijcies: lux ceræ non lucet in conspectu lucis solis: ergo nec lux fidei in conspectu scientificæ cognitionis. Respondeo, omisso antecedenti, negando consequentiam; quia lux solis, & ceræ sunt eiusdem rationis, ideoque maior preheminent, & minorem non apparere fecit; lux vero actus fidei, & scientifici actus, sunt diversæ rationis, vnde quævis earum simul cum alia potest intellectum suo modo illuminare.

3242 Quarto obijcies: voluntas, adepto bono, non amplius illud desiderat per alium actum, aut motivum: ergo intellectus, adepto vero, per cognitionem scientificã, non amplius illud quærere potest per cognitionem fidei. Respondeo negando consequentiam; quia voluntas adipiscitur bonum per eius physicam existentiam, & possessionem, qua data, nõ potest illud amplius possidere; quod si aliquando contingat, quod illud possit perfectius possideri, desiderio locus remanet; intellectus vero possidet obiectum intentionaliter, hoc est illud intelligendo, cumque, postquã illud videt, possit aliter illud intentionaliter possidere per cognitionẽ alterius rationis, non est cur ea cognitio dari non possit, & per eam ad magis possidendum obiectum intellectus non possit conari.

QVÆSTIO XIV.

De reflexione actuum intellectus.

3243 CIRCA Reflexionem actuum intellectus duo, vt certa, supponenda sunt. Primum est in eis dari posse reflexionem per actus distinctos ita, vt vnus actus intellectus saltim per alium distinctum cognosci possit. Hoc autem communiter docetur ab omnibus, & cuicumque experientia est notissimum. Secundo supponendum est in Deo saltim dari actum intellectus, qui se ipsum cognoscat, quin ad eum cognoscendum opus sit actu distincto. Ratio est, quia Deus cognitionẽ habet: cumque se ipsum comprehendat hanc cognitionẽ cognoscit, sed non cog-

noscit eam per aliam cognitionem: ergo per ipsam, ac proinde vna; & eadem Divina cognitio supra se ipsam est reflexiva, nonque opus est ad reflexionem cognitione distincta. Minor, in qua est difficultas, probatur. Quia, si Deus suam cognitionem cognosceret per aliam distinctam, istam per aliam distinctã cognoscere deberet, illamque per aliam, sicque in infinitum: vnde darentur in Deo infinitæ cognitiones realiter distinctæ, quæ admitti non debent, immo nec duæ, vtpote, contra divinam simplicitatem.

3244 His suppositis, solum est difficultas: an in homine v.g. vna, eademque cognitio possit supra se reflectere, & se ipsum cognoscere. Circa quam difficultatem, quia à paucis agitari solet, vide Lynceum *libro 7. metaphys. tract.* 11. & Carletonem *hic disput.* 19. *sect.* 3. apud quorum primum vide varias sententias, eas enim non refero brevitatis causa: sed dico primo: plures dantur cognitiones, quæ supra se ipsas reflectant, saltim confuse. Probatur conclusio ista: actus intellectus, quo dico *omnes ens est intelligibile: aut quo dico: omnis actus intellectus est spiritualis*, & plures alij his similes se ipsos confuse cognoscunt, hoc est, simul cum alijs, & sub ratione communi, in qua cum illis conveniunt; quia primus memoratus actus nõ solũ de entibus à se distinctis affirmat intelligibilia esse, sed etiam de se ipso; cum ipse vere intelligibilis sit, vereque ens, nec sit ratio ipsum excipiẽdi à subiecto illius propositionis; sed potius in omnium communi modo intelligendi in illo contineri concipiatur; dicendum ergo est prædictos, & similes actus de se ipsis etiam aliquid affirmare, ac proinde se ipsos cognoscere, confuse saltim, & sub ratione communi, in qua cum obiectis alijs distinctis conveniunt.

3245 Dico secundo: non est necessarium, quod omnis intellectus actus, in se ipsum reflectat, seve ipsum cognoscat, achuc confuse, & sub ratione communi probatur conclusio: quia actus, quo dico *Petrus currit*: *canis est latrabilis*: & alij infiniti nihil de se ipsis affirmant, nec est vllum fundamentum, quo constet se ipsos cognoscere, præsertim semper, & necessario, ac per se ipsos: ergo dicendum est, quod non omnis actus intellectus in se ipsum reflexivus sit; adhuc sub ratione cõmuni confirmatur primo; quia si quilibet actus non solũ obiectum distinctum, sed etiam se ipsum cognosceret, nunquam posset quis aliquid cogitare, quin facile etiã quid cogitabat affirmare posset, cum ipsa obiecti cognitio de se ipsa cogitaret; sed quisque experitur multoties ita se in alicuius obiecti cogitatione diverti, vt non possit de sua cogitatione rationẽ reddere; nec quid cogitaret declarare: ergo quia sæpe cognitio supra se ipsam nõ reflectit, sed tantum obiectum distinctũ cognoscit. Confirmatur secundo: quia actus voluntatis, quo quis amat

Deum

Deum ſuper omnia, aut, quo quis odit peccatum, ſupra ſeipſos non reflectunt, alias voluntas ſuum actũ creatum ſuper omnia amaret, & actum odio habentem peccatũ odiſſet: quod dici non debet: ergo ſimiliter aliqui actus intellectus ſupra ſeipſos non reflectent; conſequentia conſtat à paritate rationis; quia in reflexione omnes parificant intellectum, & voluntatem.

3246 Dico tertio in homine dari nequit naturaliter cognitio, quæ ſeipſam clarè, & diſtinctè cognoſcat; benè tamen ſupernaturaliter. Probatur concluſio quoad primam partem. Quia intellectio, vt cognoſcatur, debet cõcurrere obiective, aut immediatè, aut media ſpecie ab ipſa producta: ergo debet habere prioritatem aliquam reſpectu cognitionis ſuę, cõſequenterque ab ea diſtingui. Quoad ſecundam autem etiam conſtat: quia à Deo benè poteſt produci ſpecies, quæ obiectum, & actum repræſenter, & conſequenter ad actũ cognitionis concurrat ſpecies actus immediatè, quin actus immediatè concurrat, neque mediatè; ſed ſolum terminative, ad quod nulla prioritas eſt neceſſaria.

Soluuntur argumenta.

3247 Sed obijcies primo contra primam concluſionem: cognitio humana nequit eſſe ſui ipſius obiectum; ergo nec ſeipſam cognoſcere. Probatur antecedens; obiectum eſt prius natura ſua cognitione; ſed cognitio nequit eſſe ſeipſa prior natura: ergo nequit eſſe ſui ipſius obiectum. Maior probatur primo; quia obiectum eſt cauſa partialis cognitionis ſuæ iuxta proloquium illud ex D. Auguſt. deſumptum: *ab obiecto, & potentia gignitur notitia*; ſed cauſa, etiamſi ſit partialis, eſt prior natura ſuo effectu: ergo obiectum eſt prius natura ſua cognitione. Secundo probatur maior eadem; quia hæc cauſalis communiter iudicatur vera: *Ideo obiectum cognoſcitur, quia eſt*; & iſta falſa: *Ideo obiectum eſt, quia cognoſcitur*: iſta autem diverſitas in cauſalibus non aliunde videtur provenire poſſe, niſi à prioritate naturæ inter obiectum & cognitionem.

3248 Reſpond. tamen negando antecedens: ad cuius probationẽ negant maiorem Lynceus, & Carleton; ad cuius primam probationem iterum negant maiorem; ſi vniverſaliter ſumatur; quia non omne obiectum eſt cauſa cognitionis, vt patet in cognitione Divina; quæ à ſuo obiecto minime cauſatur: proloquiũ autem D. Auguſt. ait Lynceus, ſolùm eſſe verũ de cognitione ſenſitiva, aut etiam intuitiva, aliàs quæ à ſenſu originem trahat. Carleton vero addit neceſſarium non eſſe, quod obiectum media ſpecie cauſet cognitionem cum chymæræ, & negationes cognoſcantur, quin vllam ſpeciẽ cauſent: vnde in alijs obiectis neceſſariũ non eſt, quod ſpecies ab ipſis cauſentur, ſed infundi poterunt. Ad ſecundam probationem reſ-

respondet vterquè, eam vim habere, si sermo sit de obiecto directo cognitionis; si vero de reflexo aiunt causales vtrinque esse veras, ideoque obiectum cognosci, quia existit, & ideo existere, quia cognoscitur: ait tamè Lynceus istas causales non esse rigorosas, quia ly *quia* non tam denotat causalitatem veram, quã identitatem: sicut in istis *Petrus est animal rationale*; *quia est homo*: *Petrus est homo quia est animal rationale.*

3249 Videtur tamen mihi malè negari maiorem; qua primum argumẽti antecedens probatur; quãvis enim ad secundam eius probationem benè respondeant prædicti PP. displicet tamen responsio ad primam: & in primis nihil prodest instantia cognitionis divinæ; cognitio enim divina nequaquam est causata; quid ergo mirum, quod ab obiecto non causetur; si enim illa à potentia non gignitur, sive producitur, non mirum est, quod ab obiecto etiam non producatur; in creatis vero cum omnis cognitio sit à potentia producta, non est cur ab obiecto etiam non producatur, nec videtur, cur omnis cognitio nostra in proloquio D. Augustini non contineatur, præsertim, quia continetur, iuxta Lynceum, cognitio, quæ originem trahit à sensu; & omnis nostra cognitio ab eo ortum ducit, vt est etiam commune proloquium, nec quod addit Carleron proficit; quia negationes, & chymæræ non causant cognitionem; quia cum non habeãt proprias speties, non influunt in cognitionem media earum productione; cognitio vero sui speciẽ causat, aut seipsa, ad sui cognitionem concurrit; vnde mediatè, vel immediatè in cognitionem influit. Nec obstat, quod sicut chymæræ cognoscuntur, medijs speciebus alienis, alia obiecta possunt cognosci medijs speciebus infusis: hoc enim fieri non potest naturaliter, quia illorum obiectorum species, quæ naturaliter ab ipsis produci valent, aut supplerì, non infunduntur naturaliter, supernaturaliter vero si infundantur, id erit in favorem tertiæ nostræ conclusionis.

3250 Respondeo ergo ad argumentum, antecedenti negato, distinguendo maiorem probationis eius: obiectum est prius natura sua cognitione, ita, vt nec divinitus in eo possit dispensari, nego maiorem, ita, vt naturaliter tantum non possit non esse prius subdistinguo maiorem, ita vt obiectum adæquatè sumptum debeat esse prius cognitione, nego maiorem: ita vt obiectũ secundum plures, aut ferè omnes suas partes sit prius; concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Ad maioris vero probationem simili modo maiorem distinguo: obiectum enim quodvis per proprias species cognoscibile, cognosci divinitus potest, absque eo, quod media specie in cognitionem influat; quia potest species divinitus à Deo, sine illius concursu,

pro-

produci: naturaliter autem loquendo tale obiectum debet mediatè, aut immediatè ad cognitionem partialiter concurrere, ita tamen, vt necessarium non sit, quod obiectum secundum omnes suas partes talem concursum præstet; sed sufficit, quod illum præstet secundum plures, aut ferè omnes; ratio est, quia ad cognoscendum hominem in cõmuni non est necessarium, quod omnia hominum singularia cognoverim, & ab eis rationem hominis, in qua conveniunt, abstraxerim, sed sufficit, quod plura singularia cognoverim determinate, adeo, vt de reliquis, quos non cognovi, eandem rationem esse iudicaverim; similiter, vt cognoscam omnem hominẽ esse animal rationale, necessarium non est, quod de singulis hominibus hoc iudicem in singulari; sed de pluribus, dum tamen de alijs omnibus eandem esse rationem iudicem: vnde species, qua cognoscitur homo in communi, & qua cognoscitur hominem esse animal rationale, non producitur ab eius obiecto adæquate sumpto, sed tantum à pluribus singularibus sub eo contentis. Omnia tamen sunt obiectum terminativum, ita tamen, vt non singula determinatè, & in singulari terminent, sed solum confusè, & sub ratione communi cognoscantur, & individua illa, quæ in particulari non fuerunt cognita, cognoscantur per speciem illorum, quæ cognita fuere: vnde dici possunt cognosci per speciem alienam; vel etiam per propriam; quatenus species est producta ab obiecto ipsis simili, & consequenter ita ea singularia, quæ cognita non fuere, confusè repræsentat, ac illa, quæ fuere cognita, & à quibus species fuit producta: vnde quando cognitio, supra seipsam reflectit, species, qua media cognoscitur confusè, est producta ab alijs entibus aut cognitionibus, cum ipsa convenientibus, ipsique similibus in prædicato, quod per eam cognitionem enuntiatur. Ex his non solum constat solutio ad argumentum, quatenus contra primam militat conclusionem: sed etiam corroboratur valde tertiæ cõclusionis doctrina.

3251 Contra secundam autem conclusionem obijcies secũdo: omnis cognitio terminatur ab obiectũ, vt eius obiectum est: sed obiectum cognitionis, vt tale, includit cognitionem, ergo cognitio omnis ad seipsam terminatur, & consequenter omnis cognitio est supra se reflexiva. Respondeo tamen nomine *obiecti* cognitionis, vt obiectũ cognitionis est posse intelligi entitatem materialem obiecti; quæ entitas est terminus cognitionis; aut etiam non solam entitatem materialem, sed, præter eam, cognitionem etiam: si primo ergo modo intelligatur, debet concedi argumentũ maior, & negari minor; si vero intelligatur secundo modo; maior est neganda; in eo enim sensu plures cognitiones non terminantur ad obiectum, vt obiectum est adæqua-

re; quia non terminantur ad cognitionem ipsam; sed ad rem cognitã. Simili equivocatione alia plura objiciunt argumenta Adversarij.

3252 Tertio objicies vnio physica, qua forma vnitur materiæ, non solum formam materię vnit, sed etiã seipsam: ergo vnio intentionalis, qua obiectum vnitur potentiæ, non solum obiectum potentiæ vnit, sed etiã seipsam, sed intellectio est vnio intentionalis obiecti cum potentia; & vniri intentionaliter potentię est intelligi ab illa; ergo intellectio, seu cognitio quævis seipsa intelligitur. Respondeo negando consequentiã; quia in multis dispares sunt vnio physica, & intentionalis, cum ista obiectum distans, absens, aut etiam non existens possit intentionaliter vnire, non ita illa physice; quoad præsens ergo disparitas est, quod obiectum cognitionis debet media specie in cognitionem influere, aut aliquid, loco ipsius, & cum cognitio non possit in seipsam influere media specie, nec Deus, suppleat naturaliter, nec aliud obiectum distinctum à cognitione, quando ipsi cognitioni est dissimile, possit concurrere media specie cognitionem repræsentante; vt patet ex solutione ad primum, fit, quod sepè cognitio non debeat immo multoties non possit naturaliter in seipsam reflectere, quamvis vnio physica in se quasi reflectat, seipsam vniendo.

3253 Quarto obicies D Tho. 2.2. q.25. art.2. aientem: *Ex hoc ipso, quod amat aliquis, amat se amare*: ergo iuxta Divum Thomam omnis actus voluntatis est supra se, ipsum reflexivus: consequenterque etiam intellectus, cum par sit ratio. Respondeo in primis consequentiã non esse bonam; cum actus odij sit actus voluntatis, & tamen supra se nec reflectat, nec id indicetur à D. Thoma; potius enim quis suum odium diligere solet, quam odisse. Deinde respondeo adhuc mentem D. Thomæ non esse, quod omnis actus amoris supra seipsum reflectat actu, sed habitu: ita enim hoc explicat Lynceus, & apud ipsum Caietanus, optimèque id ex textu D. Thomæ probat Lynceus; præmisserat enim D. Thomas obiectum voluntatis esse bonũ, cumque actus ipse voluntatis bonum quoddam sit ipsum amari posse rectè concludit.

QVÆSTIO XV.

Quid sit voluntas, & quod eius obiectum.

3254 PER Plures quæstiones de intellectu, & eius actib⁹ disputavimus; modo iam per non paucas de volũtate, & actibus illius disputaturi sumus. Lata quidem materia, latusque difficultatum campus: valde tamen pauci latè de ea in Philosophia disputant; forsan, quia vident in Theologia latè tractari; multi vero non solum eam non tractant valde latè, sed potius diminutè valde. Ego vero nec omnino paucorum viam

viam sectabo, nec multorum vestigia sequar: medium enim, in quantum potuero, iter cursare curabo; nec nimis latè tractando difficultates, quæ plerumque à Theologis disputantur, nec omnino eas omnes in Theologiam remittendo, earum potius tribuendo aliqualem saltim notitiam huic tractatui congruentem: ad rem ergo.

3255 Voluntas est *potentia appetitiua spiritualis*: eius obiectũ est bonum, & malum; sunt enim in voluntate actus prosequutionis, & actus fugæ, & aversionis, illorum obiectum est bonum; istorum malum. Vtrumque autem examinabimus in Metaphysica. Modo tantum nota, bonum aliud esse absolutum, aliud relativum: bonum absolutum est, quod in se inspectum perfectionem habet, integritatem, aut pulchritudinem; bonum respectivum, sive convenientiæ est id, quod respectu alicuius bonum, aut conveniens dicitur.

3256 Bonum autem respectivum subdividitur, in bonum honestum, vtile, ac delectabile. Bonum honestum dicitur id, quod naturæ rationali, vt tali, conformatur, sive rectæ rationi. Bonum vtile dicitur, quod aptum est ad alicuius boni consequutionem. Bonum denique delectabile, quod delectationem potest causare. Cum autem malum sit contrarium bono, eadem divisiones ac illud patitur, contrario tamen modo applicatas. Hoc supposito,

3257 Inquires primo? an obiectum voluntatis non solum sit bonum respectivum; sed etiam absolutum. Respondeo cum communiori sententia, contra aliquos Theologos, affirmative. Ratio est: quia cõmuniter admittitur, quod amor amicitiæ ab amore concupiscentiæ differt in eo, quod amor concupiscentiæ amat obiectum propter propriam convenientiam; amor vero amicitiæ propter ipsam obiecti bonitatem. Etsi dicas non in eo differre; sed quia amor amicitiæ respicit non convenientiam propriam, sed convenientiam amici. Contra est; quia possumus in aliquo bono complacere, quin ipsius convenientiam ad aliquem vllatenus consideremus. Contra deinde: quia perfectiones amici, quas solemus amare non distinguuntur ab ipso: ergo non possunt habere convenientiam propriè loquendo respectu amici.

3258 Secundo inquires, an voluntas possit amare malum, vt malum. Affirmative respondent Nominales cum Okamo, & Almaino. Negativa tamen sententia est communis, & verior ex qua ortum duxit commune proloquium: *Nemo intendens ad malum operatur*: cõstat autem conclusio; quia bonum est obiectum actuum prosequutionis voluntatis; ergo non potest extra illud actu prosequutionis ferri; & consequenter omne, quod amat, amat sub ratione boni. Quod vlterius constat; quia ad amorem voluntas ab obiecto allicitur; sed malum

lum potius voluntatem à se avertit, quam ad se alliciat; ergo non potest voluntas in malum, vt tale, tendere actu prosecutionis. Vnde colliges quod nec etiam voluntas amare potest obiectum, in quo nulla apparet ratio boni, quamvis etiam nulla mali ratio appareat.

3159 Sed dices primo: potest quis, quamvis nulla passione excæcatus sit, odisse Deum: sed in odio Dei nulla potest apparere bonitas, intellectu non excæcato: ergo voluntas potest amplecti id, in quo nulla est bonitas. Secundo dices; quando quis odio habet inimicum, malum ei optat, quia malum ipsi: ergo iam voluntas malum, vt malum, prosequitur. Respond. ad primam obiectionem odium Dei posse concipi, vt delectabile illud habenti, quamvis excæcatus non sit: vnde aliqua bonitas in eo relucere potest. Sed adhuc ea bonitas necessaria non est ad odium Dei quia odiũ non est prosequutionis actus, sed fugæ: ad summum ergo necessaria erit ad amorem reflexũ ipsius odij. Ad secũdam respondeo malum inimico amari, vt malum illi, quia hoc ipso, quod illi est malum, nobis cõveniens, & bonum indicatur, quia inimicus malus est nobis, & malũ mali bonum est, sicut non esse, seu carentia, carentiæ ens est.

3160 Tertio inquires an actu prosecutionis ita voluntas feratur in finem, vt finis sit actuum prosecutionis obiectum adæquatum Respondeo affirmative; quia bonum est obiectum adæquatum actuum prosecutionis; sed finis apud Aristotelem, & D. Thomam cum bono cõvertitur ergo est obiectum adæquatum actuum prosecutionis. Etsi dicas media amari à voluntate; ergo sunt obiectum actuum prosecutionis, consequenterque obiectũ actuũ prosecutionis non est solus finis. Respondet Lynceus omne medium amari propter finem, simul tamen propter se amari; quia habet aliquã rationem finis; vnde nihil à voluntate amatur, quod finis non sit, sed hanc doctrinam, non vacat modo impugnare; eam tamen falsam esse satis colligitur ex dictis à nobis *in Physica disp. 2. q. 18. n. 1880.* Respondeo ergo media amari à voluntate, non tamen propter se, sed propter finis bonitatem; vnde non sunt obiectum formale, sed materiale actus illius: relinquitur ergo, quod obiectum formale adæquatum actuum prosecutionis sit finis. Sed obijcit Lynceus: ergo media solum sunt bona bonitate finis: vnde iterum infert ergo omnia media respicientia eundem finem sunt æqualiter bona. Et si respondeas negando istam vltimam consequentiam, quia ex maiori conducentia, & efficacitate in finem, dicentur media magis bona, magisque participare finis bonitatem. Contra insurgit; quia ex hac doctrina sequitur, optimè defendi posse creaturas non esse bonas bonitate sibi intrinseca, sed solum per denominationem extrinsecam à bonitate creatoris; quod est hære-

hæreticum. Sed sic ego contra ipsum: ex doctrina nostra ad summum sequitur, quod inæqualitas in bonitate creaturarum posset explicari, etiamsi solum essent bonæ bonitate extrinseca, vnde fiet, quod ex ea in æqualitate non benè probabitur bonitatem creaturarum intrinsecam esse: quam autem diversum sit defendi posse bonitatem intrinsecam creaturarum non benè probari ex inæqualitate, atque posse defendi eam nequaquam dari, quis non videt? Cur id non vidit Lynceus, aut videre dissimulavit? Alijs parco; vt ad alia resolvenda transeam.

3261 Quarto inquires: quodnam sit obiectum terminativũ actus quo ego volo bonum amico. Respondet Lynceus esse bonum, quod amico exopto contra Vazquez aiẽtem, etiam esse amicum, cui bonũ exopto. Probat Lynceus suam responsionem; quia actus ille solum respicit amicum in obliquo, & vt finem *cui*, consequenterque sic solũ eum amat, quod est impropriè amare: sicut qui odium peccati amat, peccatum in obliquo importatum amare non censetur. Ex qua doctrina Lynceus infert, quod actus, quo Deum nobis desideramus, aut proximis nostris, habeat spei rationem, & sit virtus Theologica; quia solũ ad Deum immediatè, & propriè terminatur; ad nos vero, vel ad proximos non ita, sed in obliquo, & impropriè. Adhæreo Lynceo, addendo tamen, quod moraliter loquendo hoc est in prudentium existimatione ille actus magis est amor amici, quam boni ipsi desiderati, quia oritur magis à complacentia in amico, quam à complacentia in bono desiderato.

QVÆSTIO XVI.

Qualiter cognitio ad volitionem, siue amorem necessaria sit.

3262 CIRCA Quæstionem hanc S. Bonaventura Gerson, & alij mysticæ Theologiæ professores tenent, naturaliter voluntatem posse ferri in incognitum aliquando, aientes in via vnitiva voluntatem in Deum per amorem ardere, sine cognitione. Sed communiter Theologi Scholastici, & Philosophi hos Doctores deserunt, apud omnesque receptum est *nihil volitum, quin præcognitum*; vnde cum contemplativus aliquis cum Ordinarijs auxilijs divinę gratiæ ad amorem ardentem elevatur, nunquam, sine cognitione aliqua Dei, fit. Nec contra hoc vlla potest esse experientia; qui enim eam se habuisse dicat necessario dicet se talem amorem in se cognovisse; ergo cognovit Deum, quomodo enim potuit cognoscere se amare Deum, nequaquam Deum cognoscendo? inter Scholasticos autem Vazquez, Arriaga, Hurtado, Lynceus, & communius omnes tenent non solum naturaliter, verum nec divinitus voluntatem posse in incognitum ferri. Oviedus tamen, Spinula, Carleton, & alij

& alij Neotherici tenent divinitus voluntatem posse amare, quod non cognoscit.

3263 Amplector sententiam asserentem divinitus voluntatem posse tendere in obiectum incognitum. Probatur autem primo: quia cognitio non influit in volitionē, sed tantum se habet, vt conditio. & intentionalis applicatio obiecti amādi: ergo de potentia absoluta potest voluntas sine cognitione in obiectum per amorem tendere. Probatur consequentia primo quia applicatio physica in causis physicis est à Deo supplebilis per eius potentiam absolutam: ergo similiter intentionalis. Probatur secundo consequentia; quia eo ipso, quod cognitio effective non concurrat ad volitionem, sive amorem, totum volitionis pricipium salvatur sine illa; ergo benè potest Deus illud prædeterminare, vt illam eliciat; cognitio vtique solum deservire potest, vt per obiectum propositum voluntatem alliciat, vt se moveat ad amandum; vt autem à Deo moveatur ad ipsum amorem, non est necessarium, quod ab obiecto alliciatur, aut à cognitione illuminetur; sicut, quamvis, vt aliquis se localiter moveat, indigeat visu non sic eo indiget vt moveatur ab alio. Probavi dupliciter consequentiam: modo probo antecedens tripliciter. Primo quia præmissæ ad conclusionem nō concurrunt effective, vt vidimus in Logica parva disp. vltima q. 4. ergo similiter cognitio ad amorem. Secundo, quia nullam adest fundamētum ad eum concursum cognitioni tribuendum. Tertio: quia ignis calorem producit applicatione physica solum, vt conditione, concurrēte: ergo voluntas amorem, qui ardor quidā est, producit etiam cognitione, quæ applicatio intentionalis dici potest, vt conditione se habente.

3264 Sed adversus antecedens probationis positę dices primo: Verbum divinum producit Spiritum Sanctum; qui Amor Divinus est; ergo Verbum creatum producere etiam debet amorem creatum; sed per nos Verbum creatum est cognitio: ergo ista efficienter ad amorem concurrit. Secundo dices species impressa concurrit effective ad cognitionem: ergo & cognitio ad amorem. Ad primam tamen obiectio non respōdeo negando consequentiam ratio est; quia Verbum Divinum producit Spiritum Sanctum; quia habet eandem naturam, ac Pater illum producens, eandemque potentiam spirativam: nihil autem simile in cognitione reperitur creata. Ad secundam satis probabiliter à pluribus negatur antecedens. Nos tamen, qui illud suo in loco concessimus, & probavimus; negamus ex ibi dictis consequentiam; quia in amore non reperitur prædicatum aliquod, quod petat concursum obiecti effectivum media cognitione præstandum. Secundo probatur sententia nostra numero præcedenti primo probata, quia in eo, quod asserit nulla in-

vol-

volvitur contradictio, vt ex soluctio argumentorum constabit.

Soluuntur argumenta.

3265 Contra nostram tamen sententiam obijcies primo: si voluntas posset amare, & odisse sine cognitione, absque illa exercere posset libertatem, & peccare. quod fieri nequit. Secundo obijcies: appetitus innatus nequit divinitus ferri nisi in bonum reipsa: ergo elicitus non poterit divinitus ferri nisi in bonum cognitum; sicut enim se habet appetitus innatus ad bonum physicum sic elicitus ad bonum cognitum, sive intentionale. His duobus argumentis ex Vazquio, & Arriaga desumptis suam sententiam probat Lynceus *lib. 7. Metaph. tract. 8. num. 1.* ad eius initium: ad cuius finem ipsis suam sententiam manifestè ostendisse narrat. Ego vero non capio quomodo, Lynceis adhuc oculis, videri possit, quod argumenta ista manifestationem faciant, aut quomodo, si non est vilum, nec prudenter iudicabile, tam citò est sic oblivioni datum.

3266 Respondeo ergo ad primum argumentum negando sequelam; nec enim illa apparenter meo videri infertur; cum enim adhuc naturaliter voluntas plures actus eliciat non liberos, sed necessarios, cur actus ei supernaturaliter possibilis non erit, qui non sit liber, aut cur ex eo, quod actus non liber sine cognitione sit ei possibilis, deduci potest futurum etiam possibilem actum liberum? numquid est bonus arguendi modus ab eo, quod minus ad id, quod est magis? Dicendum ergo est actum illum, quem voluntas eliceret divinitus, sine cognitione, futurum necessarium, & non liberum, non solum, quia sine cognitione fieret, sed quia fieret ex consequenti à voluntate non se determinante, sed à Deo determinata.

3267 Ad secundum argumentum respondeo negando consequentiam, & ad probationem respondeo, non se habere eodem modo appetitum elicitum ad bonum cognitum, ac se habet innatus ad bonum physicum, sive reipsa: ratio est; quia obiectum vtriusque appetitus est bonum, vnde neuter eorum potest divinitus ferri nisi in bonum; cum ergo innatus appetens non cognoscat non est aliud bonum eius obiectum nisi quod [illegible] à Deo cognoscitur, qui illum regit, cumque idipsum, quod cognoscitur à Deo, vt bonum, reipsa bonum sit, idem est in appetitu innato ferri in bonũ, ac ferri in bonũ reipsa, & consequẽter sicut non potest ferri extra bonũ, nequit ferri extra bonum reipsa tale; in appetitu autem elicito obiectũ etiam est bonũ, cum tamen istud applicetur cognitione creata, est bonũ ab apperẽte cognitum, cumque quod sit cognitũ non se habeat, vt obiectum partiale, sed vt cõditio, si ferat̃ur in bonũ ab appetente incognitũ

non fertur extra suum obiectum; sed in illud sine ea tamen conditione, quam naturaliter petit.

3268 Obijcies tertio. Voluntarium definitur: *Quod est à principio intrinseco cum cognitione*: sed actus voluntatis est voluntarius: ergo essentialiter petit cum cognitione fieri. Respondeo cum Oviedo sufficere ad voluntariū, quod à principio intrinseco dependeat in actu secundo, & quod à cognitione dependeat in actu primo, vel secundo, hoc est, de facto ab ea dependeat, vel saltim naturaliter petat dependere, quod iam haberet actus ille voluntaris divinitus sine cognitione productus.

3269 Quarto obijcies: volitio per suam entitatem dependet à cognitione, sive vt à principio, sive vt à conditione; ergo essentialiter convenit ei ista dependētia; quod enim convenit rei per seipsam, essentialiter illi convenire censetur. Prob. antec. quia volitioni non convenit dependere à cognitione per aliquā entitatē distinctam; ergo ei convenit per se, sive per suam entitatem. Responderi poterat primo non tantum per suam entitatem volitionem à cognitione dependere, sed per eam, & simul per cognitionis entitatem. Sed præterea respondeo permisso, quod per suam entitatem dependeat, dependere per eam non actualiter, sive de facto, sed quia habet potentiam, exigentiamque dependendi ab illa, contra quæ tamen potest Deus facere.

3270 Quinto obijcies: causa physica nec divinitus potest operari, sine existentia physica: ergo nec obiectū amari sine cognitione. Probatur consequentia; quia cognitio est existentia intentionalis obiecti; ergo sicut existentia physica est necessaria ad physicas operationes, debet esse necessaria cognitio ad operationes intentionales voluntatis. Respondeo negando consequētiam; ad cuius probationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: ergo sicut est necessaria existētia physica ad operationes physicas, est necessaria cognitio ad operationes intentionales, si ad illas influat obiectum concedo consequentiam; si non influat: nego consequentiā. Obiectum autem ad volitionem influit intentionaliter, hoc est in genere causæ finalis; ad hūc ergo influxum tam necessaria est cognitio, sicut ad influxum physicum [illegible] existentia physica; quia tamen volitio potest existere, sine eo, quod ab obiecto finaliter causetur; quia effectus ille non dependet essentialiter à causa finali, potest consequenter volitio existere, & à voluntate produci, sine existentia intentionali obiecti, quæ est eius cognitio.

3271 Vidimus quod cognitio, saltim naturaliter loquendo sit ad volitionem necessaria; modo autem pro quæstionis huius complemento inquires: an sufficiat ad volitionem cognitio apprehensiva, an vero requiratur iudicativa. Communis sententia tenet ad amorem in ef-

ineffacem sufficere simplicem obiecti apprehensionem, quamvis enim pro contraria citetur à Lynceo Suarez, eum tamen loqui de amore efficaci indicant Oviedus, & Carleton in præsenti. Probatur autem communis sententia: quia benè potest Rusticus se Regē esse cogitare muneraque, & officia distribuere: tunc autem sine dubio ineffacē complacentiam habet in dignitate regia, & eius exercitijs, quin tamen se Regem iudicet, sed solum apprehendat. Difficultas ergo est; an etiam, sola suppositā apprehensione simplici, possit voluntas obiectum efficaciter amare: negant aliqui apud Oviedum, Carleton, & Lynceum; affirmative tamen cum ipsis respondeo. Probo responsionem: quia non minus efficax debet iudicari simplex apprehensio spiritualis ad movendam potentiam appetitivam spiritualem, ac simplex apprehensio materialis ad movendam potentiam appetitivam materialem; sed ad istam movendam ad actum efficacem sufficit simplex apprehensio materialis, vt in brutis constat, quæ efficaciter plura appetunt, cum tamen nihil possint iudicare, sed solum apprehendere: ergo ad movendam voluntatem ad actum efficacem, sufficit simplex apprehensio spiritualis.

3272 Advertē tamen primo: quod nemo cordatus efficaciter appetit finem ita, vt in electionem mediorum prorrumpat, sola simplici apprehensione suppositā. Ratio est: quia non nisi imprudenter, & temerariè quis eligit media ad finem, nisi prius supponat possibilem esse finem, ad quod necessarium est iudicium saltim probabile de finis possibilitate. Per actus autem affective efficaces, aut conditionatè, non solum potest quis tendere in obiectum non iudicatum possibile, sed etiam in obiectum impossibile iudicatum, & hoc modo damnati volunt affective efficaciter non existentiam Dei, quam tamen impossibilem iudicant. Secundo nota, quod sicut ad amandum non sufficit, quodcumque obiecti iudicium, sed necessarium est tale, quod obiecti proponat bonitatem, sic quamvis iuxta nostram sententiam sufficiat apprehensio simplex, non tamen quæcumque, sed quæ obiecti bonitatem aliquam proponat.

QVÆSTIO XVII.

De amore, & odio, eiusque diuisione.

3273 ANTEQVAM Ad agendum de libertate voluntatis veniamus, eius aliquos actus percurremus, in quibus tractandis diminute nimis Doctores procedunt communiter: Oviedus vero diffuse satis: illi non placent, ideoque plura ab eis omissa non omittemus; Oviedus vero, quidquid sit; an benè res, quæ etsi philosophicæ dici possint, ad difficiliores Theologiæ quæstiones eviscerandas

spectant in præsenti nimia diffusione tractet, quidquid inquam de hoc sit, non est dignus, quem nos imitemur: dictæ enim res non possunt obiter benè attingi; nec etiam possunt in præsenti latè tractari; cum id fieri nequeat sine aliarum difficultatum præiudicio, quæ in præsenti communiter tractantur, aut saltim tractari communiter postulant.

3274 Igitur vniversalior divisio actuũ voluntatis. Est in amorem, & odiũ; de hisque in præsenti quęstione futurus est nobis sermo. Amor igitur est *vnio affectiua amãtis cum re amata*: odiũ vero *affectiua separatio*. Vnde ille dicitur prosecutionis actus, diciturque amplexus obiecti: odiũ vero actus aversionis, & fugę. Dubitabis tamẽ primo: an prædicta divisio sit in mẽbra opposita, prout ad bonã divisionẽ est necessariũ. Resp. affirmative contra quosdã apud Lync. asserentes odiũ in amore includi; quia omne odiũ alicuius obiecti alterius est amor necessario. Sed quamvis omnis actus voluntatis virtualiter, & illative, possit dici amor, & omnis iudicij actus eodem modo affirmatio dici possit: verius omnino videtur, quod formaliter, & proprie actus iudicij negativi nihil affirment, & actus aliqui odij nullũ obiectũ formaliter, & propriè diligant: quod attente meditanti ipsos actus planum fiet; in illis enim tantũ affirmationis, & amoris specie reperiet, quatenus facilè infertur ex illis affirmatio alicuius, & alicuius amor; quod nos non negamus. Nec refert, quod in motu physico recessus ab vno termino, sit semper accessus ad alium; quia motus voluntatis non versatur semper inter duos terminos oppositos, sicut physicus.

3275 Secundo potest esse difficultas: an posita divisio sit adæquata. Negant aliqui apud Lynceũ aientes dari actum voluntatis medium inter amorem, & odium. Sed talem non dari actum medium verius est; quia omnis voluntatis actus, aut est motus ad obiectũ, & talis est amor: aut est motus ab obiecto, & odium dicitur. Nec obstat primo, quod datur actus medius inter iudicium affirmativum, & negativum, scilicet, dubitativum: falsum enim est; quod talis actus medius detur: cum enim quis dubitat, aut iudicium habet, quod non possit prudenter assentiri, nec dissentiri, & hic actus iam est negativus; aut id non iudicat, sed suspensus hærer, quin iudicet, & nec audet assentiri, nec dissentiri, & tunc nullum datur iudicium, sed simplex apprehensio vtriusque partis. Nec secundo obstat: quod hic actus voluntatis: *Volo alloqui Petrum, si foras eggrediatur*; nec dici possit velle eximum Petri; nec illũ nolle, & consequenter est actus medius. Respond. enim forsan conditionem illam à voluntate non attingi, sed à solo intellectu. Vnde ille actus, prout conditionem respiciens non est actus volun-

voluntatis. Deinde casu, quo voluntas conditionem respiciat, & attingat, illam vult non secundum se, sed vt coniunctam cum loquutione, quia cum istam vellit & non vt cumque, sed vt cum illa conditione affectam, conditionem etiam simul cum locutione vult.

3276 Tam amor, quam odium varias patiuntur diuisiones: vterque igitur dividitur in efficacē, & inefficacem. Amor efficax dicitur ille, qui ex natura sua vim habet, vt consequatur cum effectu rem amatam: vnde aliqui iudicant tunc solum voluntatem aliquid posse velle efficaciter, cum est in potestate eius ponere omnia media necessaria ad illud, quod vult, consequendum. Sed certè in quæstione de nomine iste modus loquendi displicet; quia in cōmuni loquendi modo id efficacius aliquis amare censetur, quod vehementius amat: sed sæpè vehementius amamus ea, ad quæ consequenda non potest voluntas omnia media ponere; ergo talis potestas in voluntate necessaria non est ad hoc, vt dicatur obiectū efficaciter amare. Verius iudico illum amorem dici efficacē, qui, aut ita coniungitur cū effectu, vt iste nullatenus possit impediri, aut saltim, si nō impediretur, vim habet, vt coniungeretur cum illo. Primo modo est efficax divina volitio, quę nullatenus à suo effectu impediri potest. Secundo modo solent esse efficaces volitiones creatæ, quia ita vehementer in obiectū feruntur, vt, quāvis possint impediri ab illius consequutione, aut etiam aliquando ea sit impossibilis, quantum tamen est de se illam consequi possunt, quia si in potestate voluntatis esset illam consequerentur, sine eo, quod maior, aut perfectior volitio ad eius consecutionem esset necessaria.

3277 Doctrinam numeri præcedentis tradit Lynceus; quia tamē sunt aliqui amoris actus, qui non videntur curare de existentia, aut non existentia obiecti, veluti amor, quo Deum super omnia diligimus; in tali actu negat efficaciam effectivam, & concedit affectivam, & dicit hanc dari; cum amor est talis, quod excludat oppositam displicentiam de eodem obiecto. Sed certè si loquatur de opposita displicentia inefficaci, hæc videtur coniungi posse cum amore efficaci; si vero de efficaci displicentia, explicat amorem efficacem per oppositionem ad efficax odium non minus incognitum quam amor ipse efficax, quapropter doctrina numeri præcedentis etiam in actu amoris Dei locum habere est censenda, & dicendum illum amorem Dei efficacem esse, qui & si non intendat Dei existentiam, tamen est ita perfectus, quod si esset in potestate voluntatis existentiam Dei ponere, aut non ponere, ex vi illius voluntas ad eam ponendam moveretur. Cum quid sit amor efficax explicaverimus constat iam, quid sit amor inefficax cum sit eius oppositus, & qui ad eius perfectionem non

attingit. Similiter constat quid de odio sit dicendum: ei enim est eadem doctrina cum proportione applicanda. Est tamen advertendum, quod amor communiter accipitur pro amore efficaci, & inefficax vocatur simplex complacentia; similiter odium inefficax simplex displicentia dicitur, quæ præcedere solent actus efficaces, sicut apprehensiones præcedunt iudicia.

3278 Præterea dividitur amor in amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ, amor amicitię est amor ad personam, cui bonum aliquod volumus, terminatus: amor cõcupiscentiæ est amor terminatus ad bonum ipsum, quod nobis, aut alteri volumus. Odium similiter dividitur in odium inimicitię, & odium abominationis, illud ad personam, istud ad ea, quæ personæ inimici conveniun, seu ad ipsum attinent terminatur. Est autem in præsenti difficultas, an amor, quo diligo Petrũ, amore amicitiæ, & quo divitias ipsi cupio amore cõcupiscentię sit vnus actus; an vero duplex, & in primis probabili° est multo, quod possit esse vnus. Vnus enim actus duo obiecta adhuc non ita connexa attingere potest; cur ergo non poterit etiã Petrum, & divitias ipsi volitas idẽ actus attingere? An autem necessario sit vnus, & non possit esse duplex, est maior difficultas. Vnum necessario esse debere affirmant aliqui apud Lyncum. Sed oppositum probabilius videtur: sufficientem namque diversitatẽ habent Petrus, & divitię vt distinctos actus terminent; imo facilius intelligitur, quod actus volens divitias Petro, terminetur propriè ad divitias solũ, consequitur tamen ad actum alium terminatum ad Petri personam.

3278 Sed dices: amare personam est velle ei bonum iuxta Divum Thomam Philosophum, & communem loquẽdi modum: ergo idem actus, qui terminatur ad bonum, & est amor concupiscentiæ, est etiam amor personæ, & amicitiæ amor. Respondeo primo amare personam esse ei velle bonum non formaliter, sed causaliter, quia amor personæ statim infert alium amoris actum, quo bonum illi ametur. Respondeo secundo, negando consequentiam, quia velle alicui bonum, etsi videatur vnum actum esse sive includere, frequentius duos includit, alterũ quo amatur persona, alterum, quo ei amatur bonum. & quia per duos istos actus perfectius amatur persona, quam per eum, qui ad solam personam terminatur, dicitur quod amare illam sit ei velle bonum includendo in hoc duos illos actus.

3279 Præterea dividitur amor in amorem strictum, desiderium, & gaudiũ, amor strictus est, qui terminatur ad bonitatem rei secundum se sumptæ, & præscindẽdo ab eo, quod sit existens, aut extitura, possessa, aut possidenda, desiderium est de bono extituro, aut possidendo, gaudium denique de bono existenti, & possesso. Odium similiter aliud est stric-

Primum de malitia rei ſecũdum ſe: aliud dicitur fuga de malo imminẽti, & extituro, aliud dolor, aut triſtitia de malo præſenti, & poſſeſſo. De his tamen actibus aliqua inquirit Lynceus *lib. 7. Metaphyſic. tract. 7. cap. 2. à num. 17.* primo ergo inquirit, an diſtinguantur non ſolum ex modo tendendi, ſed etiam ex obiecto formali. Reſpondet primo amorem ſtrictum à deſiderio, & gaudio ex obiectis differre; quia amor terminatur ad bonitatem rei; deſiderium, & gaudium ad eius exiſtentiam, cumque bonitas ab exiſtentia, virtualiter ſaltim diſtinguatur, ſic ſaltim dictorum actuum diſtinguuntur obiecta. Secundo reſpondet probabilius eſſe; quod deſiderium, & gaudium non diſtinguãtur ex obiectis. Probatur hoc: quia vterque actus reſpicit pro obiecto exiſtentiam ſolumque differunt in modo tendendi; alter enim deſiderat, quod exiſtat, alter gaudet, quia exiſtit; nec obſtat, quod alter terminetur ad abſens; quia non terminatur deſiderium ad abſens, ſive ad non exiſtens negative, ſed præciſive. Ego vero addo terminari ad abſens, ita tamen, vt abſentia non ſit partiale adhuc obiectum, ſed conditio neceſſaria ad modum tendendi deſiderij proprium.

3280 Secundo inquirit Lynceus, an deſiderium, gaudium, & amor ſtrictus ſint actus non ſola ratione, ſed etiam realiter diſtincti. Reſpondet affirmative, probatque ex eorum ſeparabilitate, quam experimur. Tertio inquirit, quam ſubordinationem habeant dicti tres actus: reſpondet gaudium ſupponere deſiderium, & iſtud præſupponere amorem. Probat ex D. Thoma, 1. 2. *quæſt. 20. art. 1.* in corpore vbi ait: *Nullus enim deſiderat niſi bonum amatum, nec aliquis gaudet, niſi de bono deſiderato.* Quarto inquirit: an gaudium differat à deſiderio, & amore; quia gaudium non cauſatur à potentia, ſed in illa recipitur cauſatum à ſolo obiecto. Reſpondet negative: eo quod Scoti fundamentum ad oppoſitum nullum eſt; fundatur enim in eo, quod obiectum gaudij eſt præſens. Contra quod eſt, quod ſæpè quis gaudet de obiecto non exiſtenti immo impoſsibili; iudicato tamen exiſtenti. Si dicat tunc cognitionem eſſe præſentem, & ab ea cauſari gaudium: contra eſt, quia etiam in deſiderio, & amore; cognitio eſt præſens, & tamen iuxta Scotum ipſum iſti affectus potius cauſantur à potentia, quam à cognitione; ergo ſimiliter eſt de gaudio ſentiendum. Hæc ſufficiat ex Lynceo retuliſſe (quæ ſatis probabilia videntur) quia in Philoſophicis ab alijs non attinguntur. Tranſeamus modo ad alia.

QVÆSTIO XVIII.

De intentione, & electione.

3281 CIRCA Intentionem, & electionem plura disputant Theologi, Philosophi pauca: inter hos tamen Oviedus plura. Non nego ea philosophica valde esse; sed cum ad res theologicas explicandas valdè proximè conducant, non est à ratione alienus communis vsus. Plus ergo, quam communiter alij de intentione, & electione attingemus, multo tamen minus, quam Oviedus, vtinam verè medium attingamus. Igitur intentio est actus voluntatis immediatè tendens in finem. Est ergo actus desiderij, quo bonum aliquod consequi desiderat voluntas; dum enim voluntati proponitur aliquod bonum per media aliqua consequibile, illudque, vt per media cõsequibiie, appetit, desideratque illud consequi, media necessaria adhibendo, tale desiderium boni ab omnibus intẽtio dicitur. Est tamen difficultas, an desiderium efficax finis, quod nullatenus media respicit, adhuc confusè, quia intellectus nullatenus media proponit, habet tamen vim, vt, eis propositis, voluntas moveatur ad illorum electionem; est inquam difficultas an talis actus sit intentio. Respondeo tamen affirmative; quia ille actus interpretative tangit media, quatenus ita erga finem afficitur, vt si proponantur media necessaria ad illius adeptionem, inferatur electionem illorum. Maior tamen difficultas est; si illa finis volitio talis sit, vt quamvis moveri possit ex illa voluntas ad mediorum electionem, si media proponantur, non tamen moveatur necessario. Adhuc tamen censeo actum illum intentionem esse: eo, quod sit actus tendens in obiectum, propter se, & potens voluntatem movere ad mediorum electionem; quod autem non necessario moveat sufficit vt efficax intentio dici non possit, non tamen, vt intentionis ineffi cacis nomen non mereatur. Denique adhuc actus ille, quo quis efficaciter desiderat bonum aliquod propter se, quando illud non est per media consequibile, & propterea non movet ad electionem mediorum, intentio dici potest. Tum quia potest dici, quod actus ille moveret ad electionem, si media necessaria essent; tum quia potest dici, quod ad intentionem sufficit amare bonum propter se, & solum ordo ad media ad illam consequitur, dum ista sunt necessaria, & ab intellectu proponuntur. Hæc omnia ab Oviedo traduntur probabiliter satis, nec in ijs amplius est necesse immemorari; quia siquis oppositum contendat, de nomine contendet tantum.

3282 Deinde electio est volitio mediorum in particulari, seu volitio alicuius non propter se, sed propter finem intentum, ad quem conducit. Dixi autem quod est volitio

sitio mediorum in particulari, quia in communi ipsa intentio solet respicere media. Electio supponit intellectus consultationem, qua ad finem præintentum varia media voluntati proponit. Cum ergo voluntas ex propositis medijs aliquod, vel aliqua amplexatur, alijs omissis, dicitur eligere, & talis volitio dicitur electio. Volitio vero, qua media in communi vult voluntas, aut est ipse actus intentionis, aut impropria, & imperfecta electio. Est tamen difficultas, an quando, intento fine, intellectus per consultationem vnicum mediũ in particulari voluntati proponit, quia alia apta non invenit, volitio illius vnici medij sit dicenda electio. Quæstio tamen de nomine est, quia ille actus iuxta omnes vellet medium in particulari nõ propter se, sed propter finem, quod spectat ad naturam intrinsecam electionis; ille tamen actus non vellet hoc medium præ alijs; quia alia nõ essent proposita: vnde illi actui ethymologia electionis non competeret, posset tamen dici electio quatenus in natura, & quoad intrinseca convenit cum alijs actibus, qui electiones esse ab omnibus iudicantur.

3283 Disputat tamen in præsenti Oviedus plura; primo: an intentio, & electio realiter inter se distinguantur. Secundo quomodo ex suppositione, quod distinguantur sint inter se connexæ. Tertio quomodo intentio in electionem influat. Primum disputat *controversia* 11. *punct.* 2. secundum *punct.* 3. tertium denique *punct.* 7. Breviter tamen dicendum est ad primum, eundem actum esse posse intentionem, & electionem, sicut diximus superius eundem realiter actum posse esse amorem amicitiæ, & concupiscentiæ erga diversa obiecta. Deinde intentionem, & electionem esse posse actus realiter distinctos, videtur probabilius. Vtrumque ex dictis circa actũ amoris amicitiæ, & amoris concupiscentię constare videtur. Est tamẽ in præsenti peculiaris difficultas, quia quamvis dari possit intentio, quæ non sit electio, dum videlicet, ab intellectu proponitur finis, & iste à voluntate amatur, ante quam intellectus proponat media, & eorum consultationem faciat; tamen actus electionis, qui postea sequitur, videtur, quod, etiam sit intentionis actus, cum enim non solum medium amet, sed etiam ipsum propter finem amet, videtur iam finem ipsum amare: vnde erit simul intentio, & electio, quo fiet vt omnis electio cum aliqua intentione identificetur, quamvis aliqua intentio ab electione sit realiter distincta. Quia tamen aliqui existimant actum electionis posse amare mediũ propter finem amando finem vt *quo* solum & non vt *quod*: quæstio ista, an, scilicet, omnis electio cum aliqua intentione sit identificata, dependet ab ea, quæ inquirit, an aliquando possit amari medium propter finem, ipsum solũ vt *quo*, & nõ vt *quod* amando, quæ quia multam con-

concernit Theologiam illic est examinanda.

3284 Circa secundum autem dico: intentionem efficacē connecti necessario cū electione vnius medij, si vnicum detur, &, si plura dantur, cum electione alicuius eorū vage sumpti. Probatur hoc: quia intentio efficax finis non potest illum velle efficaciter, nisi vt possibilem, sed quando per vnicum medium tantum est consequibilis, non est possibilis nisi per huius electionē, & exequutionem, & cum per plura, non est possibilis, nisi per electionē alicuius eorum vage: ergo ad dictam electionem necessitatur voluntas per intentionem efficacem. Adverte tamen, quod non semper necessitatur ad electionem statim faciendam, sed ad eam faciendam eo tempore, quo id necessarium est, ad consequutionem finis tempore, quo consequi intenditur, prædicto tamē tempore ita est necessaria electio, vt, aut voluntas eligere, aut ab intentione cessare, teneatur.

3285 Circa tertium denique probabilius videtur intentionem influere in electionem non efficienter, sed solum determinando, & impellendo voluntatem ad electionem. Ratio est, quia voluntas videtur sufficiens causa physica electionis, nullaque apparet necessitas tribuendi actui intentionis concursum physicum partialem in illā; sicut enim visio beata ad amorem necessitat, & præmissæ rectè dispositæ ad conclusionem, saltim quoad specificationem, quin eis concedatur effectivus concursus, sic intentio ad electionem potest, modo dicto, necessitare, quin ad hoc vllus physicus concursus sit ei tribuendus.

3286 Præterea esse potest in præsenti difficultas, quā non solum Oviedus *in præsenti punct. 6.* sed etiam alij disputant, quamvis communius in Theologia disputetur: an voluntas possit ex duobus medijs ab intellectu propositis eligere minus bonum. Sentit ergo P. Vazquez quod, dum voluntas intendit aliquem finem, & ei duo media proponuntur æque vtilia, & cōducentia ad illum consequendum, neutrum illorū potest voluntas eligere, si vero inæqualia sint medium magis bonum tenetur eligere, & nequaquam potest eligere minus bonum. Communis tamē sententia tenet oppositum, aitque, sive media proposita sint æqualia, sive inæqualia, dum tamen quodlibet sit bonū, vtileve ad finem consequendum, quodlibet eorum posse voluntatem eligere, quantumvis non sit magis bonum, sed aut æquale, aut etiam minus bonum. Probatur autem cōmunis sententia primo: quia ea est iuxta naturam voluntatis, quæ libera est, & consequenter ad eam spectat, si ad finem intentum sunt plura media apta, & vtilia eligere vnū aptum quantumvis aliud æque, aut magis aptum prætermittat; sic enim magis elucet voluntatis libertas; sicque etiam contingere multoties ex

pe-

perimur? quisque namque experitur, quod, postquam efficaciter ingendit ire Matritum, potest si duæ sunt viæ illuc tendentes, stante illa intentione, longiorem, & minus aptam eligere, si vellit, & à fortiori quis credet, quod si præcognoscat duas illas vias æquales æquique brevitate & commoditate ducere in Matritum neutram eligere possit, sed potius si alia tertia melior vtra que non occurrat, quod cogetur ab intentione proposita desistere? Certe cum hæc affirmet sententia Vazquez, quæ cuivis sunt incredibilia, ipsa etiam sententia cuique incredibilis videri debet, & falsa omnino.

3287 Secundo probatur: quia Deus, præintento aliquo fine, & plurib usmedijs ab ipso cognitis, eligit mul oties mediũ æquale cum alio, quod omittit, multotiesque minus vtile: ergo similiter humana voluntas. Consequentia patet, quia, & si divina voluntas sume excedat humanam, in hoc non videtur disparitatem habere cum ad bonum, & ad melius non minus, sed potius magis sit determinata, quam humana. Antecedens autem constat: quia dum Deus aliquem excitat ad actum amoris ipsius Dei eliciendum immitta sancta aliqua cogitatione, videtur dubitari non posse, quod ipse Deus alias plures cogitationes ad illum effectum æquales potuit immittere, aliasque aptiores: ergo elegit ex æqualibus medijs vnum, & ex inæqualibus minus bonum, aut vtile. Non magis immoror in re probanda fere omnibus clara.

3288 Sed obijcies primo: voluntas non potest amplecti malum: ergo neque minus bonũ. Probatur consequentia, quia minus bonum, vt tale, est malum; cum sit carentia maioris bonitatis. Secundo obijcies iuxta receptum à Theologis proloquium: omnis peccans est ignorans: ergo peccatum contingit, quia intellectus minus bonum, vt maius, proponit, non vero, quia voluntas, quod, vt minus bonum, ei proponitur, possit amplecti. Tertio obijcies: electio supponit consultationem intellectus circa media: ergo quia eligit semper voluntas maius bonum; alias enim ad quid consultatio, si ipsa non attendit ad maiorem medij vtilitatem propositam. Quarto obijcies, quod D. Thomas 1.2.*q*.13.*art*.6. *in responsione ad tertium* in casu, quo duplex medium æque vtile proponitur voluntati, ait voluntatem liberam esse ad electionem, quia potest iniungere intellectui, vt alia media inquirat, vsque dum inveniatur vtilius: hoc autem necessarium non esset, si voluntas libere posset, alterũ medium eligere ex duobus æque vtilibus. Confirmatur: quia voluntas amplexari debet medium, quod magis illam movet: sed ex duobus medijs æque vtilibus neutrum movet magis, quam aliud: ergo neutrum potest voluntas eligere.

3289 Respondeo ad argumen-

menta posita; ad primum negando consequentiam, ad cuius probationem dico minus bonum, vt tale, esse malum; quando tamen voluntas eligit medium minus bonum, non eligit illud, vt minus bonum reduplicative, sed illud eligit specificative mota à sua bonitate, vt bona, & vtilis est, non tamen, vt maioris bonitatis carentiam habet. Ad secundum respondeo: omnem, qui peccat, ignorantem esse, non quia non cognoscat multoties id, quod eligit, dum peccat, minus bonum esse, sed quia caret aliqua cognitione, quam si haberet, non peccaret; qui enim peccat bene cognoscere solet minus bonum esse delectationem peccati, quam actus virtuosi honestatem; ignoranter tamen peccat, quia si bene perpenderet aliqua, vt peccati malitiam, Dei bonitatem, aliaque similia, moraliter certum est, quod non peccaret, quamvis adhuc peccare posset; si autem peccatum proveniret ex ignorantia intellectus, omne peccatum esset sine libertate: quod sic probo: peccatum iuxta aduersariorum doctrinã contingit, quia intellectus proponit minus bonum, vt maius; sed iuxta ipsos minus bonum vt maius propositum voluntas necessario amplexatur: ergo peccatum contingit voluntate necessario operante & consequenter sine libertate. Dices voluntatẽ posse iniungere intellectui, vt alia media quærat, & quia id non facit libere peccat. Contra tamen, quia voluntas nequit aliquid iniungere, quin ei proponatur ab intellectu: aut ergo proponitur ea iniunctio, vt maius bonum, quam eius carentia, aut non: si non; non potest voluntas iniungere, cum sit minus bonum. si vt maius bonum proponitur, eam iniunget & consequẽter non peccabit in omissione iniungendi, nec libertatem exercebit; cum necessario iniungat. Iuxta rectam ergo Theologiam huius argumenti intentum vanum est.

3190 Ad tertium argumẽtum respondeo, quod quamvis voluntas eligat ex medijs, quod ipsa pro sua libertate vult, vtilis valde est consultatio. Tum quia ea deserviet, vt vtile, & non inutile eligat; tum quia deserviet, vt maiori laudi tribuatur medij magis vtilis electio & minori laudi electio minus vtilis; si enim eligeret minus, aut magis vtile sine cognitione, & consultatione non eligeret magis, vel minus vtile libere; cum circa incognitum non detur libertas. Vnde consultatio non tollit libertatem ad quodlibet eligendum; sed potius quodcumque eligatur, quia illa supponitur, libere aut saltem magis libere eligitur. Ad quartum respondet Oviedus cum Caietano D. Thomam omisisse antecedens argumẽti, quia curabat non de illius veritate, quæ impertinens tunc erat, sed de argumenti solutione, quæ illo omisso, præstari poterat. Ad confirmationem respondeo hominem ab obiecto allici & moveri, non tamen necessitari: vnde ipse, pro sua liber-

tate

tate, non solum ad quodcumque ex æque moventibus se potest determinare, sed etiam ad obiectum, quod minus movet.

QVÆSTIO XIX.

De libertate voluntatis.

3291 VOLVNTATEM Nostram liberam esse est fidei dogma, quod Scripturæ, & Conciliorum testimonijs, à Theologis probatur, in quibus non oportet nos immorari. Constat etiam experientia ita clare, vt alia probatione non indigeat, & apud Gentiles etiam, vt comperta veritas habeatur. Igitur vt libertatem voluntatis agnoscamus, visuri sumus in præsenti, quid sit potentiam aliquam liberam esse; quæstione autem sequenti, vt actuum eius libertas innotescat, quid sit actus liber examinabimus. Libertas autem potentiæ dicitur libertas in actu primo; quia communiter potentia actus primus dicitur. Libertas vero actus dicitur libertas in actu secundo, quia actus, sive actio potentiæ actus secundus dici consuevit. Igitur potentia libera communiter definitur; *quæ, positis omnibus requisitis ad operandum potest operari & non operari*: loquitur autem definitio de requisitis ex parte actus primi, non ex parte actus secundi, quia, posita actione, quæ se tenet ex parte actus secundi non potest iam voluntas nō operari, positis tamen omnibus cōprincipijs & conditionibus, quæ ad actionem necessaria sunt, potest operari, & non operari, si sit libera. Si autem tantum operari possit non potest libera dici.

3292 Libertas alia est contrarietatis, alia contradictionis. Libertas contrarietatis tunc reperitur, quando potentia habet virtutē ad operandū vnū actum, & eius cōtrariū. Libertas vero contradictionis; quādo habet potestatē operandi actum, & illum præcisse non operandi. Vnde voluntas prout potest elicere amorem, & potest etiam elicere odium illi contrarium, est libera libertate contrarietatis; prout vero potest elicere amorem, & illū non elicere, est libera libertate cōtradictionis. Posita autem definitio solum convenit libertati contradictionis: forsan autem id interest parum, quia, cum omnis libertas contrarietatis conrradictionis libertatem includat, quia eliciens odium vere non elicit amorem, aliquo modo omnis libertas in ea definitione comprehenditur; aut etiam interest parum: quia nemo est tam rudis, vt ex definitione posita, quæ libertati contradictionis convenit, non facile conficere possit definitionem libertati contrarietatis conveniens tem.

3293 Libertas autem necessitati est opposita: vnde, quod libertate caret, necessarium dicitur; & ablata à potentia libertate, ea necessitari dicitur. Necessitas autem quæ

quæ consistit præcisse in carentia libertatis contrarietatis, dicitur necessitas quoad specificationem. Necessitas vero, quæ consistit in carentia etiam libertatis contradictionis, dicitur necessitas, quoad exercitiũ. Adverte tamen, quod, quamvis etiã contingentia sit necessitati oppositа, diversimode tamen ei opponitur, ac libertas. Nam contingentia solum dicit, quod possit res evenire, & non evenire, non tamen, positis omnibus requisitis, vt eveniat: libertas autem addit, quod, etiam positis omnibus requisitis, potest effectus produci, & non produci. Sed præterea differt libertas à contingentia, quia in contingentibus potest effectus produci, & non produci ita tamen, vt non fiat consulto, sed casu, & quasi per accidens; in liberis autem potest effectus produci, & non produci non casu, & per accidens, sed propter potestatem, & dominium, quod habet causa libera, vt eos actus producat, vel non producat.

3294 Nota tamen, quod ad libertatem opus est, quod potẽtia habeat virtutem, & requisita omnia non solum ad actum eliciendum sed etiam ad omittendum illũ, seu eliciendum contrarium. Constat hoc ex ipsa definitione, quæ procul dubio ita intelligenda est, vt potentia libera in ijsdem circunstantijs, in quibus est potens operari, sit potens non operari, aut operari oppositũ potentia proxima, & consequenter ita, vt ad omissionem, aut operationem oppositã habeat, omnia requisita ex parte actus primi. Propter hoc autem potentia visiva libera non est, quia quamvis possit videre, & non videre, dum habet omnia requisita ad videndum, non potest non videre, quia non habet simul cum requisita ad videndum, requisita ad non videndum.

3295 Ex dictis numero præcedenti colliges ad libertatem necessarium esse iudicium indifferens: iudicium autem indifferens est iudicium potens inducere ad amorem, & ad odium, sive omissionem amoris; cumque ad amorem inducat cognitio bonitatis, ad odium cognitio malitiæ, & ad omissionem amoris etiam cognitio malitiæ, aut cognitio alicuius difficultatis in exercitio amoris; cognitio indifferens erit, quæ proponat in obiecto bonitatem aliquam, & aliquam malitiam, aut saltim bonitatem, & aliquod fastidium in amore illius bonitatis. Iam ergo bene infertur, quomodo istud iudicium ad libertatem requiratur, quia ad istam requiritur, quod potentia, dum habet requisita omnia ad operandum, habeat etiam omnia requisita ad non operandum, aut ad operandum oppositum: sed sicut ad amorem est requisitum cognitio bonitatis, est ad odiũ cognitio malitiæ, & ad omissionem ipsa, aut saltim alicuius difficultatis in amore reperta: ergo non solum ad amorem liberum est necessaria bonitatis cognitio, sed etiam cognitio malitiæ, aut difficultatis, quod,

quod, vt dixi, est iudicium indifferens, propter hoc autem intellectus dicitur communiter radix libertatis voluntatis.

3296 Est tamen difficultas, an non solum iudicium indifferens sit ad libertatem necessarium sed potius ita præcipue in eo libertas consistat, vt, ipso stante, voluntas nequeat necessitari. Affirmativam sententiâ tenet M.S.Thoma dicens eam communem recentiorum Thomistarum, etiamque pro ea citans P. Vazquez. Negativa tamē sententia verior est. Probatur autem primo: quia, stante iudicio indifferenti, & accedente concupiscentia, libertas minuitur, adhuc si indifferentia iudicij non minuatur: ergo posset etiam accedente alio principio omnino determinante voluntatem in vnam partem, libertas omnino tolli, quamvis iudicium indifferens perseveraret. Secundo probatur: quia potest Deus suspendere suum concursum ad odium mali, & suum concursum exhibere ad amādum bonum; tunc autem bene cognosci potest in aliquo obiecto ratio boni, & mali, quod est iudicium indifferens ad libertatem contrarietatis requisitum, & tamen tunc libertas contrarietatis non daretur; sed solum contradictionis. Tertio probatur: quia prædeterminatio physica, quam Thomistæ ponunt, est simul cum iudicio indifferenti, dato autem, quod ipsa libertatem non tollat; quod nullus Iesuita concedet, tamen non videtur implicare aliqua physica prædeterminatio talis conditionis, vt, non obstante iudicio indifferenti, voluntatem necessitet.

3297 Dices tamen obiectum propositum voluntati illam movet: ergo obiectum propositum indifferenter etiā indifferenter movet: ergo voluntas illud libere prosequitur. Constat consequentia: quia natura ipsa volūtatis, est posse amare, vel odisse obiectum indifferenter movens: ergo obiecto sic movente, non potest ea libertas, & indifferentia voluntatis tolli, nisi illius destruendo naturam. Respondeo tamen concesso antecedenti, & prima consequentia, negando secundā, ad cuius probationem dico naturam voluntatis esse, posse amare, & odisse obiectum indifferenter movens ita, vt ex se solum habeat posse remotum, & proximum posse habeat adiuta principijs, & comitata conditionibus necessarijs ad vtrumque; eumque stante iudicio indifferenti aliquod istorum possit deficere, potest ipsa non libere operari, quin iudicium indifferens, aut natura voluntatis mutetur, mutato solum aliquo comprincipio, aut conditione.

3298 Sed iterum dices, non stare, quod varietur aliquod comprincipium, aut conditio, ex qua libertas dependeat; quin tollatur iudicium indifferens: ergo nunquam stat necessitari voluntatem, stante iudicio indifferenti. Antecedens probatur quia, si tollatur comprin-

principium necessarium ad odium v.g. non potest iudicium dictare, sicut antea, quod obiectum potest amari, & odio haberi. cum iam hoc secundum se falsum: ergo ablato comprincipio, auferetur iudicium indifferens. Respondeo tamen negando antecedens. Ad cuius probationem dico primo, adhuc ablato comprincipio ad odium, aut posito principio necessario determinante ad amorem, perseverare posse iudicium de possibilitate odij, quia non est idem iudicium falsum esse, ac illud non esse, primum autem tantum probatione convincitur. Secúdo ad eam probationem dico, admisso, quod in ea intenditur, tantum sequi, quod stante iudicio de possibilitate amoris, & odij, si istud iudicium sit verum, voluntas non possit necessitari; quia eo ipso quod necessitetur redditur falsum dictum iudicium. Supponitur tamen falso in facta probatione, quod in eo cõsistat iudicium indifferens: non enim eo consistit, sed in propositione bonitatis, & malitiæ obiecti, vt superius est à nobis explicatum, si autem supponamus iudicium indifferens consistere in eo, quod vult M. S. Thoma, dum sic replicat, cum tali iudicio indifferenti vero non stabit voluntatem necessitari; tamen id nec ad rem erit, nec vtilitatem aliquam Thomistis afferet, vt libertatem cum physica prædeterminatione componant. Ad hoc enim, vt ad intentum istud prosit debet, vt à nobis indifferentia iudicij vsurpari forsanque sic à Thomistis vsurpabitur. Sæpe enim æquivocatio prodest, & res nunc sic, nunc aliter vsurpare ad evadendum, quoad speciem difficultates insuperabiles; in quibus autem casibus voluntas à suis, aut à divinis actibus necessitetur ad Theologiam potius spectat examinare.

3299 Solam voluntatem liberam esse est communis assensus; quia nec intellectus, nec alia quævis potentia, positis omnibus requisitis ad operandum, potest non operari; sed semper, ac non operatur, est, quia non habet omnia requisita ad operandum. Libera autem est voluntas, ita tamen, quod eius libertas remota consistat in sola voluntatis natura; proxima vero in ea, & in requisitis omnibus non solum ad operandum, sed etiam ad operandum oppositum; sive ad non operandum: quamvis autem ea requisita constituant partialiter libertatem, ea tamen non dicuntur libera; sed sola voluntas. Tum quia ea non solum efficit actus liberos, sed etiam recipit eos. Tum etiam, quia frequenter comprincipia, quæ ad amorem concurrunt, non possunt ad odium concurrere, sed alia, quæ, si voluntas ad odium se determinaret, erant parata concurrere. Tum denique, quia, dato, quod illa comprincipia cum indifferentia concurrerent, ipsa non se determinarent, sed determinaren-

fentur à voluntate; voluntas vero concurrit se determinando, ad quam vult, partem; quod est proprium agentis liberi. Multiplici ergo ex titulo voluntas potius: quam alia comprincipia, libera denominatur.

3300 Hic denique adverte, quod, dum dicitur ad libertatem requiri potentiam ad agendum, & non agendum, ita abomnibus intelligitur, vt simul sit potentia ad agendum, & potentia ad non agendum; non tamen potentia ad agendum, & non agendum simul: quia ad hoc nulla est potentia; sed ad agendum in sensu diviso carentiæ actionis, & non agendum in sensu diviso actionis. Hoc est ad agendum si vellit, aut si magis placuerit ad non agendum; ita tamen, vt quodlibet eligere sit in potestate voluntatis, quod est vtrumque posse in sensu diviso alterius; eligere tamen vtrumque simul, quod est posse vtrumque in sensu composito alterius, nec divinitus possit: quod clarum omnino est, & cuicumque perceptibile. Quomodo tamen his terminis bene vtantur Thomistæ ad defensandam prædeterminationem physicam, nec ipsi forsan percipiunt.

(?)

QVÆSTIO XX.

Vtrùm libertas sit actibus voluntatis intrinseca.

3301 EGIMVS Quæst. Præcedenti de libertate in actu primo, quæ convenit potentiæ: modo agendum nobis de libertate in actu secundo, quæ actibus convenit: actus ergo in actu secundo liber eodem modo proportione servata; est definiendus, ac potentia in actu primo libera, ideoque actus liber erit, qui ita procedit à suo principio, vt positis in eo omnibus requisitis ad ipsum producendum, potuerit non produci. Circa hanc autem libertatem in actu secundo præcipua difficultas est an sit actibus essentialis, vel saltim intrinseca, an potius extrinseca.

3302 Prima ergo circa hanc difficultatem sententia tenet libertatem adæquate intrinsecã, & essentialem esse actibus pro hac sententia citari solent Capreolus, Ferrara, Conradus, sed præcipue eos citans, illam defendit Hurtadus *disput. 15. de anima sect. 6. subsect. 2.* Secunda sententia distinguit inter actionem, & actum, & ait libertatem actioni essentialem esse, non tamẽ actui. Hanc tenent Recẽtiores aliqui apud Lynceum *in metaphysic. lib. 7. tract. 9 cap. 1. num. 2.* quibus favere ait Patrem Suarez. Tertia sententia libertatem

actibus essentialem adæquate non esse ait, nec adæquate intrinsecam; sed partim essentialem, & intrinsecam, partimque accidentalem, & extrinsecam. Ita frequenter Iesuitæ Recentiores. Aliqui tamen illorum absolute vocant extrinsecam libertatem; tamen solum in modo loquēdi ab alijs differunt, non in mente; aut si forsan aliqui velint resultare quandam extrinsecam denominationem à potētia libera, & actu distinctam, quomodo, meo videri, fallātur constabit ex dicēdis in metaphysica, dum de distinctione relationis à fundamento, & termino disputemus. Quarta denique sentētia tenet libertatē actibus essentialē nō esse, esse tamen intrinsecā consistentē in quodam modo distincto ipsi actui superaddito. Hanc sententiam tenet M. S. Thoma, pro eaque esse quosdā Recentiores Thomistas testatur Lyncens: ego vero non mirabor eam esse inter illos communem; est enim conformis doctrinis ipsorum ita, vt si eam tenent non recedant à tertia sententia communi Iesuitarum in re huius quæstionis propria, sed in eo, quod relationem à fundamento, & termino distinguant, & asserant esse entitatem superadditam: quod tam pro hac quam pro alijs quæstionibus Theologicis animadverte: vt si Thomistas impugnare velis nō alijs vtaris impugnationibus, quam illis, quæ distinctionem relationis à fundamento, & termino impugnant.

3303 Dico resolutorie, libertatem in actu secundo essentialem, & intrinsecā partim esse actui libero; partim vero accidentalem, & extrinsecam. Antequam conclusionem probem adverto, quod, dum dico libertatem extrinsecam esse partim actui libero; sumo actū liberum specificative; si enim reduplicative sumeretur, ei omnino essentialis esset, sicut quamvis obiecto viso extrinseca sit omnino visio, ei tamen reduplicative, vt viso, est omnino intrinseca, & essentialis, quia reduplicative, vt visum, claudit iam visionē, & visio sibi intrinseca, & essentialis nō potest nō esse. Nunc ergo quod actui libero specificative sumpto sit libertas partim intrinseca, ita clarū est, vt, qui dicunt libertatē extrinsecam illi esse communiter id non intendant negare; sed potius supponant, vt clarum, clarum enim est, quod actus liber, vt sit liber, debet esse actus voluntatis, & quod hoc sit illi intrinsecū & essentiale, quia tamē hoc etiā habet actus voluntatis necessarius, solum differt ab eo actus liber, pœnes id, quod extrinsecum est. Vnde actus liber, si nō secundū omnia, quæ habet essentialiter sumatur, sed tantum secundum, quod à necessario differt, videtur sane nihil intrinsecum importare, quamvis secundum omnia, quæ dicit plura intrinseca, & essentialia importet, omnia videlicet, sua prædicata essentialia, per quæ partialiter constituitur. Restat ergo probādum, quod id, per quod partialiter cōstituitur actus liber in ratione talis,

lis, & per quod à necessario differt, sit omnino extrinsecum, quod est secunda nostræ conclusionis pars.

3304 Eam ergo secundam nostræ conclusionis partem probo. In eo differt actus liber à necessario, quod liber ita producitur à potentia, quod potuerit non produci; sed hæc differentia est omnino actui libero extrinseca: ergo differentia, qua differt actus liber à necessario, & qua vltimo in ratione liberi cõstituitur est ei extrinseca. Probo minorẽ, in qua sola potest esse difficultas: produci à potentia ita, vt potuerit non produci; præter hoc, quod est produci à potẽtia, quod etiã cõveniat actui necessario, tantum addit potentiã habere omnia requisita ad omissionẽ actus, vel ad contrarium actũ; sed potentiã habere requisita ad omissionẽ, vel ad contrariũ actũ, est huic actui omnino extrinsecum: ergo illi extrinsecum est ita à potẽtia produci, vt potuerit nõ produci. Minor probatur: potentiã habere requisita ad omissionẽ, vel ad contrariũ actũ in eo consistit, quod amans habeat cognitionẽ alicuius malitiæ in obiecto repertæ, & quod Deus paratus sit ad odium concurrere, aut ad omorẽ non concurrere, si voluntas ad istorum alterũ determinetur: sed tam cognitio malitiæ obiecti, quam præparatio concursus ad odium, sive suspensionis concursus ad amorẽ est actui amoris omnino extrinseca ergo voluntatẽ habere dicta requisita est actui quid extrinsecũ. Minorem probo; quia præparatio dicta concursus nihil est aliud, quam decretum divinum de concurrendo ad quodcumque opus, ad quod voluntas se determinaverit; sed tam istud decretum, quam humana cognitio de malitia obiecti, sunt aliquid extrinsecum actui amoris libero; cũ nec cognitio humana, nec decretum constituant amorẽ, nec sint accidẽtia intrinseca illius: ergo tam cognitio, quã præparatio divini concursus ad odium aut suspensionis concursus ad amorem actui amoris libero sunt extrinseca: cumque in eis præcipue consistat eius libertas ea consistet in aliquo extrinseco.

3305 Dices tamen libertatem actus amoris non consistere in cognitione malitiæ, nec in decreto Dei, seu indifferenti præparatione divini concursus; sed in actu ipso essentialiter eam cognitionẽ, illudque decretum respiciente. Contra tamen sic argumentor: actus liber amoris v. g. nec respicit essentialiter cognitionẽ malitiæ obiecti, nec divinum decretũ de concursu indifferenti: ergo quamvis amoris libertas consistat in respectu ad talẽ cognitionẽ, & decretum, non consistit in aliquo respectu essentiali, sed in aliquo accidẽtali, & extrinseco partim. Probo antecedẽs: actio solummodo respicere potest essentialiter omnia illa à quibus procedit, & sine quibus esse non potest; sed actus amoris esse potest sine cognitione malitiæ ab eaque nõ procedit; similiter esse posset sine concursu indifferẽti, ab eoq; non procedit, vt indifferenti: ergo

amoris actus, nec respicit essentialiter cognitionem malitiæ, nec concursum indifferentem, vt talem. Maior constat, quia actio non alia ratione sua principia essentialiter respicit, nisi quia ab illis procedit, & sine ipsis esse non potest; si enim sine ipsis esse posset, iam respectus, & dependentia ab illis essentialis non esset. Minor vero probatur, quoad primam partem; quia cognitio malitiæ non solum non est amoris causa, sed nec conditio; sed potius est ad odium conditio, & ab amore retrahit: ergo cognitio malitiæ, amoris non est causa, amorque sine illa optime esse posset. Quoad secundam etiam partem nō minus constat minor: quia principium amoris tantū est ex parte Dei concursus ad amorem: iste autem concursus non potest esse diversus, sive Deus velit illum determinate sive velit illum paratus tribuendi alium, si voluntati placuisset creatæ alterum elicere actum: nec sic paratus magis conduceret ad amorem, quam determinate exhibitus ergo amor ab illo concursu dependet absolute, non tamen ab illo vt indifferenti; cum potius ipse, quam eius indifferentia in amorem influat: tam ergo ad cognitionem malitiæ, quā ad concursum indifferentē, vt talem, respicit amor liber accidentali respectu, & qui variari potest eius, antitate invariata: consequenterque cum libertas in eo consistat respectu, est actui partim extrinseca; cumque, qua parte intrinseca est, etiam cōveniat actui necessario, actus liber prout præcisse & necessario differt per aliquid extrinsecū constituitur; absolute vero per aliquid extrinsecum, & simul per suam intrinsecam entitatem.

3306 Ex dictis colliges eundem numero actum, absque vlla intrinseca sui variatione, posse tā fieri de libero in necessarium, quia absque vlla intrinseca actus variatione, potest adesse, vel abesse requisitū aliquod ad eius omissionē, vel ad actum contrarium, quo requisito posito, actus est liber, & quo ablato, migrat, in necessarium. Dices tamen, sicut libertas est actui libero partim intrinseca, & partim extrinseca, ita veritas actui vero: sed actus verus nequit in non verum sive in falsum transire, sine intrinseca mutatione: ergo neque liber in necessariū. Respondeo negando cōsequētiā. Ratio disparitatis est, quia actus verus ita cōstituitur verus per aliquid extrinsecū, vt illud extrinsecum sit obiectū illius, vnde cum nequeat variari obiectum actus, quin varietur actus, nequit variari extrinsecum, in quo veritas consistit, actu invariato; & consequenter iste invariatus transire nequit de vero in falsum; illud autem extrinsecum, in quo partialiter consistit libertas, nec est obiectum actus liberi, nec aliquid à quo iste essentialiter dependeat, vnde potest illud deficere, & consequenter libertas, invariato omnino manēte actu voluntatis, quod intrinseca.

***

Sol-

Soluuntur argumenta.

3307 Obijcies primo: actus liber eſſentialiter eſt perfectior, quã neceſſarius: ergo libertas eſt actui libero eſſentialis. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; actus liber eſt perfectior eſſentialiter, quam neceſſarius, ſumptus reduplicative: concedo antecedens; ſpecificative ſumptus, ſubdiſtingo antecedens eſt perfectior, quoad intrinſeca nego antecedens; quoad aliquid extrinſecum concedo antecedens: vnde nullatenus ſequitur quod actui libero ſpecificative ſumpto ſit libertas eſſentialis, & intrinſeca.

3308 Secundo obijcies: libertas in actu primo eſt eſſentialis potentiæ liberæ: ergo etiam libertas in actu ſecundo actui libero. Reſpõdet Spinula *in præſ. diſp. 5. ſect 2. n. 17.* negando conſequentiam, ſed malè & inconſequenter ad dicta ab ipſo in fine numeri 15. Reſpondeo ergo negando antecedens: potẽtia enim libera nunquã eſt propriè talis per ſua prædicta intrinſeca, & eſſentialia, ſed per ea, & per comprincipia neceſſaria non ſolum ad actũ, ſed etiã ad eius oppoſitũ quorũ aliqua ſunt illi extrinſeca. Verũ eſt, quod voluntas per ſuam entitatẽ eſt aliquo modo libera potius quam aliæ potentiæ, quia, videlicet, per eã eſt capax, vt, accedentibus comprincipijs indifferentibus, libera conſtituatur. Sed hoc modo etiã actus ipſi voluntatis per ſua prędicata intrinſeca poſſunt dici aliquomodo, & impropriè liberi; quatenus ipſi potius, quã actus aliarũ potentiarũ capacitatẽ habẽt, vt accipiant libertatem, accedentibus potentiæ comprincipijs indifferentibus; iſta autẽ libertas tam potentiæ, quã actus ſolũ poteſt dici libertas inchoata, nequaquã tamen abſolute libertas; voluntas autẽ abſolute libera dici ſolet, non quia per ſuã entitatẽ præciſſe talis ſit, ſed quia communiter eſt aſſociata requiſitis extrinſecis neceſſarijs, vt eã accipiat denominationẽ.

3309 Tertio obijcies: vitalitas eſt eſſentialis actui vitali: ergo & libertas actui libero. Reſpõdeo negando conſequentiã; quia vitalitas convenit actui ex eo, quod à principio intrinſeco ſit: vnde vitalitas erit ordo ad principiũ intrinſecum, iſte autẽ ordo eſſentialis eſt; quia quævis actio eſſentialem ordinem dicit ad principiũ, à quo procedit; vnde ſi vitalis actus à principio procedit intrinſeco, ad illud eſſentialem dicit ordinẽ, & conſequẽter eſſentialiter eſt vitalis: cum vero libertas conſiſtat non ſolum in reſpectu ad principium, à quo procedit actus liber, ſed etiam ad principium actus oppoſiti, aut omiſſionis & actio libera eſſentialiter non reſpiciat principiũ omiſſionis, nec actus oppoſiti, quia, cũ ab illis non procedat, non eſt cur illa eſſentialiter reſpiciat, ſed æque bene eſſet ſine illis, fit quod libertas actus ei nõ ſit eſſentialis, quamvis actui vitali vitalitas eſſentialis ſit.

3310 Quarto obijcies; quando potentia de operatione neceſſa-

ceſſaria tranſit in liberam, de novo exercet libertatem : ergo de novo producit aliquid : ergo non poteſt eadem operatio prius neceſſaria modo eſſe libera ; ſed neceſſario eſt operatio nova eſſentialiterque diverſa. Reſpondeo negando conſequentiam: quia cum voluntas neceſſario exercens amorem incipit libere illum exercere propterea, quod habeat cognitionem, & reliqua neceſſaria ad libertatem, quæ antea non habebat, non eſt neceſſarium, quod novum amorem producat, ſed quod in eodem perſeveret, tuncque ille erit liber præciſſe propter comprincipia, aut requiſita illa extrinſeca. Vnde idem exercitium, quod paulo ante erat neceſſarium, modo ſine vlla intrinſeca mutatione eſt liberũ exercitium propter ſolam coexiſtentiã ad comprincipia reſpectu omiſſionis aut actus oppoſiti.

3311 Quinto obijcies: actus ſecundus adæquate diſtinguitur à primo; ſed actus liber eſt actus ſecũdus potentiæ liberæ: ergo adæquate diſtinguitur à potentia libera, & à requiſitis conſtituentibus illius actũ primũ : ergo libertas actus nec partialiter in illis requiſitis conſiſtit. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: actus ſecundus adæquate diſtinguitur à primo, quoad entitatem ſuam intrinſecã ab illo cauſatã, concedo maiorem; quoad omnem denominationẽ nego maiorẽ; & conceſſa minori nego conſequentiã; filius enim à Patre ſimiliter diſtinguitur realiter quoad entitatem productam: ſecundum denominationem vero filij ab eo adæquate non diſtinguitur, ſed iſta relatio, & denominatio in illo partialiter conſiſtit.

3312 Sexto obijcies : diverſa ſunt principia actus liberi, & neceſſarij: ergo actus liberi ſunt eſſentialiter diverſi. Facile reſpondeo ex dictis negando antecedens; quia principium liberi actus eſt ipſum principium actus neceſſarij, quod tamen liberum dicitur propter coexiſtentiã ad principium omiſsionis, vel actus oppoſiti. Loquimur autem de actu libero, & neceſſario voluntatis; nam ſi fiat comparatio de actu libero voluntatis ad neceſſarium alterius potentiæ diverſa erunt principia, & actus etiam, tunc vero ea diverſitas eſſentialis, & intrinſeca nõ eſt præciſſe ex ratione libertatis, quam ſolum modo indagamus.

3313 Septimo obijcies: actus liber habet perfectiorem rationẽ voluntarij quam neceſſarius: ergo excedit illum in perfectione intrinſeca, & conſequenter in perfectione intrinſeca ab illo differt. Prima conſequentia, in qua eſt difficultas conſtat; quia ratio volũtarij eſt actibus intrinſeca. Reſpondeo negãdo antecedens, quia, quamvis operatio libera ſupponat cognitionẽ perfectiorẽ non tamen procedit ab illa, vt perfectior eſt, niſi ſumatur reduplicative, vt libera. Ratio eſt : quia cognitio, quã præſupponit actus liber, ex præciſſa ratione liberi, ſolũ habet, quod cognoſcat motiva ad omiſsionẽ, aut ad oppoſitũ actum, cũ ergo iſta motiva

tiva ad actum liberum ſpecificative ſumptum, non conducant iſte non procedit à cognitione illa perfectiori, vt perfectior eſt, ſed ſecundū quod continet eandē perfectionē, ac illa, quam ſupponit actus neceſſarius.

3314 Octavo obijcies: potentia libera, vt talis, eſt phyſice operativa: ergo actus liber, vt talis eſt phyſice operatus, ſive productus, & conſequenter libertas producitur à potentia, neque cōſiſtit in aliquo ſe habente ex parte actus primi illius. Reſpondeo tamen diſtinguēdo antecedens potentia libera, vt libera, eſt phyſice operativa, ſumpta inadæquate, concedo antecedens, ſumpta adæquate ſubdiſtinguo antecedens: eſt operativa phyſice ita, vt ſecundum vnam ſui partē ſit operativa phyſice actus amoris v.g. & ſecundum aliam omiſsionis aut etiam odij, concedo antecedens; ita vt ipſa potentia libera adæquate, vel inadæquate ſumpta phyſice producere valeat prædicatum libertatis adæquate ſumptum, nego antecedens; & nego conſequentiam, quæ ſolum ex antecedenti in vltimo ſenſu accepto inferri poſſe videtur.

3315 Nono obijcies: potentia libera ſe determinat, potentia vero neceſſaria non ſe determinat, ſed determinatur ab alio: ergo ſunt diverſæ potentiæ, & principia, & conſequenter diverſos inducunt actus. Reſpondeo negando conſequentiam, quia dum voluntas eſt potentia neceſſaria eandem habet actionem, aut habere poteſt, ac dum eſt libera; per illam autem dicitur ſe determinare dum eſt libera; non quia intrinſece ſit alia; ſed quia propriori ad illam eſt indifferens, & pro ſigno actionis iam tollitur ea indifferentia; dum vero neceſſario operatur, licet actio eandē vim habeat tollendi indifferentiam, & conſequenter determinandi, cum indifferentia, & indeterminatio non ſupponatur; non dicitur illa actio determinare, nec voluntas ſe per illā determinare, ſed per id, ratione cuius eſt potentia neceſſaria: quia cū illud ei tollat indifferentiam, illud dicitur eam determinare.

3316 Decimo obijcies: eliciat aliquis actum vitij, aut virtutis neceſſario, & illum libere poſtea eliciat, in illo actu neceſſario elicito nec complacet Deus, ſi ſit virtutis, nec circa illum diſplicentiā habet, ſi ſit vitij, ſi vero libere elicitur complacet Deus in illo, ſi ſit actus virtutis, & diſplicet Deo, ſi ſit actus vitij: ergo libertas eſt illis intrinſeca. Antecedens & ſecunda cōſequētia omnino conſtant. Prima vero probatur. Quia in libertate potentiæ Deus nec complacet, nec diſplicētiam habet ſpecialē, ſed in eius exercitio: ſi ergo prædicti actus cōplacentiā, & diſplicentiam termināt, eam nō poſſunt ratione libertatis potētię terminare, ſed ratione ſuę entitatis, & libertatis in actu ſecundo propriæ, & eſſentialis ipſis.

3317 Reſpondeo conceſſo antecedēti negando primam conſequentiā: ad cuius probationē fateor

non esse libertatem potentiæ solam quæ odium, aut complacentiam Dei terminat, sed actum ipsum, qui cum ea fit; vnde quamvis ipsa nec bona, nec mala moraliter sit, per eam tamen actus prohibitus formaliter malus constituitur & actus virtutis bonus, & amabilis: vnde, quamvis actus complacentiæ in obiecto turpi sine libertate non sit malus, & libertas etiam ipsa mala non sit; tamen coniunctum illius actus, & libertatis, actus, videlicet, ille cũ libertate elicitus malus est, & detestabilis. Similiter in actu bono philosophandũ.

Nec novum est, quod aggregatũ resultans denominationem aliquã habeat, quam nulla pars illius seorsim habet, sic enim primo anima cum sua partiali subsistentia, & corpus cum sua suppositum constituunt, quin tamen anima seorsim, aut corpus suppositum dici possit: sic deinde anima rationalis non est humanitas non etiam corpus, vtraque tamen simul humanitatem constituunt. Sic denique, alijs omissis, comestio carnis in die veneris sine prohibitione, mala non est; deinde prohibitio sola illius nõ est mala; & tamẽ comestio illa cũ prohibitione coniuncta mala ab omnibus iudicatur; nõ ergo novũ, & incredibile est iudicandum, quod, quamvis actus sine libertate, nec sit bonus, nec malus, & libertas similiter, nec bona, nec mala moraliter sit, tamen actus cum libertate elicitus bonus, vel malus sit iuxta materiæ capacitatem.

3318 Non me latet circa quæstionem hanc P. Lynceum singulariter sensisse; quia tamẽ eius sententiam quinque conclusiones continentẽ nimis operosum esset commemorare, eam non retuli; tantumque adverto argumentum, quod affert *cap.* 2. præcipue contra nos militare; facile tamen ibi ab ipso solvitur; & quamvis solutionem multis impugnet facile eius impugnationes evanescent. Si advertas primo falso ipsum supponere, vt verum, quod alibi tantum, vt probabile ipse docuerat, videlicet, quod possit res aliqua esse, nunquam sive in nulla duratione esse quod enim hoc sit falsum probavimus nos *in phys. disp. 4. quæst. 4. num.* 2177. ac etiam, si secundo advertas, quod, vt coexistant duæ res necessarium nõ est, quod vtraque producat modum durationis distinctũ; diximus enim nos disp. citata *quæst. 9. num.* 2232. res durare & consequenter in tempore existere determinato, sine modo producto, & ab ipsa re, & tempore distincto. Hæc tantum, si notes evanescent omnes Lynceï impugnationes, quas brevitatis causa non commemoro.

QVÆSTIO XXI.

An sit possibilis pura omissio libera.

3309 HÆC Difficultas celeberrima existit, præcipue apud RR. Salmantinæ Vni-

ver-

versitatis Magistros; quia tamẽ ipsa in Theologia disputatur communiter, tum in materia de peccatis, tum etiam in alijs, eam non latè tractabo percurrendo tantum aliqua quæ magis philosophica sunt, alia vero in Theologiam remittendo, quæ magis Theologica quamvis etiam maiori ex parte ad Philosophiam etiam reduci possent. Pro brevi ergo decisione suppono primo, puram omissionem necessariam, sive non liberam possibilem esse; quia plura, de quibus non recordamur omittimus, absque eo, quod aliquem actum erga illa habeamus, & consequenter illa purè omittimus. Secundo suppono de essentia omissionis nullum actum esse; quia ipsa tantum dicit actum non exerceri, seu voluntatem non operari, vnde solum potest dici, quod requirat actum, qui sit causa, vel occasio illius, ad hoc vt sit libera, & voluntaria: & quæstio præsens, an talis actus sit necessarius, præcipuè disputat, & an sit possibilis pura omissio ita, vt quamvis supponatur actus intellectus obiectum proponens, non tamen sit necessarius actus vllus voluntatis, qui sit talis omissionis causa, vel occasio; actus autem illi dicuntur causa, vel ocasio omissionis, qui sunt incompossibiles cum actu, cuius dicitur omissio.

3320 Prima ergo in hac quæstione sententia tenet impossibilem esse puram omissionem liberam, hoc est, sine omni actu, qui causa, sit vel occasio illius. Pro hac sententia citat R. quidam ex nostris Capreolũ, Caietanũ, Vazquez, Zumel, Lorca, Montesinos, Alvarez, à DD. tamen contrariæ sententiæ aliqui istorum iudicantur pro secunda sentẽtia stat tim referenda stare: quia iudicant tantum eam omissionem puram esse moraliter impossibilem. Eam autẽ etiam physice impossibilem sentiunt aliqui eorum, & præterea Salmanticenses apud Spinulam, ipseque etiam Spinula, atque in manuscriptis P. Iosephus Morete. Secunda sententia puram omissionem in sensu dicto possibilem esse defendit, estque communior multo, quam præcedens eam tenent in præsenti Ovied. Echalaz, Carlet. Arriaga, Hurtad. & in Theologia plures alij.

3321 Secundam sententiam, quam veram iudico, exactius examen ad Theologiam remittens, vnica probo ratione. Libertas contradictionis differt à libertate contrarietatis; quia ista est ad oppositos actus; illa vero ad actum, & ad omissionem; sed si omnis omissio actum peteret necessario, qui eius esset causa, vel occasio; libertas contradictionis esset etiam libertas ad oppositos actus; cum actus, qui causa, vel ocasio omissionis esset, profecto esset contrarius actui cuius omissio ponebatur; ergo vt libertas contradictionis à libertate contrarietatis diversa sit admittenda est pura omissio libera.

3322 Dices libertatem contradictionis à libertate contrarietatis differre

ferre, non quia sit libertas ad actum, & ad omissionem immediate, sed quia est libertas ad actum, & ad omissionem mediate, & obiective, hoc est ad actum, & ad nolitionem actus. Sed contra hanc solutionem est primo, quia omissio non est solum voluntaria propter voluntatis actum ad eam terminatum; sed etiam quia voluntas immediatè est libera ad illam: ergo falsa est solutionis doctrina. Antecedens probatur ex D. Thoma 2. *ad Annibaldum dist.* 35. *art.* 2. *ad* 2. dicente: *Quod omissio non de necessitate voluntaria dicitur propter actum voluntatis, sed propter hoc, quod in voluntatis potestate consistit.* Consequentia autem de se est manifesta.

3323 Contra etiam secundo: quia quamvis Adversarij dicant, ad omissionem liberam necessarium esse actum, qui sit causa, vel occasio illius, nobiscum tamen consentiunt in hoc, quod nullus voluntatis actus sit de essentia omissionis liberæ: sed si solutio esset vera, aliquis actus voluntatis esset de essentia omissionis liberæ, vt liberæ: ergo solutio vera non est. Minor probatur, quia actus externi, vt liberi, essentialiter includuntur actum voluntatis: sed hoc non alia ratione, nisi quia non egrediuntur à voluntate, nec sunt formale, & immediatum libertatis illius exercitium, sed solum obiective se habent: ergo similiter si pura omissio non se haberet, vt formale libertatis exercitium immediatum, sed vt obiectum actus illius, vt libera necessario & essentialiter includeret voluntatis actum.

3324 Contra tertio: libertas contradictionis definitur per posse operari, & non operari operari autem nolitionem amoris non est absolutè non operari, vt de se patet: ergo si stare debet definitio ab omnibus recepta, & libertas consistere debet in potentia ad operationem, & ad omissionem puram illius & non solum ad nolitionem. Confirmatur primo: quia extremum contradictorie oppositum amori non est nolitio amoris, sed pura carentia, & omissio amoris; ergo vt Ethymologia nominis servetur, debet ea libertas consistere in potestate ad amorem, & ad eius puram omissionem. Confirmatur secundo; quia, proposita bonitate, & malitia in obiecto, voluntas nec necessitatur à bonitate ad amandum, nec ad alium vllum actum; nec etiam necessitatur à malitia ad actū odij, nec ad nolitionem amoris, nec ad vllum alium actum: ergo ad nullum actum est voluntas necessitata per cognitionem illam: ergo potest omnem actum omittere: & cōsequenter purè omittere, libertasque contradictionis in potestate ad actum, & ad hanc omissionem potius consistet, quam in libertate ad actum amoris, & actum nolitionis illius.

Soluuntur argumenta.

3325 Obijcies primo: volun-

tarium

tarium, & liberum sunt differentiæ vitæ: sed pura omissio vita esse non potest: ergo nec esse voluntaria, & libera. Minor probatur: quia vita in actu secundo, qualis solum omissioni competere potest, est motus ab intrinseco; sed omissio pura nequit esse motus, cum iste sit actus, ergo nec potest esse vita, sive vitalis. Respondeo tamen voluntarium, & liberum vitale dici; non tamen quodcumque voluntarium; sed illud, quod in actu consistit; voluntarium vero, & liberum quod in omissione consistit, non dicitur vitale: vnde si maior sit vniversalis, & hoc vltimum etiam comprehendat, neganda est, quo corruit tota argumenti structura.

3326 Sed dices: quomodo stare potest, quod pura omissio dicatur libera & voluntaria non minus, quam actus, servata proportione, & dici non possit vitalis, sicut ille dicitur? Respondeo tamen omissionem in hoc, quod est vitalem esse, nõ posse comparari cum actu propter fundamentum in argumento tactum: quod autem cum eo comparetur in ratione liberi, & voluntarij constat; quia cum voluntas æque sit indifferens ad operari, & non operari, & eius libertas in hac consistat indifferentia, ipsum non operari, quod est omittere, illi debet esse æquæ liberum; ac operari; sicut enim, dum ad operationem se voluntas determinat est operatio libera; quia potuit non esse, sic, dum se determinat ad non operari libera esse debet non operatio, & omissio; quia potuit non esse; potuit enim esse operatio, quę est non esse omissionis. Similiter voluntaria est; quia quamvis non sit positive à voluntate, sicut actus, hoc evenit; quia nõ habet esse positivum, sicut ille; esse tamen illud improprium, & privativum, quod habet, à voluntate est; sicut autem esse omissionis est non esse actus sic ipsam à voluntate esse, & ab illa egredi, est ab ipsa non esse, sive non egredi actum: nec desiderandum ad hoc, vt voluntaria sit, quod à voluntate alio modo sit, quam esse habet.

3327 Sed dices iterum: voluntas est potentia vitalis & activa: ergo quodvis eius exercitium debet esse vitale, debetque esse actio. Respondeo tamen voluntatem esse potentiam, non tantum activam, sed activam, & non activam; si enim activa tantum esset, non esset ita libera; non enim esset propriè libera libertate contradictionis, vt superius expendimus. Est etiam voluntas vitalis non in ordine ad omne illius exercitium; sed in ordine ad positivum; nec est vlla implicatio, aut repugnagtia, quod adhuc naturaliter vna, & eadem potentia sit vitalis, & non vitalis comparative ad diversa exercitia; cum anima ipsa, quatenus suarum passionum productiva, immo, & multarũ aliarum actionum, non sit vitalis, seu vita in actu primo.

3328 Amplius adhuc dices: exercitium semper sonat actionem

sive

sive aliquid positivum; cum ergo omissio non sit actio, nec aliquid positivum, nequit esse voluntatis, nec libertatis exercitium. Respondeo exercitium communiter vsurpari à Philosophis pro eo, quo potentia reducitur ad actum; quia tamen communiter potentiæ reducũtur ad actum per aliquid positivum, per actionem, videlicet, concipitur exercitium, vt aliquid positivum; re tamen benè inspecta, cum detur aliqua potentia, quæ non solum est activa, sed etiam non activa, eius exercitium non solum debet esse actio, & aliquid positivum, se detiã non actio, & aliquid privativum.

3329 Instabis tamen exercitium dicitur per nos id, quo potentia reducitur ad actum, seu, quo transit de actu primo ad actum secundum; sed per omissionem voluntas non reducitur ad actum, seu non transit ad actum secundum; ergo omissio non est voluntatis exercitium. Minor probatur: quia posita omissione, nihil habet voluntas, quod non haberet pro priori naturę ad illam; sed pro illo priori non erat in actu secundo, sed in actu primo; ergo per omissionem adhuc remanet in actu primo, & consequenter per eam non reducitur ad actum secundum. Maior probatur: quia posita omissione nihil de novo habet voluntas, sed tantum carentiam actus; sed pro priori ad omissionem etiam habebat carentiam actus; si enim non haberet carentiam actus, non esset in potentia ad omissionem, vt supponimus esse: ergo posita omissione, nihil habet voluntas, quod pro priori ad illam non haberet.

3330 Respondeo ad hanc instantiam concedendo maiorem, intelligendo tamen per actum, & per actum secundum non tantum actum positivum, sed terminum illum, in ordine ad quem potentia dicebatur esse in actu primo, sive in potentia, sive ille sit aliquid positivum, sive privativum: in quo sensu, nego minorẽ; ad cuius probationem, nego maiorem; & ad huius probationem distinguo maiorẽ: posita omissione, nihil de novo habet volũtas nisi tantum carentiam actus, privative sumptam, concedo maiorem; sumptam solum præcisive, aut negative, nego maiorem, & similiter distinguo minorem: sed pro priori ad omissionem etiam habet carentiam actus, sumptam præcisive, aut negative, concedo minorem, sumptam privative nego minorem, & nego consequentiam. In voluntate ergo pro priori, pro quo in actu primo consideratur, verum est, quod non est actus; sed non est tunc omissio, sive carentia actus propriè; quia tunc est indifferentia ad actum, & ad eius carentiam: vnde ab vtroque præscinditur pro illo priori, & potest dici, quod non est actus præcisive, quia tam ab illo, quam ab illius carentia, aut omissione præscinditur. Potest etiã dici, quod non est actus negative: quia, cum pro illo priori non sit

capax

capax voluntas habendi actum eius carentia pro illo non privatio, sed negatio dici potest; quamvis quia illud instans præcisionis potius est quam carentiæ melius dicatur habere carentiam præcisive. Pro posteriori vero, pro quo est omissio; cum iam posset pro illo actus egredi, & non egrediatur, illa non egressio & omissio est carentia actus privative, & etiam egressive, quia cum pro eo posteriori actus à voluntate non egrediatur, cõ egredi posset, eius non egressio omissionis & carentiæ illius censetur egressio.

3331 Secundo obijcies, actus liber ablata libertate remanet Volũtarius: ergo similiter in omissione contingeret, si illa esset possibilis; sed non potest contingere hoc in illa; alias infinitæ omissiones essent mihi modo voluntariæ: ergo quia non est possibilis pura omissio libera. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam ex illo immediate deductam. Ratio disparitatis est; quia omissio non dicitur causari, & egredi à voluntate præcisse, quia nõ causatur ab illa actus, sed quia non causatur cum causari poterat: vnde cum non potest à voluntate causari actus, ab ea non dicetur causari omissio & consequenter nec voluntaria dicetur: actus autem non dicitur causari à voluntate solum quãdo potest causare omissionem; quia cum physicè, & propriè ab illa egrediatur eius egressio, & causatio non dependet ab eo, quod possit omitti, sed solum eius libertas.

3332 Tertio obijcies: omne liberum voluntatis exercitium debet esse propter finem; sed omissio pura nequit esse propter finem; ergo nequit esse voluntatis exercitium liberum. Maior videtur certa: quia omne voluntatis exercitium eius obiectum debet respicere; obiectum autem voluntatis est finis. Minor autem est communis inter Theologos. Respondeo negando maiorem ad cuius probationem dico omnem actum, seu omne exercitium voluntatis respicere finẽ non tamen exercitium negativum, & per omissionem; quia cum illud sit non agere non est necessarium, quod ad illud à fine moveatur, sed sufficit, quod ad actum non moveatur. Poterat etiam responderi negando minorem cum Oviedo, & quibusdã Theologis. Recentioribus admittentibus possibilem puram omissionem ex motivo, & qnæ meritoria esse possit; sed quia hoc cõtinet ingentẽ, meo videri, difficultatem in Theologia, illuc transfero eius iudicium.

3333 Quarto obijcies ex P. Quiros *in præsenti disp. 100 sect. 3. & 4.* si voluntas posset se exercere per puram omissionem, semper se ita exerceret; sed hoc est falsum: ergo &quod possit se per illam exercere. Maior probatur; quia si omissio, vt sit liberum voluntatis exercitium, nõ indiget actu, nihil obstare potest quominus per eam exerceatur volũtas etiam quando actum positivum exercet; quando namque voluntas habet

habet amoris nolitionem quid obstare potest, quominus vel pro priori ad eam nolitionem, vel concomitanter voluntas omissionem exerceat immediate? In primis namque voluntas habet potentiam, vt se exerceat immediate per omissionē; hoc enim supponit nostra sententia: ex eo autem quod nolitionem amoris eliciat non tollitur ea potentia; tum quia nolitio amoris non est incōpatibilis cum omissione amoris: tum etiam, quia nec tollit cognitionem indifferentem, ratione cuius, ea nolitione secluſa, poterat voluntas exercere omissionem, nec ab eadem tollit libertatem, quamvis enim sit cum ea connexa inde inferri poterat, quod si ea nolitio pro priori ad omissionem existeret, eius tolleret libertatem; non tamen si existat, vt ponitur pro posteriori, aut concomitanter. Probatur deinde minor primi syllogismi primo, quia ea videtur esse iuxta mentem DD. nostræ sententiæ, qui solum intendunt puram omissionem esse posibilem, ad quod satis est, quod in aliquo raro casu detur, aut dari possit. Secundo: quia, saltim in aliquibus casibus, incouveniens apparet in admittendo eo exercitio per omissionem immediate. Nam si voluntas quando hanc exercet actum *nolo audire Missam præceptam* simul libertatem exerceat per omissionem, duo peccata committet per duo videlicet prædicta exercitia libera præcepto oppoſita.

3334 Respondeo tamen ad argumentum istud primo, negando maiorem: ad cuius probationem respondeo, quod, quamvis omissio pura sit possibilis, ac proinde non indigeat actu, vt sit voluntatis exercitium, non sequitur, quod voluntas exerceatur per eam immediate, quando per actum exercetur; tunc enim omissio, quę datur, est voluntatis exercitium medio tali actu. Aliud namque est quod omissio voluntatis, ac libertatis exercitium esse possit immediate, ac proinde absque alicuius actus interventione; aliud vero, quod non possit medio etiam actu esse voluntatis exercitium Primum autem sequitur ex nostra sentētia non vero secundum. Itaque voluntas libera ad amorem est quidem libera, & indifferens in actu primo ad amorem & odium, ad nolitionem amoris, ad nolitionem odij, & ad omnium istorum actuum omissionem: vnde, cum se determinat ad istorū aliquod exercitè, nō est necessarium, quod simul se determinet ad aliud ex ipsis; sed potius ad aliqua nō se potest determinare ad alia vero, etsi possit, nō se determinat: ex eo ergo, quod ad nolitionem se determinet amoris, non potest sequi, quod se determinet immediate ad omissionem amoris: sed quia ea nolitio est connexa cum carentia amoris, ea media, est talis carentia, & omissio amoris voluntaria, & libera; immediate vero nequaquam; ex eo namque, quod voluntas se possit exercere immediate per omissionem, & quod rursus

sus nolitio amoris neutiquam cum omissione amoris sit incompatibilis; nec deficiat cognitionis indifferentia ad illam, nullatenus sequitur, quod per eam immediate voluntas exerceatur, quia voluntas in actu primo indifferens ad plura libertatis exercitia non est necessarium, quod dum in actum secundū egreditur, per omnia illa exerceatur, sed sufficit, quod exerceatur per illorum vnum; quamvis cum isto aliqua ex reliquis incompatibilia nō sint. Vnde cum inter exercitia, ad quę voluntas est in actu primo indifferens vnum sit omissio amoris, aliud eiusdem nolitio, sufficit, quod per nolitionem exerceatur, quin sit necessarium, quod immediate etiam exerceatur per omissionem amoris, quod instatur etiam in alijs ex prędictis exercitijs; nam etiā odium est compatibile cum nolitione amoris, & similiter nolitio amoris cum nolitione odij; & tamen nemo dicet, quod sit necessarium habenti nolitionem amoris, habere etiam immediate, & concomitanter odium eiusdem obiecti, nec etiam nolitionem odij; id enim est contra experientiam. Cum ergo in his duabus instantijs probatio maioris enervetur eam nullatenus subsistere dicendum est, asserendumque voluntatem ad plura exercitia indifferentem in actu primo posse in actu secundo determinari per vnum, quin determinetur per alia, adhuc ex his, quæ compatibilia sunt; hoc enim pertinet ad ipsius libertatis perfectionem.

3335 Secundo ad argumentum respondeo, data maiori primi syllogismi, negando minorem, ad cuius probationem primam respondet pro nobis ipse Quiros, quod mens DD. nostræ sententiæ est, quod raro detur pura omissio ita, vt raro voluntas habeat omissionem, sine eo, quod detur actus, qui sit causa vel occasio illius, quod autem sic frequenter contingat nostrę sententiæ non obest, licet ad eam defensandam non sit necessarium. Ad secundam probationem respondeo, quod in casu illius darentur duo peccata quasi physice propter duo exercitia libertatis in ea memorata; non tamen moraliter; nec maior esset malitia in duplici illo exercitio libertatis, quam in vnico à contrarijs admisso, quia omissio totam malitiam quam haberet, si immediate exerceret libertatem, refundit in nolitionem, dum solum, media ista, ponitur, quod illam exerceat.

3336 Sed ne sine Lynceo hanc quæstionem præterire videamur ex ipso existimante omissionem puram liberam posse esse voluntati divinæ; impossibilem vero creatæ. Obijcies quarto, implicat potentia merè passiva sive receptiva, quæ libera, sit, vt probat Suarez *tom. 1. de grat. prolog. 1. cap. 2.* authoritate Scripturæ SS. PP. Conciliorum, & Scholasticorum, & constat ex Tridentino anathematizante eum, qui dixerit liberum arbitrium merè passive se habere, cum ad Deum convertitur; at idcirco causa merè passiva

siva libertatem exercere nequit, quia nihil propriè agit: ergo per omissionem parem: qua nihil proprie agitur, libertas creata exerceri non potest. Sic argumentatur Lynceus in Metaph. lib. 7. tract 9. cap. 8. num. 50. latius alibi de hoc se tractaturum promitens.

3337 Sed etiam alio transmittendo latiorem Lyncei impugnationem, modo breviter vt eius obiectioni satisfaciam dico, admisso cũ communi sententia, quod potentia purè passiva libera esse non possit, de quo tamen est contentio inter Oviedum, & Arriagam, intendente isto non satis convinci quod talis potentia possibilis non sit. Dico, inquam, sensum non esse, quod potentia passiva libera non sit, quia, vt cumque, non agit; sed quia nec agit quando eius exercitium est positivum, nec agit quando est privativum; vnde non potest de illa verum esse, quod potest agere & non agere, sed solum quod potest pati, & non pati, & hoc ad libertatem non sufficere intendit Ovied. Suarezque apud ipsum, & communis sentẽtia. Quod autem per omissionem potentia non agat, non obstat, vt libera sit; quia ad hoc sufficit, quod per actus agat, & per omissionem non agat, & hoc etiam est iuxta Tridẽtini mentem, quod cum de conversione loquatur, quæ per actum fit, benè requirit, quod voluntas agat; quia ista ita esse debet activa, & nõ activa, vt per actus suos agere, & non merè pati dicatur, nequaquam tamen, vt per omissionem agat, sed potius ad ipsam libertatem spectat, vt, sicut per actus est activa, per omissiones sit non activa. Hæc autem explicatio est iuxta mentem etiam cæterorum Iesuitarum, quĩ etsi passim dictum Concilij testimonium præ manibus habeant; nunquam Lyncei sensum innuere videntur; sed semper nostrum.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum voluntas sit perfectior potentia quam intellectus.

3338 CIRCA Quæstionem hanc prima sententia Scoti, & Discipulorum eius tenet voluntatem perfectiorem intellectu esse. Secunda, quæ est D. Thomæ, eiusque Scholæ & quã etiam tenent Vazquez, Suarez, Rubius, & alij, affirmat intellectum perfectiorem voluntate esse. Tertia sententia aliquorum, quĩ suppresso nomine à Conimbricensibus referuntur, & quã tenet Aversa apud Prado, affirmat has potentias æquales in perfectione esse. Hãc tamen sententiam parvi pendunt Merinero, & Prado existimantes eam efficaciter refelli ex eo, quod intellectus, & voluntas specie differunt: species autem inæquales necessario esse ex Aristotele colligitur aiente species esse sicut numeros. Sed cum iam constet ex dictis à nobis disp. 1. species æquales esse posse, & nec Aristotelem opposi-

tum

tum ſentire; nulla redditur iſta impugnatio, tertiaque ſententia rationi ſaltim ſtando forſan non minus probabilis eſt, quam prima, & ſecunda; ſiquidem vtriuſque rationibus adiuvatur.

3339 Dico tamen reſolutorie intellectum voluntate perfectiorem eſſe. Hanc concluſionem breviter probo; quia ad illam ducor magis D. Thom. authoritate, quam rationũ efficacia. Quia genus potentiæ cognoſcitivæ perfectius eſt, quam appetitivæ: ergo, cum intellectus ſit perfectior potentia cognoſcitivarum, & voluntas perfectior appetitivarũ, ille debet eſſe perfectior voluntate. Conſequẽtia videtur bona cum difficile percipi poſsit antecedentis veritas, ſi conſequens non ſit verum: antecedens probatur. Quia potentia appetitiva magis ex proprio conceptu ordinata videtur, vt quærat perfectionem, quam vt perficiat; cum potentia cognoſcitiva, vt perficiat potius ordinata videatur, & inſtituta. Præterea delicatius, & vt videtur immaterialius attingit ſuũ obiectum intellectus, quam voluntas; cum ille mille præciſsiones efficiat, & res exiſtentes, & non exiſtentes attingat; voluntas vero res, vt ab intellectu proponuntur attingat, & ad exiſtentiam per actus ſuos perfectiores tendat. Alias omitto rationes; quia nec clarius, nec efficacius concluſionem oſtendunt.

***

Soluuntur argumenta.

3340 Obijcies primo, habitus, & actus charitatis perfectior eſt quocumque habitu, & actu intellectus: ergo & ipſa voluntas eſt perfectior. Antecedens conſtat ex D. Paulo aiente *maior autem horum eſt charitas*. Reſpondeo actum charitatis eſſe perfectiorem omnibus actibus intellectus, qui dantur in via; non tamen actu viſionis claræ, quæ datur in patria; quãvis enim de hoc etiã quæſtio ſit inter Theolog. communior ſententia ſic ſentit. In via autẽ eſt perfectior ratione obiecti, quia attingit Deũ perfectiſsimũ obiectũ; quamvis autem intellectus etiam illũ attingat, non tamen attingit illum, vt eſt in ſe, voluntas vero illum, vt eſt in ſe amat; quia etſi ſupponat cognitionem, non tamen in modo ei conformatur. Vnde per voluntatem in via anima Deo potius, quam per intellectũ, vnitur; in patria vero perfectius per intellectum.

3341 Dices etiam in patria perfectiorem eſſe actum, & habitum charitatis; ſiquidem præcipuè in illo reſplẽdent Seraphini, qui ſunt excellentiores ſpiritus. Ad hanc autem replicam etiam Theologi reſpondẽt dicentes Seraphinos etiam in viſione alios ſpiritus excedere; dicitamen excellẽtiores propter charitatẽ, quam exercuerunt in via, aut etiam quia in alios influunt charitatem; cumque Cherubini, qui ſcientiam infundunt, non infundant ſcientiam beatam, quæ ſola perfectior eſt charitate, inferiores ſunt Seraphinis.

3342 Secundo obijcies: obiectum voluntatis est perfectius obiecto intellectus: ergo & ipsa perfectior. Antecedens probatur: quia obiectū voluntatis est bonum: bonū autem, & perfectū idem sunt. Resp. negando antecedens. Ad cuius probationē dico etiam bonum, & perfectum esse obiectum intellectus nō vt movet, & allicit ad sui assecutionem, sed sub abstractiori ratione. Sub ratione, scilicet, quidditatis. Vnde potius colligitur maior intellectus perfectio, qui sub abstractiori ratione obiectum attingit.

3343 Tertio obijcies: illud est melius, cuius oppositum est peius: sed oppositum amoris est peius, quam oppositum cognitionis; cum odium Dei sit omnium pessimum; ignorātia vero Dei non sit ita mala: ergo & amor Dei erit actus omniū melior, & consequenter voluntas illum eliciens perfectior intellectu. Resp odium esse pessimū in genere moris non tamen in genere physico, nobis autem sermo est de perfectione physica. Sed insurgit Merin. in ijs, quæ non sunt mala, quia prohibita, sed ex natura sua mala, malitia, aut bonitas moralis fundatur in perfectione physica; ergo non poterit amor esse perfectior moraliter, quin etiam sit physice perfectior. Resp. tamen bonitatem, & malitiam moralē in perfectione physica fundari, non quatenus perfectior, aut imperfectior est, sed quatenus conformatur, aut disconformatur rationi; sic omissio amoris Dei, dū amoris præceptum vrget, & odium Dei ita se habent, quod illa est physice magis mala, & imperfecta, & moraliter minus mala. Vnde corruit Merineri tota doctrina.

3344 Quarto obijcies: iuxta Philosop. *Quod est posterius generatione est prius perfectione*: sed voluntas est posterior generatione, vt omnes admittunt: ergo perfectione prior. Resp. Philosoph. loqui de generatione, quæ non contingit per simplicem emanationem; ibi enim præcedunt formæ minus perfectę magis perfectas; in emanatione vero potentiarum ab essentia non contingit sic; sed è converso, vt volunt Thomistæ, vel saltim sic contingere non probatur.

3345 Quinto obijcies: voluntas imperat tum actus intellectus; tum suos, tum etiam aliarum potentiarū: ergo ipsa Regina, & Domina iure est censenda, & consequenter perfectior, quā intellectus. Resp. voluntatē ad executionem applicare se, & alias potentias: vnde secundū quid est perfectior intellectu; non tamen simpliciter; quia aliunde & istud voluntatis dominium ab intellectu dependet, ab eoque dirigitur, & regitur, atque etiam actus intellectus in modo tangendi obiectum excedit voluntatis actus. Nec valet dicere, quod voluntas depēdet ab intellectu, tanquam à servo; quia id pro libito dicitur, & verisimilius est, quod dependet, vt à regente, & gubernāte illam, & cum intellectus minus dependeat à voluntate, quam volun-

voluntas ab intellectu, non eſt cenſendũ, quod ab intellectu dependeat vt à ſervo; quia etſi in aliquibus Dominus a ſervo dependere poſsit; ita tamen id evenire debet, vt magis aliunde ſervus à Domino depẽdeat.

3346 Hic demum adverte, quod, quamvis communiter DD. admittant voluntatem imperare tum ſuos actus, tum etiam aliarum potentiarum, & in hoc ſenſu imperiũ ad voluntatem pertineat, tamen aliud imperium, quo, videlicet, voluntati, poſtquam media elegit intimatur eorum executio quod communiter vocatur *fac hoc* ad intellectum dicitur à Thomiſtis ſpectare. Alij vero hoc imperium, aut neceſſarium non eſſe dicunt, aut, ſi neceſſarium eſt, ad intellectum non ſpectare, ſed ad voluntatẽ: de eo tamen non eſt in præſenti quęſtio excitanda, quia ea ſatis graviter in Theologia excitatur in materijs de prædeſtinat de legib. & alijs in locis, quapropter modo circa intellectum, & voluntatem, non plura, vt circa eorũ habitus dicamus aliqua.

QVÆSTIO VLTIM.
De Habitibus.

3347 RELICTIS Acceptionibus varijs, quibus hoc nomen *habitus* vſurpari ſoler, quarum plures ex alibi dictis ſunt planæ; modo vſupatur pro qualitate quadam permanenti, ſive difficile à ſubiecto movili, quæ potentiam adiuvat, & inclinat ad operandũ; cum ergo iſti habitus in potentijs ſint, eaſque adiuvent, iure merito, hic poſtquam de animæ potẽtijs egimus, de his habitib⁹ ſermonem inſtituimus. Non tamen hanc materiam diffuſe tractabimus; quia plura circa illam Theologi tractant in diverſis materij: ſolũmodo ergo hic præmittemus, ea, quæ ad Theologica, dum occurrant, percipienda lucem præferunt.

3348 Inquires ergo primo: vtrum dentur habitus in intellectu. Reſp. negative contra communem ſententiam cum aliquibus Thomiſtis apud Lynceum, & cum Hurtado, Arriaga, Oviedo, Carleione, & Spinula. Probatur reſponſio primo authoritate D. Tho. qui *q. 10. de verit. a. 2.* de ſpeciebus loquens ait; *& harũ ordinatio eſt habitus ſciẽtiæ*: ergo habitus, qui intellectuales dicuntur non ſunt iuxta D. Thom. ab ſpeciebus diſtincti: cum autem nos ſpecies intellectuales non negemus nequaquã negamus in intellectu habitus ab ſpeciebus indiſtinctos, ſed tantũ habitus, qui ſpeciales entitates ſint ab ſpeciebus diſtinctę. Præterea ipſe D. Thom. *q. 8. de potent. art. 1. in corpore* omnia, quæ ſunt in intellectu cõmemorans nullam mentionem de habitibus facit; ſed de ſpeciebus ſolum; ergo habitus ab ſpeciebus diſtinctos non cognovit in intellectu. Lync. autem reſpondet D. Tho. cognoſcere habitus intellectuales; non tamen ſpecies ab habitibus diſtinctas, ſed habitus ipſos vocat ſpecies. Vnde colliges,

quod quamvis Lync. sententiã communẽ sequatur contra nos, eius tamen sententia est magis singularis, quã nostra; cum nos cum DD. memoratis species pro habitibus ponamus; ipse vero, non cum talibus, habitus pro speciebus apponat. Facit autẽ hoc Lynceus; quia prius species negaverat; cumque nos eas admitti debere suo loco probaverimus non alia solutionis Lyncei impugnatione indigemus.

3349 Secundo resp. probatur ratione: quia si admitti deberent in intellectu habitus, maximè quia per repetitionẽ actuũ intellectus sentitur nova facilitas ad actus similes eliciendos; sed ista optimè intelligitur provenire à maiori intesione, & claritate specierũ; ergo sine fundamento superadduntur habitus ab ipsis distincti. Tertio probatur responsio: quia habitus ponuntur, vt potentiam inclinent, & adiuvent ad actus eliciendos: sed non est fundamentum ad ponendum adiutorium habitus, quia sufficienter intellectus per species adiuvatur; nec inclinationẽ; quia si obiectum evidenter appareat intellectus est de se ad illud inclinatus; si vero inevidenter à voluntate inclinari potest; ergo nulla ratione habitus ab speciebus distincti sunt admittendi.

3350 Sed obijcies: species intellectuales non producuntur per actus; cum ad primũ actum supponantur, nec dant facilè posse solum, sed simpliciter; simpliciterque sunt necessariæ ad quẽvis actum; sed iuxta communem sententiam habitibus convenit produci per actus, dare facilè posse, ac non esse simpliciter necessarios; ergo species intellectuales habitus non sunt. Respondeo cum Spinula species intellectuales non esse secundum se habitus; sed secundum intensionem, quã per actus acquirunt, qua ratione eis conveniunt omnia, quæ de habitibus communiter dicuntur.

3351 Ex dictis colliges: ĩo alijs potentijs cognoscitivis habitus etiã ab speciebus distinctos ponendos non esse; quia pro eis nec datur vrgentior ratio nec illæ potentiæ minus determinari possunt sine habitibus ab speciebus, aut à voluntate. Deinde etiam colliges alias omnes potentias necessarias habitibus non indigere; quia eo ipso, quod necessariẽ sunt, in suos actus sine habitibus satis propendent, & omnibus positis requisitis, summa cum facilitate feruntur; non ergo necessarium est in eis habitus superaddere, vt tribuant facilitatem.

3352 Sed dices: per crebras saltationes acquiritur facilitas saltãdi; sed ista facilitas nihil aliud est, quã habitus saltandi; ergo in aliqua potẽtia necessaria datur habitus. Resp. negando min. quia potentia saltandi à voluntate applicatur, & ideo habitu inclinante non indiget. Facilitas autẽ illa ad duo revocari potest alterum est ad evidentem propositionem saltuum, & modi illos conficiendi, quæ etiam in brutis per illorum exercitium in phantasia ac-

quirit? alterum est, quod nervi, & musculi partiũ exercentium saltus moviliores reddantur, exercitio ipso, exsiccatis, aut alio à motis, qualitatibos agilitatem impedientibus.

3353 Secundo inquires, an in voluntate admittendi sint habitus, prima sententia eos habitus à cognitione, & speciebus intellectualibus distinctos admittit. Secunda negat. Pro prima stat communis assensus, eamque tenent inter RR. Lynceus, Carler. Arriag. Hurt. & communiter alij. Pro secunda stant Apud Lynceum aliqui antiqui, & inter RR. eam expresse defendit Oviedus, quamvis pro contraria ab Echalaz citatus. Eandem, vt probabilem, defendit Echalaz, quamvis primam vt veram. Pro eadem citat Oviedus P. Lugum eamque præterea tenet Spinula pro ea tamen nec vllum citat antiquum, nec modernum vllum, de Oviedo miror, qui magnam huic sententiæ lucem dedit, & quem alias præ manibus habere profitetur.

3354 Primam sententiam probabilẽ satis esse ex communi Theologorum assensu sufficiẽter constat; tum & rationibus non careat, & ipsa DD. authoritas ei probabilitatem sufficiat impertire. Quia tamen DD. secundã defendentes graves sunt, eius probabilitatem modo defendam. Secundam ergo sententiam breviter probo (latius de ea videri possunt Oviedus, Echalaz & Spinula) quia habitus, aut ponendi sunt in voluntatẽ, vt eam determinent, aut vt eam inclinent, aut vt eã adiuvent: sed ad istorum nihil sunt in ea necessarij: ergo non sunt ponendi. Maior videtur constans: nullum enim aliud munus habitibus solet assignari. Minor quoad triplicẽ eius partem probatur, quoad primã, quia voluntas, cum sit libera, seipsam determinare potest, cum obiectũ indifferenter proponitur; si vero non ponatur indifferẽter, est determinata iã, quin aliquo determinante præter obiectum proposítum indigeat: ergo ad determinandam voluntatem, nullatenus est habitus necessarius, quoad tertiam autem partem est clara minor, quia vt constabit inferius, difficilè satis percipitur, quod, adhuc ex suppositione, quod habitus dentur, adiuvent potentias; ergo multo minus percipietur, quod præcisse, vt eas adiuvent, ponendi sint.

3355 Quoad secundam autem partem probatur minor positæ probationis Inclinatio, quam experimur in voluntate post repetitionem actuum potest optime tribui speciebus intellectualibus, & cognitionibus: ergo ad eam inclinationem in voluntate causandam habitus ponendi non sunt. Consequentia est optima: quia eo ipso, quod ea inclinatio aliunde, quam ab habitu possit provenire non est necessitas, vt ad eam causandam ponantur habitus, consequenterque poni non debent; cum nulla sine necessitate sit entitas multiplican-

da. Antecedens autem probatur: cognitio quævis bonitatis obiecti allicit, & inclinat voluntatem ad amorem illius, & quo maiorem bonitatem in obiecto repræsentat, & vivacius, eo magis allicit, & inclinat; sed semper, ac per repetitionem actum augetur inclinatio in obiectum, intelligitur benè quod cognitio aut proponat maiorem in obiecto bonitatem, aut vivacius & perfectius eam proponat: ergo intelligitur benè, quod ab ea cognitione ea maior inclinatio possit provenire. Minor probatur, per repetitionem actuum experientia discitur obiecti bonitas, & magis intenduntur species illius, atque etiã, si aliqua inconvenientia apparebãt in eius executione discitur, quod ea non sint, aut non tam magna sint, ac apparebant: ergo semper, ac per repetitionem actuum acquiritur inclinatio, intelligitur benè, quod cognitio, aut repræsentet vivacius bonitatem obiecti, aut maiorem bonitatem repræsentet, & consequenter, quod ab ea cognitione maiori illa proveniat inclinatio.

3356 Confirmatur secunda minoris pars: quia si contingat aliquando, quod per actus experientia constet, quod est bonitas minor, quam ante primum actum apparebat, & difficultates maiores, quam apparebant, non solum per actus illos non producitur inclinatio; sed potius retardatur voluntas, & minus est inclinata ad actus illos: ergo signum est, quod inclinatio non proveniat ab speciali qualitate, sed à cognitione maioris bonitatis, aut eiusdem vivacius repræsentatæ; siquidem dum ea non excitatur, sed opposita, inclinatio maior non adest, sed potius minor. Advertendã primo, quod cum cognitione illa, quæ maiorẽ, aut modo perfectiori, bonitatem repræsentat, sit facilè movilis, ipsa, etsi inclinet proximè voluntatem, non dicitur habitus; sed species ad illam cognitionem concurrentes, quæ mediatè inclinant, & sunt difficilè moviles. Vnde species intellectuales erunt habitus respectu intellectus, & etiam respectu voluntatis, illum tamen inclinabunt in actus immediatè, istam mediatè, media, scilicet, cognitione ab ipsis producta. Secundo adverte, quod non solũ per actuum repetitionem experientia ipsa cognoscitur maior in obiecto bonitas, sed etiam diminuitur cognitio malitiæ, ita, vt species repræsentantes malitiam etiam per eos actus remittantur, ita vt minorem malitiam repræsentent, aut eandem minus perfectè: vnde habitus frequenter in perfectione dicta specierum repræsentantium bonitatem, & diminutione earum, quæ malitiam repræsentant, consistere solet.

3357 Sed dices inveniri solere aliquos doctos virós, qui perfectè valde cognoscunt malitiam, quæ reperitur in actibus pravis, quo tamen non obstante, propter repeti-

tionem illorum habent inclinationem malam ad actus illos vitiosos; ergo inclinatio non provenit à perfecta cognitione bonitatis, & imperfecta malitiæ; sed ab aliqua distincta entitate; quæ per eos actus producitur. Resp. in prædictis hominibus bonitatem delectabilē, quā experiuntur in actibus pravis ita sui speciem excitare, vt cogitationem ferè omnino in eam bonitatē rapiat; neque sinat attendere ad malitiam magnam, quam aliæ species repræsentant; sed eas species confundat, & quasi oblivioni mandet, parumque attendere sinat, & valde confusè ad malitiam per eas repræsentatam, præsertim, dum cognitiones practicas elicit; aliquando enim dum speculative rem considerat; benè perspicere solet obiecti malitiam. Vnde benè in dicto casu intelligitur doctrina à nobis tradita.

3358 Dices tamen adhuc: in Christo nulla fuit inclinatio, aut habitus ad actus vitiosos; sed in Christo fuerunt cognitiones perfectissimæ totius bonitatis delectabilis, quæ in quocumque actu vitioso reperitur: ergo adhuc perfectissima cognitio bonitatis delectabilis obiecti non est causa inclinationis, quam experimur in habitibus vitiosis. Responderi solet, quod in Christo non erat imperfecta cognitio de malitia, quæ reperitur in dictis actibus, sed perfectissima, & quæ maiorem vim haberet ad retrahendum ab illis, quam cognitio bonitatis delectabilis ad alliciendum: vnde in illo non erat inclinatio vlla, aut habitus ad pravos actus.

3359 Sed contra est: quia pari ratione dici potest in Christo non fuisse habitus virtuosos, quia quamvis in illo essent cognitiones perfectissimæ de bonitate honesta actuum virtuosorum, & de quiete illa, & tranquilitate, quam anima in illis experitur, habebat tamen aliunde cognitionem perfectam difficultatum, quæ in eis actibus reperiuntur, & disconvenientiæ, & iucunditatis, quam habent respectu naturæ sensitivę: sicut ergo in Christo non sunt habitus vitiosi, quia quāvis habeat perfectam cognitionem bonitatis delectabilis, non habet carentiam perfectæ cognitionis malitiæ; sic dicendum videtur iuxta doctrinam eandem, quod non habeat habitus virtuosos; quia quamvis bonitatis honestæ cognitionem perfectissimam habeat, non caret cognitione perfectissima malitiæ, & iniucunditatis, quam habent actus honesti, respectu naturæ sensitivæ.

3360 Respondet tamen Echalaz nostræ sententiæ probabilitatem defendens, ad habitum vitiosum non sufficere cognitionem perfectissimam bonitatis delectabilis actus pravi, si datur simul perfecta cognitio malitiæ; quia ista cognitio retrahit ab amore obiecti, quantum poterat inclinare cognitio bonitatis; at vero ad habitum virtuosū sufficit perfectissima cog-

nitio honestatis virtutis, & turpitudinis vitij, quamvis simul adsit cognitio delectationis vitij, & iucunditatis virtutis; quia sedatis passionibus, ista cognitio non retrahit tantum, quantum inclinat cognitio honestatis virtutis, & turpitudinis vitij. Sed certè dubitari non potest, quod illa cognitio non parum retrahat ab amore actus virtuosi, & eo plus, quo perfectior est, & maiorem disconvenientiam proponit: vnde saltim inferri potest; quod in Christo virtutes non fuerunt valde perfectæ; quia non parum inclinatio ad actus virtuosos retardabatur à cognitione iniucunditatis in illis repertæ.

3361 Iudico tamen præfatam solutionem non parum nos ad veritatem ducere. Sentio ergo, cæteris paribus, cognitionem iniucunditatis non minus retardare ab actibus virtutis, quam cognitionem turpitudinis ab actibus vitij: quia tamen delectatio reperta in actibus vitiosis comparata cum malitia, & turpitudine in ipsis reperta est ita exigua, vt pro nulla reputari possit, non potest vllo modo voluntatem inclinare in conspectu cognitionis turpitudinis. Similiter, quia iniucunditas reperta in actibus virtuosis comparata cum bonis, & honestate, quæ in ipsis reperiuntur, etiam est modicissima, & moraliter pro nulla reputanda, non sufficit inclinationem, quę ex cognitione bonitatis resultat, vllatenus impedire, aut minuere. Vnde benè intelligitur quomodo in Christo perfectissimi fuerint virtuosi habitus, & nec vestigium fuerit habitus vitiosi. In nobis autem quod æquè retardet cognitio iniucunditatis, ac allicit cognitio honestatis actus boni, & similiter cum proportione contingat in actu pravo, provenit ex eo, quod, etsi bonitas actus honesti, & turpitudo actus pravi, sine comparatione excedat huius iucunditatem, & illius asperitatem; tamen iucunditas, & asperitas aliunde apud nos crescunt valdè eo, quod sensibilia vehementer percipiamus; insensibilia vero remisse, tepide, & confusè, vtpotè, quia non sunt obiecta proportionata.

3362 Tertio inquires: in quo genere causæ ad actus concurrant habitus. Iuxta sententiam habitus ab speciebus distinguentem valdè est hæc quæstio controversa, & difficilis, & multa dicuntur, quæ facilè impugnantur. Vnde ex hac difficultate non levem accipit confirmationem sententia eos habitus ab speciebus non distinguens. Quia tamen sententia distinguens eos est communis, iudico iuxta eam probabilius dici, quod effective cõcurrẽdo adiuvent potentias, nec refert, quod ait Spinula require potẽtiam facilius actũ efficere, quamvis habitus effective concurrat; quia adhuc debet producere totũ actũ, nam contra est; quod quamvis adhuc totum actum producat non producit illum totaliter, vnde facilius illũ pro-

producere poterit. Et si dicas, quod illũ debet producere totaliter, quia si actio totaliter à potentia non dependeret, sed partialiter ab habitu, non posset illa actio à potentia sola effici: est autẽ communis doctrina, quod potentia sola potest efficere actus eosdem, quos cũ habitu facit. Respondeo non posse potentiá sine habitu efficere eandẽ numero actionẽ; posse tamen eandem specie: quándo autem Doctores communiter dicunt posse potentiam efficere eosdem actus sine habitu, aut loquuntur de qualitate, in qua actum consistere existimant; aut si de actione intelligendi sunt de eisdem specifice actibus, non de eisdem numerice.

3363 Addit tamen Carleton, quod non solum habitus concurrit effective ad actum, sed etiam cum ipsa potentia effective concurrit ad inclinationem, quam antecedenter ad actum ipsum experimur habere. Hæc sunt, quæ probabilius dici possunt, si habitus ab speciebus distinguantur. Si vero non distinguantur, facilius quæstio dirimitur ex alibi dictis; cum enim species ad cognitionem effective concurrant, sic concurrere ad suos actus habitus intellectuales plane sequitur; cumque ad actus voluntatis species, quæ sunt voluntatis habitus, concurrant media cognitione, & ista non effective, sed directive solum, & vt conditio, concurrat, habitus voluntatis concurrent tantummodo directive, & applicative, applicando obiectum, quod allicit, & movet voluntatem ad complacentiam simplicem, & etiam efficacem amorem; sive etiam ad displicentiam, & odium.

3364 Quarto inquires: à quonam habitus producantur? communis est loquendi modus, quod ab actibus producantur; quod iuxta nostram sententiam de indistinctione habituum ab speciebus specialem non continet difficultatem. Iuxta communem autem sententiam etiam iure id dici existimo. Quia planum videtur, quod actus conducat ad productionem habitus: sed non concurrit, vt actio, aliàs, posito actu, nec divinitus posset habitus impediri: nec concurrit, vt dispositio, alias habitus sine actu nequiret conservari: ergo vt causa concurrere debet. Videtur tamen probabile, quod Lynceus ait, videlicet, quod partialiter etiam potentia concurrat; cum enim, absente actu, à sola potentia conservetur; non est cur ei saltim partialis concursus in prima productione concedi non debeat.

3365 Circa habitus autem supernaturales notandum, quod simul cum gratia habituali animæ infunduntur virtutes ad omnes actus virtuosos supernaturales eliciendos, quæ virtutes, & supernaturales habitus se habent, vt proprietates gratiæ, & excepta fide, & spe, illa destructa, destruuntur. Vnde omnes inter se sunt connexæ,

nexæ, in quo differunt à virtutibus naturalibus: etiamque ab eis differunt, quia dant posse simpliciter, & simpliciter ad actus supernaturales sunt necessariæ; naturales vero habitus dant facile posse, & simpliciter necessarij non sunt. Cum vero habitus supernaturales non dent facile posse, sed solum posse simpliciter, & per repetitionem actuũ acquiratur facilitas ad similes alios, disputant nonnulli, an actus supernaturales virtutũ producant habitum supernaturalem acquisitum, qui det eam facilitatem? Tenentque affirmativam sententiam contra Theologorum communem aliqui RR. inter quos sunt Lynceus, & Arriaga, sed hoc examinare limites philosophiæ videtur transilire; quapropter id omitto aliaq; etiã circa habitus acquisitos; quia & si hic attingi possent non difficilius in Theologia occurrent.

(·?·)
(?)



TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

CONTINENS DISPVTATIONES, ET QVAESTIONES, IN ARISTOTELIS METAPHISICAM.

IN Duodecim libros diviſit Ariſtoteles Metaphyſicam. Pater Suarez eam diviſit in quinquaginta, & quatuor diſputationes per duos latiſsimos tomos diſtributas. Nec mirum eſt, quod ita lata ſit hæc ſcientia; cum eius obiectum ſit ens, prout ab omni materia abſtrahit, vnde in eo continentur omnia entia ſpiritualia, quæ tranſnaturalia dicuntur ſenſu à nobis explicato *diſp. 2. phyſic. q. 2. num. 1632.* Sub eo etiam continentur entia materialia, non vt materialia, ſed vt à materia præſcindi poſſunt: cum ergo tam diffuſum ſit huius ſcientiæ obiectum, mirum non eſt, ſi ea etiam ſit diffuſa. Nos tamen, quia plura, quæ ad illam ſpectant, dedimus iam in tractatibus præcedentibus huius noſtri curſus, & quia inſuper ea, quæ ad Deum, & Angelos ſpectant, in Theologia tractari ſolent, breviter hunc abſolvemus tractatum, in eo agentes de ijs, quæ ad complementum huius curſus philoſophici deſiderari poſſunt, vel quia alibi inſeri non potuerunt, vel quia, etſi potuerint, commodius viſum eſt ea ad hunc tractatum reſervare. Igitur, omiſsis quæſtionibus proœmialibus, quæ ex dictis in Logica facile reſolvi poſſunt, vt ad ea, quæ difficultatem habent, accedamus, ſit.

DIS-

DISPVTATIO PRIMA.

De ente secundum se, & eius diversis statibus.

3367 IN Hac disputatione agemus de varijs acceptionibus, & stantibus entis, vt in sequentibus de eius attributis, & eiusdem divisionibus agamus. Vnde in hac disputatione omnino oportebit, quid possibilitas sit, quidque essentia, & existentia declarare. Sit ergo.

QVÆSTIO PRIMA.

De varijs entis acceptionibus.

3368 CVM Ens sit prædicatum vniversalissimũ, quo aliud superius assignari non valet, non potest proprie definiri; cum genus, per quod definiri possit, non habeat, vt ergo aliqualiter explicetur, eius acceptiones in medium oportet adducere. Primo igitur ens accipitur pro eo, quod aptum est esse: vnde in hoc sensu, seu acceptione ens dicitur quidquid est possibile, seu potẽs existere in rerum natura. In quo sensu chimeræ contraponitur, & quidquid chimæra non est, quia aut de facto existit, aut existere potest, ens in hac acceptione dicitur.

3369 Secundo sumitur ens pro eo, quod actu existit, & est in rerum natura. In quo sensu non convenit rebus pure possibilibus; sed ijs tantum, quæ à parte rei existunt. Vnde communiter dicitur, quod ens in prima acceptione sumitur nominaliter; in hac vero secunda participialiter, quia in prima illa non denotatur actu existentiam haberi, seu exerceri; in secunda vero actu existendi exercitium denotatur. Quod exemplo viventis declaravimus in Logica *disput. 6. num. 953.*

3370 Tertio sumitur ens pro eo, quod non solum actu, sed etiam essentialiter existit, qua ratione soli Deo competit, quia licet creaturis competat actu existere, nulli tamen, sed Deo soli competit essentialiter. Vnde in hac acceptione solus Deus est ens idque denotavit Moysi Exod 3. dicens: *Ego sum, qui sum.* Vide *num.* 1012.

3371 Quarto sumitur ens pro eo, quod est *per se* sive actualiter sive aptitudinaliter: vnde in hac acceptione sola substantia est ens. Raro autem in hac acceptione sumi solet; forsan tamen iuxta eam intelligendi sunt Thomistæ non pauci, qui accidentibus rationem entis negant asserentes, quod accidens non est ens, sed entis ens.

Ens

3372 Ens autem in prima acceptione commune est Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti, eisdemque convenit in secunda acceptione, cum hac differentia, quod in secunda acceptione solis conveniat creaturis actu existentibus; in prima vero non solis possibilibus conveniat; sed etiam actu existentibus, quia existentia non excludit possibilitatem; sed potius eam includit. Vnde prima acceptio est omnium vniversalior, de eaque præsertim accipiuntur, quæ de ente absolute disputantur, dum aliud non exprimitur.

3373 His circa entis acceptiones præmissis disputari primo hic poterat, an ens comparatũ ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens sit vnivocum, & consequenter possit ab eis vnus cõceptus entis præscindi; an potius analogum, & consequenter nõ possit dari vnus conceptus entis communis respectu prædictorum inferiorum. Sed quia hæc resoluta à nobis sunt per plures quæstiones *in 1. part. huius curs. tract. 2. à quæst. Videlicet 4. vsque ad 9. disp 6.* modo de prædictis disputare omittimus, & vt ad alia transeamus, sit.

QVÆSTIO II.

Quid sit entis possibilitas.

3374 ENS, Iuxta primam acceptionem ex memoratis *quæst. præcedenti*; idem est, ac possibile, vnde, vt, quid sit ens in ea acceptione, intelligatur, videndum est in præsenti, quid possibile sit, quidve entis possibilitas, qua ipsum possibile denominatur. Quæ res adeo est delicata, vt magnam curam, & attentionem exposcat; adeoque difficilis, vt non parvam tam inter Antiquos, quam inter Neothericos concitet diversitatem. Prolixum esset nimis, omnes, quæ in hac quæstione extant sentẽtias referre. Quapropter referam tãtum aliquas ex celebrioribus: ex quarum discussione colligi possit facile, quæ aliarum, quas silemus approbatione dignæ sint, quæve repulsa.

3375 Igitur prima sententia tenet possibilitatem rerum intrinsecam nullam dari antequam res ipsæ existant, sed solum possibiles denominari extrinsece à virtute causæ earum productivæ. Hanc sententiam tenet Spinula nullum in eius favorem citans, quamvis Lyceus, dum ei contradicit, plures eam tueri, etsi nullum etiam citet, videatur supponere; sed mirum non est, quod nullum citet Spinula; ipse enim gloriatur valde, quod plura nova adinvenerit, vel suscitaverit: de hac tamen gloria illi tribuenda minus communiter curo, quam de soliditate eorum, quæ vt nova vendit, examinanda. Sed ante quam aliam proponam sententiam, pro huius intelligentia nota, possibilitatem aliam esse extrinsecam, quæ non reperitur in ipsa re possibili; sed

ſed eſt virtus cauſæ ad illam producendam, quæ iure extrinſeca dicitur, cum non ſit in ipſo effectu, ſed in cauſa; alia vero eſt intrinſeca, quę in ipſo effectu conſiſtit, videlicet in ipſis prædicatis effectus: cumque prædicata effectus nihil ſint antequam effectus exiſtat, ante eius exiſtentiam ſola datur eius extrinſeca poſsibilitas, & nulla intrinſeca: & in hoc conſiſtit Spinulæ ſententiæ.

3376 Secunda ſententia affirmat poſsibilitatem eſſe ab ęterno aliquid à Deo diſtinctum, non mere potentiale, ſed actuale, quod eſſe actuale habent creaturæ ab ęterno independenter à Deo tanquam à cauſa efficiente, dependenter tamen ab illo, vt ab exemplari. Hanc ſententiam tenet Albertinus apud Oviedũ *controv. 2. metaph. punct. 1. num* 4. alios citans. Hanc eandem ſententiam, quatenus poſsibilitatem dicit eſſe aliquid poſitivum ab æterno, tuetur Lynceus; etſi enim *in phyſica lib. 4. tract. 2. cap. 1.* ſolum impugnet ſententiam aſſerẽtem creaturas ante exiſtentiam dici poſsibiles tantum extrinſece à potentia cauſæ, tamen intrinſecam poſsibilitatem, quam ea impugnatione in endit evincere, eſſe aliquid poſitivum exiſtentiam rerum anteverſens, conſtat clare ex his, quæ capite ſequenti ſolvendo oppoſita argumenta dicit, atque etiam ex dictis ab eo *in metaph. lib. 2. tract. 1. cap. 1 & 2.*

3377 Tertia ſententia, alijs omiſsis, tenet rerum poſsibilitatem ante earum exiſtentiam nihil eſſe actu, & abſolute exiſtens, eſſe tamen aliquid obiective, & cõditionate, nimirum, conſiſtere, in hoc, quod prędicata rei ſub conditione, quod producantur, non ſint illativa contradictionis. Vnde conſequenter impoſsibilitas conſiſtet in eo, quod chymęræ prędicata, ſub conditione, quod exiſtant, contradictionis ſint illativa. Hanc ſententiam tuetur Oviedus *in metaphyſ. controv. 2. punct. 1. §. 2* pro ea graves aliquos Theologos citans: & ea mihi videtur communis inter RR. etſi in modo loquendi aliquam habeant diverſitatem, pro eademque plures citat, & ſequitur Recentior quidam ex noſtris. Eam ergo nos amplectimur, & pro cõcluſione ſtatuimus. Probatur autem primo authoritate D. Thom. *1. p. q. 25. art. 3. in corpore*: Vbi primo diſtinguit duplex poſsibile: primum in ordine ad potentiam, quod tantum ab Spinula admittitur. Secundum poſsibile abſolute, hocque his verbis declarat: *Dicitur autem aliquid poſſibile, vel impoſsibile abſolute ex habitudine terminorum: poſsibile quidem, quia prædicatum non repugnat ſubiecto, vt ſortem ſedere; impoſsibile vero abſolute, quia prædicatum repugnat ſubiecto, vt hominem eſſe aſinum.* Hæc S. D. quo quid clarius pro noſtra ſententia poteſt deſiderari?

3378 Secundo probatur noſtra concluſio: quia eo ipſo, quo de aliqua re intelligamus talia eſſe eius

eius prædicata, vt, si producantur, inferant contradictionem, intelligimus esse impossibilem, possibilemque, si intelligamus ex illis, si producantur, contradictionem nullá inferri: alias ex hoc nullum sequitur absurdum: iste ergo modus explicandi possibilitatem est admittendus. Confirmatur deinde nostra conclusio ex impugnatione primæ, & secundæ sententiæ.

3379 Primam ergo sententiam sic impugno: si creaturæ possibiles tantum essent ab omnipotentia Dei, seu quia Deus potest illas producere, chymæra esset impossibilis, quia Deus nequit illam producere: sed hoc est falsum, & nequit concedi; quia esset concedere in Deo defectum potentiæ: ergo nec primum, quod est assumptum primæ sententiæ. Respondet tamen Spinula, negando minorem: nam non posse producere chymæram nõ est in Deo imperfectio, quia est solum defectus potentiæ defectuosæ; potentia enim ad chymæram esset potentia sui destructiva, cum produceret hominem v. g. & simul leonem essentialiter destruentem, quod ipse sit homo. Sed contra sic argumentor: quod illa potentia in Deo repugnet, & sit sui destructiva ab Spinula ipso infertur ex eo, quod homo, qui sit leo, repugnet: ergo iuxta ipsum potius dici debet repugnare in Deo virtutem ad hominem leonem producendum, quia homo leo repugnat; quam hunc repugnare, quia in Deo non detur, sive repugnet virtus eius productiva.

3380 Sed dices iuxta ipsius doctrinam: cum ex repugnantia hominis leonis deducitur virtutis divinæ repugnantia, argui à posteriori, quia nobis notior est hominis leonis repugnantia, quam virtutis ad illum; à priori tamen loquendo, potius ea repugnantia datur, quia virtus divina ad hominem leonem non datur, sive, quod idem est, repugnat: cuius ratio à priori peti nõ debet, cum id sit essentia divinę virtutis, cuius rationem à priori dare non possumus, sicut nec aliarum essentiarum. Sed contra est: quia Deo concedi debet Omnipotentia perfectior, quæ possit à nobis cogitari: sed perfectior tribuitur, si dicamus repugnantiam chymęræ ab ipsa non oriri, sed potius Omnipotentiam esse potentem producere Hircocerbum, etsi non absolute, tamen quantum est ex parte sua, & sub conditione, quod non repugnet, quã ei denegando talem virtutem: ergo eam debemus Omnipotentiæ concedere: sed ea concessa, chymæra solum repugnat, & est impossibilis à repugnantia, & implicatione suorum prędicatorum, & non à defectu virtutis, & potentiæ: ergo ab ea repugnantia, & non à divina Omnipotentia debet asseri chymęra impossibilis: contra quod intendebat Spinula.

3381 Contra eandem solutionem est secundo: quod ideo apud Spinulam ipsum repugnat homo

moleo, quia repugnat virtus eius productiva, vtpote, quæ ſe ipſam deſtrueret: ergo ſaltim ipſa virtus ad producendam chymæricam eſt in Deo impoſsibilis; quia repugnãtiam, & contradictionem involuit: ſed non involuit eam abſolute, quia non exiſtit, ſed conditionate, quia ſi exiſteret, ea ſequeretur: ergo ſaltim alicuius rei impoſsibilitas provenit ex conditionata repugnantia, quam nos aſsignavimus, & conſequenter poſsibilitas etiam ex non repugnantia ſimili poterit oriri.

3382 Etſi dicas bene poſſe impoſsibilitatem reduci in implicantiam, & contradictionem ex parte cauſæ, etſi non poſsit in eam reduci, quæ eſt ex parte effectus, quia repugnantia illa, quæ ex parte cauſæ ſe habet, poteſt identificari cum ipſa virtute divina; in effectu vero non eſt cum quo poſsit identificari. Ego quidem quid, præter hoc, contra immediatam replicam dici poſsit, ignoro, & ſi hoc dicatur, ſic inſurgo: ergo Deus eſt chymæra. Probo ex ſolutione iſta conſequentiam: Deus eſt ſua virtus: ſua virtus eſt identificata cum implicatione, & repugnantia: ergo Deus ipſe eſt cum implicatione identificatus; ſed implicatio eſt chymæra: ergo Deus eſt cum chymæra identificatus, & conſequenter eſt chymæra. Hæc argumentatio bona mihi videtur: nõ ita ea, quã obijcit contra nos Spinula, quæ ſic ſe habet: Deus per nos poteſt producere chymærã: ergo in Deo datur virtus, chymerica, & chymerica potẽtia. Reſpondeo enim nunquam nos concedere Deum poſſe abſolute producere chymæram; ſed poſſe producere Hircocerbũ ſub conditione, quod non repugnet, ſeu quantum eſt ex parte ſuæ Omnipotentiæ: potentia autem ad producendum quantũ eſt de ſe id, quod non implicat, & id etiam, quod implicat, ſub conditione, quod non implicaret, non ſolum chymærica non eſt; ſed perfectior, quam illa, quæ ſolum poſsibilia abſolute producere poteſt.

3383 Sed iam ſecundam impugno ſententiam: poſsibilitas creaturarum eſt ab æterno: ergo non eſt aliquid poſitivum. Probo conſequentiam: quia ab æterno nihil poſitivũ datur diſtinctum à Deo; ergo ſi illa poſsibilitas eſt ab æterno, non poteſt eſſe quid poſitivũ à Deo diſtinctum. Probatur antecedens: quia quod eſt ab æterno, aut eſt à ſe, aut ab alio: ſi à ſe, erit Deus, & cõſequenter non diſtinctum à Deo; ab alio nequit eſſe, quia Deus nihil produxit ab æterno, vt fides teſtatur: ergo nihil poſitivũ à Deo diſtinctũ eſt ab æterno. Reſpõdebis ex Lyn-ceo poſsibilitatem, etſi quid poſitivum ſit, eſſe ab æterno, & eam eſſe à ſe probabiliter defendi poſſe: ac etiam probabiliter, aut probabilius teneri poſſe eam eſſe à Deo; primo enim quod à ſe ſit non facit eam eſſe Deũ, cũ enim poſsibilitas ſimpliciter non ſit aliquid, magiſq; ſit poſſe eſſe, quam eſſe, parum eam evehit, quod à ſe ſit quodammodo: ideoque

lon-

longissimè abest, quod Deus sit. Quod autem à Deo sit dici posse defendi; quia inconveniens solum est, quod aliquod esse proprie tale sit à Deo ab æterno; non autem, quod aliquod esse improprie tale, & secundum quid, sit ab æterno: sic enim carentiæ suo modo sunt à Deo ab æterno: cur non etiam possibilitas, cuius esse etiam est impropriũ, & secundum quid?

3384 Sed contra sic argumentor: nec à se, nec à Deo potest esse possibilitas, nisi ad nostram redeundo sententiam: ergo solutio est nulla. Antecedens probatur quoad vtramque partem: quoad primã quidem, quia eatenus dicitur possibilitatẽ esse à se, sine inconveniẽti, quatenus ea non habet simpliciter esse, sed potius eius esse est posse esse, quã esse: nunc ergo inquiro, aut illud esse, quod dicitur posse esse, est verum esse, etsi minutissimũ; & hoc nec intelligi potest, quid sit, nec recte poterit sonare alicui, quod aliquod verum esse, & si alias minutissimũ, præter Deũ sit à se. Aut illud posse esse est esse mere potentiale, & ita, vt à proximo inconveniẽti seruetur, debet dici nihil esse actu, & absolute, & tantum esse aliquid obiectiue, & cõditionate. Similiter pro secunda parte probatur antecedens: quia esse possibilitatis, aut dicitur diminutum, & secundum quid, ac improprium, quia eius esse est potẽtiale & solum obiectiue, & conditionate dicitur esse, & sic reditur in nostram sententiam; aut quia habet aliquã perfectionẽ, aut entitatẽ, minutissimã tamẽ: & sic intelligi nequit, quo modo non dicatur aliquid; quodcumque enim ens quantumcũque imperfectũ aliquid dici meretur cum ergo nihil sit à Deo ab æterno productũ ab ipso distinctũ talis possibilitas in nihilũ absolute reijciẽ debet, vt nostra tenet sententia, & Lynceus ipse sæpe suis solutionibus ad hoc manu ducit, & præcipue exẽplo carentiarum, quo se protegit; ita enim illæ dicuntur habere esse secũdum quid, & impropriũ, vt in re, quæ illas sic vocant, eas nihil esse credant, vt vidimus *disp. 1 in lib. phys. q. 11. n. 1446. & 1447.*

3385 Præterea Lynceus *lib. 2. metaph. tract 1. cap. 2. n. 10.* fatetur ipsam Petri essentiam, quæ modo existit per se ipsam esse possibilem: & tamen possibilitatẽ adhuc distinctã, quã impugnamus, ponit, asserens eam esse extrinsecã, & se ipsum explicans, quo sensu eam communiter intrinsecã dixerit, ait inconveniens non esse Petrũ habere duplicẽ possibilitatẽ à Deo distinctã: quod confirmat tribus exẽplis, de veritate propositionis, ac de similitudine creaturæ ad Deũ, ac de duplici intellectione: ait ergo posse duplicari possibilitatẽ, sicut in his exẽplis veritas, similitudo, & intellectio duplicatur. Ista tamẽ doctrina ansam eũ impugnandi præbet. Primo, quia nullũ adest fundamentũ eam possibilitatem duplicandi, & alteram non reijciendi; nec illa exempla fauent; duo enim prima destructa

manent à nobis *à num.* 1249 alterum vero *num.* 3125. Secundo, ex doctrina iſta Lyncei poterat aliquis illi obijcere illum in re incidere in ſententiam illam exoſſam aliquorũ Thomiſtarũ aientium eſſentias eſſe ab æterno, & ſolas exiſtentias produci, pro qua plures refert DD. M. Aguirre *diſp. 2. ſuæ metaph. ſect. 1. num. 5. & 6.* eamque ſectionibus ſequentibus late impugnat; illi enim dicere poſſunt eam, quam Lynceus dicit poſsibilitatem ab exiſtentia diſtinctã ipſos vocare eſſentiam; eam vero, quam eſſentiam actualem vocat Lynceus, ipſos adæquate vocare exiſtentiam, & quidem non præter Ieſuitarum plurium mentem, qui illam ab exiſtentia, nec virtualiter diſtinguunt. Hanc ergo Lyncei ſententiam ego non minus abhorreo, quam illam, & non bene fero, quod ſingulariſsimam ſententiam ſuſtineat Lynceus, & ſæpe ſæpius ſuo loquendi modo in communem videatur inclinare.

Soluuntur argumenta.

3386 Obijcies primo ex Spinula contra noſtram ſententiam: rem eſſe poſsibilem, & non involuere contradictionem eſſe idem per idem: ergo male à nobis poſsibilitas explicatur. Reſpondeo nemini dubiũ eſſe poſſe, clarius eſſe illud ſecundum præcipue, ſi verbis noſtræ ſententiæ quæ clariora ſunt proponatur: in explicatione autem quid, niſi claritas poſtulatur.

3387 Obijcies ſecundo ex eodem: etiam ſi nullus foret intellectus affirmans aliquid de lapide, lapis eſſet poſsibilis: ergo eius poſsibilitas non conſiſtit in propoſitione illa conditionata. Reſpondeo nos non intendere quod conſiſtat in propoſitione formali, ſed in obiectiva. Sed inſurgit ea non repugnantia, aut implicatio obiective requiri nõ poteſt, niſi in ipſis rei prædicatis: ſed ea prædicata non exiſtunt extra cauſam: ergo necnon implicatio datur niſi in cauſa. Reſpõdeo concedendo maiorem, & minorem, & diſtingoẽdo conſequens: ergo necnon implicatio datur extra cauſam, abſolute, cõcedo conſequẽtiam; conditionate, nego conſequẽtiã. Cum ergo nos ad poſsibilitatẽ requiramus ſolũ, quod nõ ſequatur implicatio conditionate, ea conditionata non implicantia ſufficit ad poſsibilitatem: nec obſtat, quod ea abſolute nihil ſit, cum etiam poſſibilitas ſit abſolute nihil, & hunc de ea conceptum formemus.

3388 Obijcies tertio: Petrus nondum exiſtens eſt poſsibilis: ergo per aliquid: ergo aliquid eſt poſsibilitas. Reſpondeo Petrum dici poſsibilem per hoc, quod ſit capax terminandi hanc propoſitionẽ: *Si Petrus exiſtat nulla ſequẽtur contradictoria*: hanc autẽ propoſitionẽ poteſt terminare, etiã dum non exiſtit; illam autem terminare nihil actu dicit abſolute, ſed ſolum conditionate. Vnde poſsibilitas nihil abſolute eſt, vt ſæpe eſt dictum.

Obij-

3389 Obijcies quarto: eadē est res possibilis, & res actualis: sed res actualis est verum, & positivū ens: ergo & possibilis. Respōdeo distinguendo maiorem: eadem est res possilis, ac actualis absolute, nego maiorem; conditionate, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: ergo res possibilis est ens positivum, absolute, nego consequentiam; conditionate, concedo consequentiam. Vbi nota etiam in sensu conditionato veras esse propositiones essentiales, quas vocant æternæ veritatis, & quia in eo sensu communiter accipiuntur, æternæ veritatis habentur, falsæ sæpe futuræ, si acciperentur in sensu absoluto, quem sonant.

3390 Hic tandem observandū, quod P. D. Gaspar. de Rivadeneyra *tract. de scient. Dei disp. 6* plura tradit, quæ commemorare longū esset. Quapropter solū animadverto, quod nobiscū consentit in eo, quod apud ipsum possibilitas rei cuiusvis in eo consistat, quod ipsius prædicata essentialia formaliter, neque illative, nō cōtineant cōtradictionē. Dissentit tamen à nobis, quatenus asserit, quod prædicta possibilitas physice consistit in aliquo prędicato necessario Dei. Vtique cum prędicata essentialia cuiusvis rei, ante actualem existentiā nihil revera sint, non potest in eis possibilitas necessaria rei consistere physice. Præterea omne prædicatum absolute, ac determinate necessariū est indistinctū à Deo: sed possibilitas rei possibilis est prædicatū absolute, ac determinate necessarium ergo est indistincta à Deo, ac proinde cōsistit in aliquo prędicato divino. Tandem Deus est perfectissima repræsentatio cunctarū rerum: ergo repręsentat prædicata hominis eo modo, quo ipsa sunt: sed ipsa talia sunt, vt non includant contradictionem: ergo Deus necessario habet, quod prædicata hominis, v. g. non includant, neque inferant contradictionem, ac proinde est possibilitas hominis.

3391 Sed prædictam doctrinam, quatenus à nostra recedit, à veritate etiam recedere iudico, & rem magis confundere, quam explicare: quod non aliter melius declarabo, quam respondendo ad indicata fundamenta. Ad primum ergo dico, quod prædicata rei, ante quam res existat, nihil revera sunt actu, & absolute: Hinc tamen non sequitur, quod in eis, prout contradictionem non includentibus, non consistat possibilitas; quia sicut ipsa prædicata ante actualem existentiam, nihil sunt actu, & absolute, sic ipsa possibilitas, ante eandem actualem existentiam, nihil est actu, & absolute, ac proinde bene potest in illis consistere ita, vt nullam aliam entitatem includit. Vnde colliges, quod si P. Ribideneyra vellit quod possibilitas, physice sumpta, importet entitatē actualē, & ideo in prædicatis, quæ actu nihil sint, consistere nequeat, negandum est suppositū; nam possibilitas, præcisse sumpta, nō est entitas phy-

sica, nec physice sumi potest; sed metaphysica, & non includens necessario entitatem actualem; sed solum non repugnantiam in prædicatis rei, quæ dicitur possibilis, vt diximus *num.* 3387. & 3388.

3392 Ad secundum fundamentum respondeo primo, concedendo maiorem, & negando minorem; possibilitas namque rei possibilis, quamvis rem ipsam necessario possibilem denominet, tamen non est prædicatum absolutum, sed conditionatum, Petri enim, v.g. possibilitas in eo consistit, quod, si detur Petrus, nulla sequatur contradictio: si ergo possibilitas per istam conditionalem propositionem definitur: ergo ipsa possibilitas non est prædicatum absolutum, sed conditionatū. Nec refert, quod Petrus ab æterno dicitur, & est absolute, & necessario possibilis; quia ly *absolute* nō tollit, quo minus ly *possibilis* sit prædicatum cōditionatū; sic enim, quod quis affirmet absolute, me habere propositionem conditionatā, non tollit à mea propositione, quod conditionata sit.

3393 Sed adhuc omisso, quod possibilitas sit prædicatū absolutum, & necessarium, respondeo ad fundamentū secundo, omne prædicatum absolute, & determinatè necessarium esse indistinctū à Deo, si importet, vt necessarium, veram aliquam, & actualem entitatem, aut existentiam; quia nihil, præter Deum, existit necessario; non tamen omne prædicatum obiectivum, & potentiale necessarium; quia hoc cum existentiam, & veram, ac actualem entitatem non claudat non inconvenit, quod necessarium sit, quātumvis à Deo sit distinctum.

3394 Ad tertiū denique fundamentum respondeo ex ipso sequi, quod prædicata hominis obiective habeant non implicare contradictionem, & quod propterea divina cognitio ea repræsentat sine cōtradictione. Nunc sic: si ipsa prædicata hominis habent non implicare contradictionē: ergo ipsa in se continent possibilitatē, quæ in ea non implicatione consistit, & quod divina cognitio ea sine implicatione repræsenter, solum arguit, quod eorum possibilitatem cognoscat. Dato tamen, quod ea cognitio esset possibilitas, esset quidem possibilitas extrinseca; siquidem in prædicato divino cōsisteret extrinseco rei possibili. Ea vero, quæ consisteret in non implicatione prædicatorū esset intrinseca, quā nos designavimus.

3395 Dices tamen, quod sicut conceptus alius dicitur obiectivus, alius formalis, ita & possibilitas: vnde possibilitas obiectiva erit ipsa prædicata creaturæ nō includentia contradictionem; formalis vero repræsentatio divina necessaria non repræsentans in eis prædicatis contradictionem. Prædicta autem obiectiva possibilitas, non datur, sive exercetur, nisi quando actu creatura existit: vnde est possibilitas contingens. Possibilitas vero formalis est possibi-

li-

tas necessaria, & absoluta, & de hac est quæstio, sive intrinseca, sive extrinseca dicatur.

Sed ex iam dictis respondeo possibilitatem obiectivam esse rei ipsi intrinsecam, & ipsam constituere non implicantem, ac proinde possibilem: & hoc equidem necessario, quia, licet ipsa, in ratione entis actu exerciti, & existentis, non detur, nisi quādo res existit, ac proinde contingenter; obiective tamē, & in potentia datur necessario, & semper, quia semper verum est, quod, dum intellectus concipit *animal rationale*, concipiat prædicata, nec includentia, nec inferentia contradictionem. In hoc ergo possibilitas consistit intrinseca, & necessaria, quia, ad eam constituendā, oporteat recurrere ad entitatem aliquā actu existentem. Videatur Peynado *in physica lib. 1. disp. 7. sect. 1.* late cōtra prędictum Ribadeneiram disputans; quamvis enim plura, ex his, quæ affert, nec mihi placeant, nec rem satis explicare videantur; forsan alijs placebunt, & clara videbuntur.

QVÆSTIO III.

Quid sit essentia, & existentia, & an realiter distinguantur.

3396 VIDIMVS Quæst. præcedenti, quid sit entis possibilitas: in hac autem videndum restat, quid essentia, & existentia sit, & qualiter inter se distinguantur. Essentia ergo cuiuslibet rei sunt illa prædicata, quæ prima sunt in re, & sine quibus nec esse, nec intelligi potest. Sic *animal rationale* est hominis essentia, quia hæc prædicata sunt prima, quæ in homine reperiuntur, & sine quibus ipse nec esse, nec cōcipi potest. Existentia autem est actualitas, qua res extra causas constituitur. Notandū tamen, quod ista definitio soli convenit existentiæ creatæ; divina namque nullas habet causas. Quapropter existentia, vt abstrahit à creata, & increata, est forma, aut quasi forma, qua res est actu, seu aliquid reale participialiter, & exercite. An autem essentia, & existentia realiter inter se distinguantur, est quæstio celebris, quæ communius *lib. 1. physic.* disputatur, proprius tamē in præsenti. Procedit autem quæstio de essentia, & existentia creata; nam certum est divinam existentiam ab essentia divina realiter non distingui. Deinde quæstio hæc non procedit de essentia in statu possibilitatis; sed de ipsa iam posita extra causas, seu in rerum natura collocata, inquiritque vtrum distinguatur ab existentia ipsa, per quam existit. Vt bene animadvertit M. Aguirre *Disp. 10. physic. num. 1.*

3397 Pro resolutione dico essentiam actualem ab existentia realiter non distingui. Conclusio ista est contra communem Thomistarum sententiam, quibus adhesit ex Iesuitis vnus, vel alter, & quam

novissime tuentur cursus Complutensis abreviatus *tract. de generat. disp.* 15. *q.* 2 & M. Aguirre *disp.* 10. *cit. sect.* 1. Tenent tamen conclusionem nostram Iesuitæ, & Scotistæ cõmuniter, quos novissime sequitur Peynado *lib.* 1. *physic. disp.* 7. *sect.* 2. Probatur autẽ conclusio nostra primo: contradictorij essentiæ Petri est non essentia, sive carentia essentiæ Petri: ergo per id formaliter datur in rebus, & existit essentia Petri, per quod formaliter, & immediate excluditur talis carentia essentiæ Petri: sed formaliter, & immediate excluditur talis carentia per essentiã Petri: ergo essentia Petri per se ipsam datur in rebus, & existit. Primum antecedens ex terminis est clarum: consequentia ex illo deducta constat; quia defectus formalis vnius contradictorij est existentia alterius contradictorij. Minor vero subsumpta, in qua est difficultas, probatur: per id immediate, & formaliter excluditur non essentia, seu carentia essentiæ Petri, quod ei immediatius formaliter opponitur: sed quod sic opponitur est illius essentia; nam existentia distincta, si gratis admittatur, immediatius opponitur cum non existentia, quam cum non essentia: ergo carentia essentiæ Petri immediate, & formaliter excluditur per essentiam Petri.

3398 Secundo probatur nostra conclusio: essentia actualis cuiuslibet rei est sui ipsius existentia: ergo essentia non distinguitur ab existentia. Probatur antecedens: existentia est illa entitas, per quam res constituitur extra causas, & à non esse, seu à nihilo formaliter extrahitur; sed essentia actualis cuiuslibet rei est id, quo à nihilo, & extra causas extrahitur: ipsa ergo essentia actualis cuiuslibet rei est sui ipsius existentia. Maior est clara, & existentiæ definitio; existentia enim extrahit rem à statu possibilitatis: cum ergo in illo statu res solum in potentia habeat esse, quod absolutè est non esse, & nihil, extrahere rem ab statu possibilitatis ad statum existentiæ erit illam extrahere à non esse ad esse; & cum in statu possibilitatis causæ contineant essentiam in sua virtute, & in statu existentiæ sit ipsa in se proprie, & actualiter, hocque totum habeat ratione existentiæ formaliter; rectè dicitur existentia, qua res transit de non esse, seu de nihilo ad esse, & qua extra suas causas extrahitur. Nunc autem probatur minor: essentia actualis cuiuslibet rei per se ipsam est aliquid actu: ergo per se ipsam est formaliter à non esse, & à nihilo extracta. Consequentia constat; quia per id aliquid extrahitur à nihilo, seu à non esse, per quod est aliquid, aut habet aliquod esse: antecedens autem probatur; quia essentia actualis non distinguitur ab existentia, iuxta adversarios, tanquam nihil, seu ens in potẽtia, ab eo, quod est aliquid, seu ens in actu; sed tanquam aliquid actu; alias nõ deberet dici essentia actualis,

lis, sed potentialis, de qua non est quæstio: aut ergo essentia ponenda est in statu possibilitatis, & ad nihilum redigenda, aut concedendum esse aliquid actu extra causas per se ipsam, & consequenter essentiam actualem per se ipsam existere.

3399 Sed respondebis ex Ortiz essentiam per se ipsam extrahi extra causas, & à nihilo incomplete, & non vltimo; non tamen complete, & vltimo, & hoc præstat illi existentia, & hoc eius munus est. Sed contra est: essentia per se ipsam est extra nihilum, & extra causas complete, & vltimo: ergo nulla solutio. Antecedens probatur: si essentia tantum esset extra nihilū, & extra causas incomplete per se ipsam, vel esset, quia per se ipsam nō esset extra omnes causas, vel quia actualitas essentiæ nō est totalis ratio extractionis à causis: sed neutro contingit modo: ergo dici nequit, quod sit per se ipsam extra causas tantum incomplete, & non vltimo. Maior est clara. Minor, quoad primam partem etiam constat; eo enim ipso, quod res sit actualis, seu actu, est extra omnes causas; nec potest assignari res, quæ sit intra aliquas suas causas, & simul ab alijs extracta: quoad secundam autem partem probatur minor: id est totalis ratio extractionis à causis, quod est totalis rei actualitas: sed essentia per se ipsam est totalis sui actualitas: ergo totalis ratio extractionis sui causis. Minor probatur: essentia per se ipsam constituitur complete actualis: ergo per se ipsa est totalis sui actualitas. Probatur antecedens: si essentia non constitueretur complete actualis per se ipsam, maxime, quia deficeret ei actualitas ab existentia distincta proveniens: sed non deficit talis actualitas: ergo actualis est cōplete, cum nulla ei actualitas deficiat. Minor probatur: talis existentiæ distinctæ actualitatis nulla est necessitas: ergo non datur; cum sine necessitate poni non debeat. Probatur antecedens: si per possibile, vel impossibile actualitati essentiæ deficeret actualitas existentiæ distinctæ, illa existeret, & esset actu, cōpleteque à suis causis distincta: ergo ei existentia distincta non est necessaria; cum ista munera ei tantum possit præstare.

3400 Sed dices contra hoc: quod datur necessitas existentię distinctæ, quia existentia recipitur realiter in essentia, quod contingere non potest, nisi realiter sit ab illa distincta. Sed ex hac responsione, quam latissime prosequitur Ortiz, dupliciter nostram sententiam confirmo; primo, iuxta aduersarios; si existentia datur ab essentia distincta, ea recipitur in essentia: ergo superfluit talis existentia. Probatur consequentia: existentia solum datur, vt essentia per eam existat: sed hoc ipso, quod in essentia recipiatur, essentia non existit per illam: ergo necessaria non est, hoc ipso, quod in essentia recipi debeat. Minor probatur: hoc

ipso, quod recipiatur in essentia existentia illa distincta, essentia pro priori ad existentiam illam existit: ergo non indiget illa, vt existat. Antecedens probatur; quia, eo ipso, quod existentia in essentia recipiatur, essentia est subiectum, & causa materialis illius: sed causa materialis pro priori ad effectum est existens: ergo essentia pro priori ad existentiam illam existit, eo ipso, quod illa in essentia recipiatur: vnde indidem existentia distincta superflua esse convincitur, vnde aduersarijs videbatur necessaria.

3401 Sed quia dicta responsio est fundamentum præcipuũ, & nimis ab Ortiz effosum, iterum ex illa sic nostram confirmo conclusionem. Si existentia reciperetur in essentia, prout recipi dicunt, qui illam ponunt distinctam, maxime, quia alias ipsa existentia esset infinita, & consequenter essentia, quæ iuxta nos est realiter idem cum illa: sed ex eo, quod existentia non recipiatur in essentia, non sequitur infinitas in illa: ergo non est cur in essentia recipiatur. Minor probatur: quamvis existentia in essentia non recipiatur, non erit actus simplex, & purus: cum enim cum essentia identificetur, quando ipsa essentia ex materia, & forma est composita, ex eadem, existentia componetur: cum vero essentia non composita, sed ordinata ad compositionem sit, eundem habebit ordinẽ existentia: ex eo ergo quod in essentia nõ recipiatur, nequaquã, quod actus purus, & simplex sit, sequitur, sed cõpositus, vel ad compositionẽ ordinatus; quod ad vitandam infinitatem sufficiens est.

3402 Sed dices, quod limitatio, seu finitudo rei prouenit à prima compositione, vnde, si ista deficiat, res erit infinita; prima autẽ cõpositio rei est ex essẽtia, & existẽtia, vnde, ista compositione deficiente, res erit infinita. Quod autem prima compositio rei sit ex essentia, & existentia, constat; quia cũ materia, & forma existant per existentiã totius, prius intelligitur totius essentia cũ existentia, quam intelligatur componi ex materia, & forma. Sed cõtra est primo, absurdũ infinitatis, quod Thomistæ cõtra nos obijciũt, debet sequi ex nostra sententia, & iuxta illam; aliàs contra nos nõ erit: ergo male dicunt, quod prima compositio sit essentiæ cum existentia, & quod existat materia, & forma per existentiã totius, cum hoc totũ sit iuxta sua principia loqui, & cõsequẽter in sua sentẽtia absurdũ inferre, nonque in nostra; cũ enim in nostra essentia ab existentia non distinguatur, cõpositio ex essentia, & existẽtia, nec prima, nec vltima, nec media esse potest, cũ non detur: ergo hoc absurdũ infinitatis nequaquam sequitur ex irreceptione, & indistinctione existentiæ ab essentia, sed ex alijs creditu difficilioribus, quæ adstruit Thomistarum sententia: admisso enim, quod ex prima compositione limitatio rei sumi debeat, ea vtique proveniet ex com-

po-

positionē ex materia & forma, tum quia, quamvis si daretur compositio ex essentia, & existentia admitteretur, quod esset prior, tamen illa negata, vt etiā ipsi arguentes contra nos debent negare, vt videant, an ex negatione sequatur absurdum: nequaquam deficiet prima compositio, quia tunc casus compositio ex materia, & forma erit prima; non enim supponet tunc compositionem ex essentia, & existētia; cum ea supponatur non dari. Deinde etiam si vtraque compositio daretur, in quo casu iā argumentū non haberet locum, non est, cur dicenda sit prior, compositio ex essentia, & existentia, quā ex materia, & forma; cum enim essentia rei materialis, sine materia, & forma salvari nequeat, ista erit prima cōpositio, præcipuè, quia in his consistit totius essentia, cumque ista recipere deberet iuxta Thomistas existentiā, iam ad compositionem ex essentia, & existentia, composita essentia præcederet, & consequenter eius ex materia, & forma compositio esset prima.

3403 Ex dictis colliges, quod essentia possibilis ab existētia possibili realiter non distinguatur; si enim essentia, quando existit, existit per seipsam, & non per existentiam distinctam, quando solum potest existere, per idipsum, hoc est per seipsam etiam potens existere dicetur; ipsa enim potentia, quam habet essentia possibilis, reducitur ad actum in statu existentiæ: cum ergo ad actum reducatur potentia ad existendum per essentiam ipsam, & non per aliquid distinctū, ipsam essentiam per seipsam potentiam ad existendum esse est credendum. Præterea idipsum, quod modo existit erat antea possibile: sed modo existit essentia, quę est actualiter existentia sui: ergo antè erat possibilis essentia, quæ possibiliter esset existentia sui. Circa essentiam autem possibilem cum existentia actuali comparatam clarum est distingui, sicut essentia ipsa possibilis ab actuali essentia, cum ista, & actualis existentia sint idem. Qualis autem sit ista distinctio facilè colligitur ex dictis circa rerum possibilitatem: communius ergo, & verius est distingui realiter, non tanquam duas res, sed tanquam aliquid & nihil.

Soluuntur argumenta.

3404 Obijcies primo, plures D. Tho authoritates; sed eas omitto referre, quia plures, & solum pro illarum solutione noto communiter ipsum exponi, aut quod loquatur de distinctione rationis aut, quod nomine existentiæ intelligat subsistētiam, aut, quod loquatur de essentia possibili, & existentia actuali. Nec contra hanc vltimam solutionē facere potest, quod dicat D. Thom. facere vtramque compositionem, atque etiam distingui vt duas res. Primum enim verū esse potest de cōpositione extrinseca, qua ratione essentia actualis fit ex possibili. Secundū verum etiam est, quia quam-

vis

vis distinguantur tanquam aliquid, & nihil; tamen hęc distinctio non est minor ea, quæ versatur inter duas res, & hoc est D. Thomæ intentum. Quod authoritates D. Thomę aliquam ex his explicationibus admittant, etsi videantur difficiles, ex eo credi facilè potest, quod nostræ sententię non minus clarè faveat, vt constabit eius authoritates legenti, quas pro nobis optimè perpendit Alphon. *disp. 7. sect. 6.*

3405 Secundo obijcies ex M. S. Thom. ista prædicatio: *Petrus existit*, est accidentalis: ergo existentia Petri convenit eius essentiæ accidentaliter, & contingenter: sed ita non convenenit essentiæ Petri possibili, quia illi nullo modo convenit: ergo accidentaliter convenit essentiæ actuali Petri: ergo ab eadē realiter distinguitur. Primum antecedens supponitur à prædicto Magistro, & cærera clara sunt; potest autem probari illud antecedēs: quia ista prædicatio: *Petrus existit*, non potest ab ista *Deus existit* differre, nisi quia in vna existentia necessario, & per essentiam convenit; in alia contingenter, & veluti accidēs superadditum: quod etiam constat ex communi modo concipiendi, cū audiuntur istæ prædicationes. Sed istud argumentum instatur in ipsa existentia, quæ suam essentiam, & suam possibilitatem habet, sicut alię res, & consequenter tam accidentaliter dicitur *existentia existit*, sicut *Petrus existit*, *& essentia existentiæ existit*, sicut *essentia Petri existit*; & tamen hoc secundum non convincit apud Adversarios ipsos, quod essentia existentiæ à sua existentia distinguatur: ergo nec primum debet evincere, quod quælibet alia essentia distinguatur à sua existentia.

3406 Deinde ad argumentum respondeo dupliciter: primo negando antecedens; quia essentiæ actuali essentialiter, & necessario convenit existentia actualis, & essentiæ possibili possibilis existentia. Ad probationem autem respondeo hanc prædicationem: *Petrus existit*, & istam, *Deus existit* differre, quia prima potest dici cōtingens in aliquo sensu, in quo non dicatur secūda contingens. Prima enim dici potest contingens, non quia existentia actualis Petri eius essentię actuali contingenter, & accidentaliter conveniat, sed quia tam essentia, quam existentia actualis Petri, quæ apud nos idem sunt, contingenter habent esse, & proveniunt à suis causis; tam autem essentia, quam existentia Dei semper est à se, & necessario, & sic nec in isto sensu potest dici contingens illa prædicatio. Vnde colliges diversimodè Deum existere per suam essentiam, ac creatura, nimirum necessario à se, & semper, creaturam per essentiam ab alio acceptam, contingenter, & in determinato tempore.

3407 Secundo respondeo, vt maiorem vim argumēto concedam, concedendo antecedens, & dicendo, quod hæc prædicatio: *Petrus exi-*

existit (intellige existentia actuali) sit accidentalis prædicabiliter, quod solum intendunt arguentes, deinde concedo consequentiam, & minorem sub ea sumptam, si loquatur de essentia purè possibili, & nego consequentiam inde deductam. Ratio est, quia inter essentiam purè possibilem, & existentem datur medium, videlicet essentia ab vtraque abstrahēs, quæ potest vocari essentia possibilis, sine illo addito *pure*; quia etiam essentia actualis possibilis dicitur, & est; de ea ergo essentia prędicatur existentia actualis accidentaliter, quia, quamvis essentiæ purè possibili essentialiter cōveniat existentia possibilis, & actuali existentia actualis, tamen essentiæ, quæ ab vtraque præscindit existentia actualis accidentaliter convenit, immo & existentia purè possibilis; sicut quamvis animali, quod est in equo, essentialiter conveniat inhibilitas, & animali, quod est in homine, essentialiter conveniat rationalitas; tamen animali, ab vtroque præciso, vtraque convenit accidentaliter, & hæ prædicationes sunt quinti prædicabilis, animal est inhibile, animal est rationale. Vnde cum istæ prædicationes, etsi accidentales sint, non inferant distinctionem realem inter animal, & quamvis eius differentiam, sed maiorem illius vniversalitatem, sic ex eo, quod de essentia, vt possibili, accidentaliter existentia actualis, aut etiam existentia purè possibilis prædicetur, non poterit inferri distinctio, sed maior essentiæ, sic sumptæ vniversalitas.

3408 Tertio obijcies: essentia Petri hodierna est eadem, ac essentia Petri crastina: sed existentia Petri hodierna non est eadem, ac existentia Petri crastina, cum possint istæ separari: si enim moriatur Petrus hodie non habebit existentiam crastinam, cum tamen habeat hodiernam: ergo essentia, & existētia Petri realiter distinguntur. Resp. argumentum supponere non posse idem de essentia verificari, cum tamen eadem facilitate possit, etsi nō sit tam vsitata locutio: Petrus enim, qui hodie vivit, habet essentiam hodiernam: cum tamen si moriatur hoc vespere, non sit habiturus crastinam essentiam. Vnde quidquid de hoc sit, dicimus, quod tam essentia, quam existentia hodierna, & crastina sunt eædem quoad rectum, & intrinsecum, & solum diversæ quoad obliquum, & extrinsecum, quod connotant, videlicet, quoad tempus.

3409 Quarto obijcies: inter essentiam, & existentiam mediat subsistentia realiter ab vtraque distincta: ergo distinguuntur realiter: namque, si sic non distinguerentur, non posset entitas distincta inter vtramque intercedere. Antecedens probatur primo: essentia est primū, quod in qualibet re reperitur, & existentia est vltima actualitas: sed subsistentia nec est primum, quod reperitur in re, nec est vltima actualitas: ergo medium inter vtramque,

quod

quod existentia sit vltima actualitas in quo est argumenti difficultas, est commune effatum Thomistarum, & probatur authoritate D. Thomę, qui 1.p. *quæst.* 50. *art.* 2. *ad* 3. ait: *Substracta materia, & posito quod forma subsistat in natura, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, vt potentiæ ad actum*: ergo secundum D. Thom. existentia est actualitas, ad quam forma post subsistentiam manet in potentia, & consequenter est vltima actualitas. Secundo probatur antecedens supra positum; nam si subsistentia non mediaret inter essentiam, & existentiam, esset posterior natura, quam existentia; sed hoc est falsum: ergo mediat. Minor probatur; quia si subsistentia esset posterior, quam existentia Beatissima V. Maria non esset Mater Dei; cum enim actio terminetur ad existentiam, & ad educendam rem extra suas causas, si existentia antecederet subsistẽtiam, antequam intelligeretur in Christo subsistentia Verbi, actio Sanctissimæ Virginis intelligeretur completa: sicut ergo, si prius tempore producta fuisset humanitas, quam terminaretur subsistentia, non diceretur propriè Mater Dei, sic similiter, si subsistentia sit posterior natura, quam existentia, cum divinam subsistentiam actio illa non attingat, sed ante eam completa intelligatur.

3410 Respondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem respondeo quod existentia est vltima actualitas, non quia adveniat vltimo essentiæ, aut possit subsistentiam, sed quia complete & vltimo constituit rem in actu, & extra causas. Ad authoritatẽ D. Tho. dico, quod forma à materia separata, posito, sive dato, quod propriam habeat subsistentiam, adhuc remanet in potentia ad existẽtiam non propriam, sed totius: quod solum potuit intendere D. Thom. Ad secundam probationem respondeo actionem B. V. Mariæ terminari ad humanitatem simul cum subsistentia, quæ debebat ex illa emanare; cumque in Christo propria fuerit impedita, & subrogata loco illius subsistentia Verbi, actio SS. V. non vt cumque attigit humanitatem, sed concurrit ad eam ponendã sub Verbi subsistentia, qua ratione proprie Mater Dei dici debuit, quin ad hoc necessarium fuerit, quod subsistentia existentiam antecederet, aut inter illam & essentiam mediaret.

3411 Quinto obijcies: nulla creatura potest sibi identificare suũ actuum vivendi, & intelligendi, sicut Deus: ergo nec similiter, ac Deus potest suum actum existendi identificare: non enim est ratio, cur illud arguat infinitatem in genere viventis, & intellectivi, & istud eam non arguat in genere existẽtis, sive entis. Resp. negando consequẽtiam; ratio enim, cur creatura non possit secum identificare actum vivendi, aut intelligendi, est, quia, cum potẽtiæ ad istos actus sint physicæ, essent summe perfectæ, vipotẽ summè cum suis actibus coniunctæ:

actus

actus tamen existendi istam non arguit perfectionem, quia non est actus alicuius potentiæ physicæ, sed metaphysicæ, & obiectivæ, scilicet, potentiæ ad existendum, quæ non est vera potentia, sed admodũ potentiæ concipitur, & ob id dici potest potentia metaphysica, seu logica, & etiam obiectiva, quia est obiectum omnipotentiæ Dei.

3412 Sexto obijcies: prædicata, quæ in aliquo inveniuntur virtualiter distincta, in alio debent realiter distingui. Sic enim, quia in Deo virtualiter intellectio, & volitio distinguntur, in nobis reperiuntur realiter distincte: sed in Deo essentia, & existentia distinguntur virtualiter ergo in aliquo alio realiter distinguentur, videlicet in creatura.

3413 Respondeo permittendo maiorem, & negando minorem; nam neque in Deo, neque in creatura reperitur distinctio adhuc virtualis inter essentiam, & existentiam, sed sunt eadem res etiam virtualiter, solis terminis diversis significata; non enim possum concipere essentiam hominis esse possibilem, quin concipiam hominis existentiam possibilem esse; nec hominis essentiam existere, quin concipiam existere, & actu dari existentiam hominis: idemque est hominem esse actu animal rationale, quod est essentia actualis hominis, ac hominem esse, seu existere, quod est eius actualis existentia, quin huius oppositum aliqua possit vrgenti ratione suaderi

DISPVTATIO SECVNDA.

De attributis entis.

3414 VINQVE Numerantur communiter entis attributa, *res*, videlicet, *verum*, *bonum*, *aliquid*, *vnum*; quia tamen tam *res*, quam *aliquid* sunt cum ente synonima, & consequenter non proprie attributa, de eis nihil Doctores communiter disputant: vnde de tribus solum hæc disputatio instituitur: quia tamen circa vnitatem plures, & graviores sunt difficultates ab ea communiter Doctores hanc disputationem incipiunt: nos idipsum faciemus notantes prius, quod circa vnitatem, & ei oppositam distinctionem disputavimus iam maiori ex parte in Logica; in quibusdam enim vnitatibus, & distinctionibus explicandis totam tertiam disputationem insumpsimus: vt ergo, quæ de ea restant, explicemus adiuvante Deo, Sit,

QVÆS-

QVÆSTIO PRIMA.

De Vnitate.

3415 QVID *Sit vnũ* quisque facilè percipit, difficilè explicat; adeoque difficilè, vt qui magis illud explicant, magis illud cõfundere videantur. Quapropter ego brevitate, qua possim, rem hanc explicabo; tum quia non semper brevitas claritati est opposita; tum quia si fortè res tandem non benè explicetur, minus malum erit; carebit enim prolixitatis malo, bonumque brevitatis habebit, quod ijs temporibus magni solet æstimari: igitur *Vnum* ex D. Thom & Philosopho communiter definitur, *indiuisum in se & diuisum à quolibet alio.* Hanc definitionem *vnius* attigi *disp.* 3. *Logicæ num.* 522. eamque explicavi iuxta mentem Alphonsi ibidem citati ita, vt *indiuisum in se*: non solum actu, sed etiam potentia intelligatur; ita vt sit indivisibile. *In se* autem dixi intelligẽdum, ita vt dividi nequeat in membra, quæ sint idem (intellige adæquate) cum ipso diviso. Vnde Petrus est vnus numerice; quia non potest dividi in plures numero Petros, licet dividi possit in animam & corpus, in pedes, & caput; ista enim membra non sunt adæquate cum Petro identificata. Vel aliter magis iuxta Alphonsi mentem, & verba, dic, non posse dividi in se, hoc est in plura membra eiusdem nominis, & rationis cum ipso; sic decem homines non sunt vnus homo, quia dividi possunt in plures homines, quorum quivis homo est, seu habet naturam humanam eiusdem rationis, ac alius, immo ac omnes simul. Sunt tamen omnes decem homines vnus decenarius hominũ, quia non possunt dividi in plures decenarios. Iuxta hãc autem explicationem supersunt alia, quæ in definitione ponuntur, solumque addi solent ad maiorem explicationem.

3416 Iuxta datam autem explicationem mihi videtur tam perfectam vnitatem habiturum acervũ lapidum, & alia entia per accidens, ac quodlibet ens per se: quia tam perfecte ei conveniet definitio sic explicata, atque enti per se, vt ea perpendenti constabit: quapropter & quia explicatio communis non est, eam in sua probabilitate relinquendo communiorem explicationem dabo, vt ad aliud, in quo maior est difficultas, gradum faciam, illamque perpendam iuxta communiorem explicationem.

3417 Igitur communius *vnius* definitio explicatur ita, vt *indiuisum* sumatur pro eo, quod actu est indivisum, sive sit indivisum potentia, sive non: *in se* autem ponitur non ad denotandum, quod debet esse indivisum in partes eiusdẽ nominis, & rationis, sed ad denotandum, quod intra illud ens, quod dicitur *vnum* non debet dari divisio. Additur autem *& diuisum à quolibet alio*; iuxta aliquos ad ma-

maiorem explicationem: iuxta alios vero tanquam constitutivum vnitatis. Quod autem vnum debeat esse indivisum in se constat facilè, quia vt Petrus sit Petrus (idem est de quolibet alio ente) debet esse sine divisione in se; nam si dividatur in materiam, & formam, iam non erit ens, de quo loquimur, scilicet, *Petrus*; sed duo alia entia vnum, scilicet materia: aliud forma: necessaria ergo omnino est ad vnitatem indivisio in se.

3418 Oviedus autem, qui existimat etiam divisionem ab alio esse de vnius essentia sic id probat: tam necessarium est quod Petrus non sit Ioannes, ac quod non sit in se divisus: sed, quod Petrus non sit Ioannes, aut quodlibet aliud ens, est, quod sit divisus ab alio: ergo divisio ab alio est æquè de conceptu *vnius*, ac indivisio *in se*. Maior, in qua est difficultas, probatur: quia necessarium est omnino, ac non minus, quam indivisio *in se*, vt Petrus sit vnus, quod non sit Petrus, quod modo sunt Petrus, & Ioannes cum Petrus, & Ioannes non vnus, sed duo sint: sed si Petrus (in sensu cõposito loquimur) esset Ioannes, esset, quod modo sunt Petrus, & Ioannes: ergo Petrus, vt sit vnus, nequit esse Ioannes, & consequenter, vt sit vnus necessarium est, quod non sit Ioannes, ac per consequens, quod sit ab illo distinctus ac propter eandem rationem à quolibet alio à se. Vbi nota etiam Oviedum existimare idem esse divisionem ab alio, ac indivisionem à se; vnde vnitatem ait consistere in indivisione in se, & indivisione à se; quod autem idem sit divisio ab alio, & indivisio à se, sic explicat: divisio ab alio est, quod non sit aliud & indivisio à se quod sit ipsum: sed non esse aliud est esse seipsum. ergo divisio ab alio est indivisio à se.

3419 Verius tamen videtur, quod divisio ab alio, sive indivisio à se non sit constitutivum vnitatis, sed aliquid Metaphysica necessitate ad eius constitutivum consequutum; eo enim ipso, quod aliqua res habeat indivisionem in se habet necessaria consequentia divisionem ab alio; in indivisione autem in se salvatur quidquid ad vnitatem necessarium est. Verumtamen est, quod, si non detur divisio ab alio, non dabitur vnitas; eius tamen ratio non est, quia ea sit constitutivum illius, sed quia ex eius negatione ad negationem constitutivi est bona consequentia; quia in bona consequentia valet ex opposito consequentis ad oppositum antecedẽtis: vnde ad fundamentum oppositum constat, responsio: si enim Petrus esset Ioannes aut id potest supponi, supponendo etiam, quod maneret in se indivisus aut hoc secundum non supponendo; si secundo modo, Petrus erit plures quia erit in se divisus, quia eoipso, quod sit Ioannes, in se continet Petrum, & Ioannem, & consequenter divisionem: vnde non erit vnus ex defectu constitutivi à nobis assignati. Si vero primo modo fiat sup-

ſuppoſitio, erit adhuc vnus Petrus; quia erit Petrus, & Ioannes non vt modo ſunt diuiſi, ſed ſine diuiſione.

3420 Maior autem in preſenti difficultas eſt; an indiuiſio, in qua vnitas conſiſtit, ſit aliquid negativum, an vero aliquid poſitivũ; circa quam difficultatem vnus, vel alter exiſtimavit vnitatem eſſe aliquid poſitivum realiter ab entitate diſtinctum. Communiter tamen Doctores eam realem diſtinctionem vnitatis ab entitate negant, ſunt tamen inter ſe diuiſi; alij enim eam diſtinguunt formaliter ex natura rei: alij vero virtualiter; alij ratione tantum; alijque tantum ex modo ſignificandi; ſed adhuc eſt inter eos alia lis, an, videlicet, ea vnitas, quomodocumque diſtinguatur, ſit aliquid poſitivum, an potius negativum. In qua contentione ſunt pro quavis parte plures, & graves Authores ego pro reſolutione.

3421 Dico primo, vnitas non eſt aliquid poſsitivum realiter ab entitate diſtinctum. Probatur concluſio, primo, quia non eſt neceſſitas vlla eius diſtinctionis, diſtinctiones autem, aut entitates non ſunt ſine neceſsitate multiplicandę. Secundo probatur, quia illa vnitas etiam eſt entitas, & tamen non eſt vna per vnitatem diſtinctam: ergo etiam Petri, v.g. entitas poterit eſſe vna, quin contingat per vnitatẽ diſtinctam: minor conſtat, quia alias ſequeretur proceſſus in infinitum. Maior etiam conſtat: quia quã vis in noſtra ſententia reperiri prædicatum poſsit, quod non ſit ens, id eſt, formaliter loquendo, realiter tamen id admitti non poteſt. Quod ſequeretur in ſententia, quã impugnamus, ſi maior non eſſet vera.

3422 Reſpondebis tamen primo, quod, ſicut materia, & forma vniuntur per vnionem diſtinctam, quin tamen vnio per vnionem diſtinctam vniatur, ſic contingere poterit in vnitate. Contra tamen eſt, quia ea ratione materia, & forma vniuntur per vnionem diſtinctam, & non ipſa vnio, quia materia, & forma ſunt indifferentes, vt inter ſe vniantur; vnio vero non eſt ita indifferens, ſed determinata; ſed entitas Petri nõ eſt magis indifferens, vt ſit vna, quam ipſa vnitas Petri: ergo non magis indigebit aliquo diſtincto vt vna fiat, quam ipſa vnitas. Secundo reſpondebis vnitatem non eſſe vnam, vt *quod* ſed ſolum vt *quo*. Contra tamen eſt, quia eadem ratio eſſe debet de multitudine, ac de vnitate, ſed multitudo non ſolum eſt multiplex vt *quo*, ſed etiã vt *quod*, quia poſſunt dari plures multitudines: ergo etiam vnitas non ſolum poterit eſſe vna vt *quo*, ſed etiam vt *quod*.

3423 Dico ſecundo vnitas formaliter diſtinguitur ab entitate. Probatur concluſio primo, quia ſic benè intelligitur, quomodo ſit entis attributum potius, quam *res* & *aliquid*, quod communiter ſupponitur. Secundo probatur, quia de vnitate, & entitate verificantur præ-

prædicata contradictoria: ergo distinguuntur formaliter: antecedens probo: quia entitas Angeli infimi dissimilis est, sive inæqualis entitati Angeli superioris, aut supremi; cum tamen vtriusque vnitas non sit dissimilis, aut inæqualis; cum non magis vnus Angelus sit in se indivisus, quam alius: nota tamen nos per distinctionem formalem intelligere distinctionem virtualem intrinsecam consequenter ad principia tradita in Logica magna *disputat. 3. quæst. 9.* & sequentibus; si vero iuxta aliorum principia loquendum sit, formalem ex natura rei, aut formalem per rationem intelligemus.

3424 Dico tertio, vnitas consistit in negatione divisionis. Conclusio ista est clara ex ipsa vnitatis, aut vnius definitione. Est tamen adhuc difficultas, an ea negatio sit quid positivum per modum negativi explicatum; an vero absolutè quid negativum sit. Respondeo ergo, & dico quarto, negationem divisionis, in qua consistit vnitas, esse quid positivum: probant communiter hoc DD. quia negatio divisionis consistit in ipsa entitate; cum ergo entitas sit aliquid positivum, similiter ea negatio. Sed Lynceus facilè respondet negationem divisionis identificari cum entitate realiter, distingui tamen virtualiter ab illa, vnde, vt virtualiter ab illa distincta, est negatio: sed contra est: quia ista divisionis negatio, etiamsi virtualiter distincta ab entitate positiva, est negationi in qua consistit divisio, cõtradictorie opposita: ergo est aliquid positivũ probo consequentiã: quia sicut nullũ positivũ potest alteri positivo contradictorie opponi sic nec videtur opponi posse contradictorie vnum negativum alteri negativo. Cum autem vnum, positivum possit ab alio positivo virtualiter distingui, non benè Lynceus ex eo, quod negatio divisionis ab ente positivo virtualiter distinguatur, eam negationem quid negativum esse non tam infert, quam inferri supponit; oppositum enim ob rationem factam multo verius est.

3425 Dices tamen divisionem non esse negationem; sed quid positivum: ergo negatio divisionis erit negativum. Antecedens probabis: quia divisio consistit in multitudine entitatum, sive vnitatum. Hoc argumentum latius vide in Oviedo *in præsenti controversia 3. puncto 1. §. 5. à numero 36. vsque ad 43.* Respondeo breviter negando antecedens: ad cuius probationem nego divisionem consistere in multiplici vnitate, sive entitate, manus enim Petri, pedes, caput, & alia membra multæ entitates sunt; & tamen vnum ens, quod est Petrus componunt, solumque, quod non sint plura entia consistit in eo, quod non sint divisa: vnde in carentia divisionis vnitas consistit, & non in carentia multarum entitatum; eo enim ipso, quod divisio non detur illæ

multæ entitates, vt partiales se habent, vnamque totalem componunt.

QVÆSTIO SECVNDA.

De identitate.

3426 DIXIMVS Iam de vnitate plura, dicendum est modo aliquid de identitate; identitas namque est quædam vnitas perfectissima, & metaphysica: vnde differt ab vnitate veluti homo ab animali, hoc est: vt inferius à superiori: vnde omnis identitas est vnitas, non tamen omnis vnitas identitas. Difficultas maior est in præsenti, quomodo identitas sit definienda. Igitur Lynceus *in Metaph. lib. 2. tract. 2. cap. 2.* ait identitatem consistere in carentia distinctionis, etsi ab eo inquiras, quid sit distinctio, ait distinctionem consistere in eo, quod vnū non sit aliud. Quia tamen posset aliquis dicere similiter distinctionem consistere in carentia identitatis, immo hoc dicunt communiter RR. apud Carleton *disp. 19. Logicæ sect. 1. n. 4.* propterea facilius dici potest distinctionem consistere in eo, quod vnum non sit aliud identitatem vero in eo, quod vnum sit aliud. Vnde homo, & equus realiter distinguuntur; quia homo non est equus: homo vero cum animali identificatur, quia homo est animal: sic ergo clarius, & sine circulo, tam identitas, quam distinctio definiuntur, nec ita facilè impugnatur, ac si vnum definiatur per alterius carentiam: sicut autem Lynceus ait nō esse necessarium explicare quid sit vnum non esse aliud quia ipsis terminis est notum; sic etiam necessarium non erit explicare, quid sit vnū esse aliud; quia non minus ex terminis notum est.

3427 Cum autem identitas quędam sit vnitas, etiam ab entitate formaliter distinguitur, & in positivo cōsistit sicut ipsa. Primū constat; quia entitas generis, & differentiæ Angeli, & entitas generis, & differentiæ hominis sunt inæquales, sive dissimiles; cum tamen vtriusque identitas sit similis, & æqualis: quod etiam in distinctione suadet. Secundum autem etiā constat, tum ex eo, quod identitas sit vnitas: tum etiam, quia tam identitas, quam distinctio opponūtur privative, sive contradictorie, & vtraque ab entitate virtualiter distinguitur: ergo altera earum debet esse negativa, altera positiva; quisque autem videt, quod *non esse hoc* potiori iure est quid negativum, quam *esse hoc*.

3428 Hic omitto impugnare varias identitatis definitiones, quas alij Doctores tradunt, quia & statim minus verisimiles apparent, & eas latè vsque ad octo Lynceus impugnat satis *tract. cit. cap. 1.* Nota tamē iuxta nostras definitiones identitatis, ac distinctionis, necessarium nō esse, vt vna entitas distinguatur ab alia, quod ea, à qua distinguitur existat, quia, quin illa existat, verificatur distinctionis definitio. Verè enim

enim dicitur: *Nicolaus nõ est Anti-Christus*, quamvis modo Anti-Christus non existat. Hanc autẽ doctrinã communiter veram esse concipiunt omnes; eam tamen negant aliqui Theologi se aliquid subtiliter cogitasse existimantes, vt per doctrinã opositam incredibilẽ aliqua difficilia defendant. Ipsi autem reijciendi sunt Primo, vt dicebã ex nostra distinctionis definitione. Secũda, quia quisque omnino certũ existimat, saltim ex suppositione, quod sit falsum, quod *Nicolaus est Anti-Christus* quod sit verum, quod ab Anti Christo distinguitur, adhuc modo dum Anti-Christus non est. Tertio, quia iuxta Thomistarũ doctrinam ad veritatem propositionis negativæ non requiritur suppositio extremorum hoc est, quod extrema existant: quæ doctrina, & si quantũ attinet ad modum, & ad explicationẽ suppositionis, reijciatur ab alijs; quantum tamen de re continet est communiter recepta, vt constabit recolenti nostras Summulas.

QVÆSTIO III.

De radice vnitatis numericæ.

3429 DE Vnitate vniversali plura egimus *disp. 3. Logic.* immo etiam aliqua de vnitate numerica, & singulari: circa hanc autem restat modo investigare à quo desumatur, seu in quo radicetur. Circa quod cõmunis sententia Thomistarum asserit individuationẽm desumi à materia signata quantitate, & consequenter etiam accidẽtia à subiecto, quod est eorum materia individuari: ex qua doctrina colligunt. Primo duo accidentia solo numero diversa nõ posse in eodẽ reperiri subiecto: præterea colligunt non posse adhuc de potẽtia Dei absoluta dari duos Angelos eiusdem speciei, ac solo numero diversos. Notandũ tauen est. Primo, circa sententiã hanc verisimilius esse, quod eius DD. non intendant individuari formaliter formas substãtiales à materia, & accidentia à subiecto; sed solũ, quod ab eis individuationẽ desumãt, hoc est quod eorũ individuatio in subiecto, aut materia radicetur. Secundo, notandũ est aliquos ex DD. huius sententiæ per materiã signatam quantitate intelligere quantitate affectã, quorũ aliqui addunt eam non solũ esse debere quantitatẽ matematicam sed etiã physicã, hoc est, accidentibus sensibilibus affectam: alij vero per materiam signatam quantitate non intelligunt illam quantitate affectam, sed solum quod aliquem modum habeat per quem determinatam postulet quantitatem.

3430 Deinde alij cum Vazq. *tom 1. in 3. p. disp. 64. c. 8* existimant quod, quamvis quævis res per suam essentiam sit formaliter individua, & vna numero, tamen, quod ista potius numero, quam alia producatur, dum applicatur causa, provenit à natura causæ, adiunctis circunstantijs loci, & tem-

poris. Communis tamen Iesuitarum sententia tenet, nec à materia, nec à subiecto formas, sive substantiales, sive accidentales individuari; immo nec in eis radicari earum individuationem, aut ab eis determinari, nec etiam ab ipsa causa adhuc adiunctis temporis, & loci circunstantijs. Tertia & vltima sententia verior est, quę, vt talis habeatur, non indiget alio nisi impugnatione aliarum atque argumentorum solutione.

3431 Sententia ergo Thomistarum impugnatur primo: quia materia individuatur à seipsa: ergo & forma. Cur enim materia potius suæ individuationis radix erit, quã forma? Antecedens probatur: quia, cum materia sit primum subiectum non habet aliam materiam, aut aliud subiectum, à quo individuetur. Si dicas materiam individuari à quantitate. Contra est: quia quantitas individuatur à materia, saltim partialiter, cum sit eius subiectum partiale: iuxta Aduersarios: ergo materia, & quantitas mutuo causabunt individuationes suas: quod præsertim in præsenti repugnat; quia id, quod alterius individuationem radicat, debet individuatum supponi.

3432 Secundo impugnatur eadem sententia: quia omisso, quod non dentur, aut dari possint Angeli solo numero diversi de quo Thologi, possunt tamen dari in eodem Angelo cognitiones, & alia accidentia solo numero diversa: si enim hodie moueatur Angelus per idem numero spacium, ac heri, cur motus, & vbicationes non erunt numero tantum, & nequaquam specie diversæ, etsi cognoscat eandem rem, ac heri cognouit, cur cognitio plusquam numero differre poterit? sed subiectum talium accidentium, Angelus, videlicet, est idem numero heri, & hodie: ergo accidentia non individuantur à subiecto.

3433 Tertio impugnatur, quia anima rationalis non individuatur à materia, aut subiecto: ergo falsum est, quod omnis individuatio à materia desumatur: antecedens constat, cum in statu separationis non sit materia, & tamen sint in illo animæ numero solo diversæ. Dices animas in statu separationis individuari per respectum ipsum ad diversam materiam. Contra tamen est: quod animabus in statu separationis est essentialis individuatio determinata; sed non est essentialis respectus ad determinatam materiam: ergo ab eo respectu non individuantur. Minor in qua sola potest esse difficultas, videtur esse sine difficultate; cur enim anima Diui Petri non poterit de potentia absoluta Dei informare aliam materiam ab ea, quam habuit? Curque ad eam essentialiter erit determinata? Certè hoc incredibile est omnino, præsertim, cũ certum, sit, quod ipsa anima, dum fuit materiæ vnita, de facto diversas materias informauit, si non

ex

ex toto maiori saltim ex parte; cum enim mortuus fuit ferè omnino, vel saltim multo maiori ex parte diversam materiam habebat, atque quando est natus, aut conceptus.

3434 Deinde P. Vazquij sententia impugnatur: quia res quę in vno loco & tempore producitur potuit eadem numero produci in alio; ergo à loco, & tempore non determinatur eius individuatio: antecedens probatur primo, quia calor A, exempli gratia: est indifferens, vt sit in hoc loco, & tempore, vel in alio; ergo productus in hoc potuit divisive in alio produci. Consequentia videtur bona: antecedēs autem probatur: quia calor A, non est per seipsum in loco, & tempore, sed aut per modum distinctum durationis, & vbicationis, aut per coexistentiam, ad tempus, & locum, ergo est indifferens ad diversa tempora, & loca: patet consequentia; quia si non esset indifferens ad diversa tempora, & loca, nullo distincto indigeret, vt esset in illis. Secundo probatur primum antecedens: quia idem numero calor, qui productus fuit in principio vnius horæ, potuit produci in fine illius: ergo res, quæ in vno tempore producta fuit, potuit produci in alio. Antecedens probatur: calor, qui in principio vnius horæ productus fuit, potuit conservari vsque ad illius finem: ergo & primo produci in fine illius: probatur ista consequentia, quia conservatio, quæ existit in fine, si non præcisisset productus calor in reliquo horæ, esset prima productio; sed eodem modo esset, sive esse posset illa actio, si non præcisisset productio pro reliquo horæ; ergo potuit divisive esse prima productio; ac proinde effectus productus in principio horæ potuit divisive in fine illius produci.

Soluuntur argumenta.

3435 Obijcies tamen pro sententia Thomistarum primo: principium multiplicationis numericę est principium individuationis; sed materia est principium multiplicationis numericæ: ergo est principiū individuationis: minor, in qua est difficultas, traditur ab Aristotele, & D. Thoma multis in locis. Secundo obijcies: individuum est incommunicabile; sed materia potius, quam forma, incommunicabilis est: ergo à materia sumitur individuatio. Tertio obijcies; individuum est primum subiectum in coordinatione metaphysica: ergo debet sumi individuatio à materia, quæ est primum subiectum physicum.

3436 Respondeo ad primum argumentum, negando minorem ad cuius probationē in primis momenti non est Aristotelis authoritas, qui circa Angelos non benè philosophatus est, & consequenter ab ipsis non benè generalem doctrinam deducere potuit. Circa D. Thom. autē, quod attinet ad locutiones, quas

habet circa Angelos, & an sint, aut possint esse plures in vna specie, id comperiri non debet modo, sed in materia de Angelis; quod vero attinet ad alias locutiones explicandus est modo dicto à nobis *in libris de generatione disput. 1. q. 13. num. 2527.* Ad secundum respondeo primo negando minorem; quia tam communicabilis est materia formæ, quam forma materiæ. Secundo respondeo omissa maiori, & minori, negando consequentiam; quia incõmunicabilitas, quam habet individuum, diversæ omnino rationis est ab ea, quam habet materia, potius, quam forma; individuum enim non communicatur alteri, quia non potest de illo prædicari, aut esse illud; materia autem est incommunicabilis, si fortè est potius, quam forma, quia formæ alteri non potest supervenire, quia nulli communicatur, vt subiecto. Ad tertium argumentum respondeo negando consequentiam, quę potius petit probationem, quam disparitatem.

3437 Pro sententia autem P. Vazquij obijcies primo: si causa creata simul cum circustantijs loci, & temporis non se determinaret ad individuationem, esset indifferens ad plures numero effectus, immo ad infinitos; quod dici nequit cum finitam virtutem habeat. Secundo, si se non determinaret simul cum circunstantijs, æquè esset indifferens ad effectum numquam productum, atque ad productum, & destructum, & consequenter naturaliter posset istum producere, quod est rem posse reproducere naturaliter. Tertio, quia, si causa non determinatur à se, & à circunstantijs, non est à quo determinetur, si enim dicas, quod à Deo, iam Deus erit causa, quod fiat hoc numero peccatum.

3438 Ad primum & tertium ex his argumentis responsionem exhibuimus *disp. 2. physic. q. 15. à n. 1843.* vsque ad *1846.* quapropter tantum ad secundum restat responsio. Respondeo ergo ad illud concedendo causam naturalem æquè, quantum est de se indifferentem esse ad reproducendum effectum iam corruptum, atque ad producendum alium numquam productum. Vnde reproductio tantummodo naturaliter contingere nequit ex eo, quod Deus perpetua quasi lege decreverit numquam determinare causas ad productionem effectuũ iam aliquando productorum; licet autem hoc non petant particulares causæ; id petit commune vniversi bonum, & bonus illius ordo. Quamvis autem non desint qui reproductionem impossibilem asserant naturali impotentia orta ab ipsis causis, immo etiam, qui asserant etiam divinitus impossibilem esse, id nulla efficaci ratione probare possunt; cur enim hic ignis, qui potest producere ignem B, hodie, non possit etiam disiunctive producere ignem A, quem heri produxit, & iam corruptus est; cum non

non habeat modo minorem virtutem, nec minorem applicationem? Si dicas esse conditionem ad producendum effectum, quod non fuerit antea productus. Contra: quia, cum non appareat quanam ratione ea conditio iuvet, aut eius defectus noceat nisi recurrendo ad divinam determinationem, ad eam redeundum est, & illi tribuenda naturalis impossibilitas reproductionis, nec aliud convincitur ex ratione, quam præbet Lynceus *lib. 2. physic. tract. 4. cap. 4. n. 46.*

3439 Sed dices ex eodem Lynceo: ex naturis rerum oritur, quod vna res non possit transire de vno loco in alium distinctum, non transeundo per medium; ergo ex eisdem rerum naturis orietur, quod non possit transire de tempore ad tempus, non transeundo per tempus inter vtrumque medium; sed hoc contingeret in reproductione; ergo eius impossibilitas oritur ex naturis rerum. Respondeo antecedens esse verum, si transitus fieri debeat modo ordinario; quia iste fit per motum, per quem necessario prius percurri debent partes spacij propinquiores, quam remotiores. Cum autem in casu reproductionis, sine motus interventione, ille transitus fieret per hoc, quod res semel destructa alio in tempore produceretur, id evenire posset, nisi obstaret divina determinatio, propter dicta numero præcedenti. In eo autem casu, si reproductio fieret in loco distanti, iam etiam transiret de vno loco in alium, non transeundo per medium, propterea que dixi antecedens esse verum, si fiat transitus modo ordinario.

QVÆSTIO IV.

De entis Veritate.

3440 DE Veritate formali egimus *disput. 1. Logicæ* parvo modo agendum est de veritate transcendentali, quæ attributum, sive passio entis dicitur. In hac ergo acceptione veritas multipliciter à Doctoribus explicatur. Dicunt ergo aliqui veritatem entis consistere in eo, quod ens ab omni non ipso distinguatur; idipsum intendunt aliqui, qui dicunt veritatem consistere in eo, quod ens distinguatur ab eo, quod est apparenter tale, & non verè tale; sicut aurum verum dicitur, quod ab auri calco distinguitur eo, quod non tantum apparenter, sed etiam verè sit aurum. Alij vero dicunt veritatem entis consistere, in eius cognoscibilitate, qua capax est, vt per cognitionem veram cognoscatur. Aliæ acceptiones veritatis aut non sunt ita verisimiles, aut ad aliquam ex istis accedunt, vt ergo his explicationes cum Lynceo conciliem.

3441 Sentio duplicem reperiri in ente veritatem aliam physicam, intentionalem aliam. Veritas ergo physica est, qua quævis res à non ipsa distinguitur. Con-

stat conclusio ista; quia eoipso, quod aurum (idem est de quacumque alia re) distinguatur ab omni non auro, verum aurum iudicatur: ergo dicta distinctio est veritas. Quod autem dicunt alij veritatem consistere in eo, quod distinguatur ab eo, quod est apparenter tale, forsitan dicitur, non quia veritas ab omni non tali non distinguat, sed quia, cum difficilius res quævis distinguatur ab ea, quæ apparenter est talis, per id melius videtur explicari: re tamen vera ab omni non tali ens per veritatem distinguitur; nam si aurum à terra, quæ non est apparenter aurum non distingueretur, non magis esset verum aurum, quam si non distingueretur ab auricalco; in sensu autem explicato benè etiam percipitur, quomodo veritas transcēdat omne ens, quia nullum est ens, quod ab omni non ipso non distinguatur. Etsi dicas eam distinctionem præstari ab vnitate. Contra est, quia vidimus iam quod vnitas non consistat in distinctione seu divisione ab alio, sed solum in indistinctione, in se, quod autem inde sequatur distinctio ab alio, vt fatebamur, tantum arguit, quod veritas sit attributum, quod ad vnitatem consequitur, quod libenter fatemur.

3442 Veritas autem intentionalis est cognoscibilitas, qua ens verè cognosci potest. Veritatem in hoc sensu omni enti competere constat; quia nullum datur, quod non sit cognoscibile, vt est, & consequenter per veram cognitionem; quod autem illa cognoscibilitas iure veritas dicatur, etiam constat: quia obiectum, quod benè à voluntate amari potest, bonum dicitur; ergo similiter obiectum quod verè ab intellectu cognosci potest, verum dici debet, & consequenter ea cognoscibilitas veritas.

3443 Lynceus autem hucusque nobiscum sentiens addit modo, veritatem istam intentionalem duplicem esse; aliam adæquatè enti intrinsecam; aliam ei partim intrinsecam, partimque extrinsecam; quia consistit partim in cognitione possibili, à qua ipsum est, ac denominatur cognoscibile; istam autem cognoscibilitatem ait posse optimè dici passionē entis; quia ad id sufficit, quod sit intrinseca partim, quāvis adæquate intrinseca non sit.

3444 Fateor ego, quod sicut ens possibile, & dicitur tale extrinsece per potentiam eius productricem, & intrinsece per suam intrinsecam non repugnantiam; hoc etiam duplici modo ens sit cognoscibile: tamē, sicut vtraque possibilitas vnā possibilitatem absolutè, & simpliciter talem componit; sic vtraque cognoscibilitas vnam perfectè constituit cognoscibilitatem absolutè denominantem cognoscibile: altera tamen sola semper cum aliqua limitatione, vt de dicta denominatione *possibilis* dicebamus: prima autem cognoscibilitas intrinseca, scilicet, qua ens cognoscibile, quantū est de se denominantur, verè est veritas entis

entis; & quia omni enti competit, & propter relationem numero præcedenti potiam Veritas abtè, quæ cõsistit in sola cognitionis possibilitate, est omnino extrinseca, & cõsequenter nec ab ipso Lynceo passio entis dicitur. Vnde ab ipso secunda veritas dicitur cõsistere in cognoscibilitate partim intrinseca, partimque extrinseca. Sed inquiro à Lynceo: ea cognoscibilitas partim intrinseca, & partim extrinseca, aut distinguitur à coniuncto cognoscibilitatis omnino intrinsecæ, & cognoscibilitatis extrinsecæ omnino, aut non? si distinguitur certe non intelligo in quonam consistere possit; si non distinguitur, aut illud cõiunctum est veritas, & entis passio propter partem extrinsecam, quam continet, aut propter intrinsecam? si propter illam, dicatur illa veritas intentionalis, quod non audet. Si propter istam vltimam: ergo secunda intentionalis veritas non est alia à prima, & consequenter frustra duplex distinguitur. Vnde dicendum est totam veritatem intentionalem, quæ entis passio, seu attributum est, consistere in cognoscibilitate intrinseca, qua, quantum est de se, ens est cognoscibile; eique solum perfectionem extrinsecam accedere per hoc, quod ad datur extrinseca cognoscibilitas. Hæc & alia, quæ circa hanc materiam possunt occurrere, penetrabis optime, si attente recolas, quæ de possibilitate diximus supra *disput. 1. huius tractatus quæst. 2.* & quæ de connexione essentiali, & relatione transcendentali dicemus infra *disput. 6. à q. 4. vsque ad 6.*

QVÆSTIO V.

De entis bonitate.

3445 SICVT Veritas quæstione præcedenti ita à nobis est explicata, vt alia sit physica, alia intentionalis, & vtraque sit entis attributum, sic in præsenti est bonitas explicanda: bonitas ergo physica idem est, ac perfectio; perfectio autem sumitur pro carentia defectus: vnde bonum & perfectum dicitur, cui nihil deest. Carẽtia autem defectus, aut potest esse in omni genere, qualiter soli Deo cõperit, qui summe est perfectus; vel potest esse in aliquo genere, & sic convenit cuicumq; enti: quia quodlibet in eo genere, in quo est, est perfectum: forma namque substantialis, & si careat perfectione materiæ & aliquid ei deficiat, vt sit totum; tamen nihil ei deficit, vt sit forma substantialis, & sic in hoc genere est perfecta; & bonitatem habet, & similiter in alijs entibus discurri potest, ita, vt in quovis bonitas & perfectio inveniri possint.

3446 Bonitas intentionalis idẽ est, ac appetibilitas, seu amabilitas, hoc est capacitas, vt à volũtate ametur. Vnde ab Aristotele dicitur bonum, quod omnia appetunt, eique etiam consonat D. Thomas. Hæc autem bonitas intentionalis eo-

eodem modo est explicanda, ac supra est à nobis explicata intentionalis veritas. Quod autem vtraque acceptio tam bonitatis, quam veritatis à nobis explicata sit retinenda, constat; non solum, quia vtraque est rationi consentenea, sed etiam quia Doctores, & Sancti PP. modo iuxta vnam, modo iuxta aliam earum acceptionum de bonitate, & veritate loquuntur; non tantum diversi Doctores, sed etiam ijdem: præsertim D. Augustinus, & D. Thomas: quapropter vterque modus explicandi bonitatem, & veritatem tenendus est, vt probabilis non solum in sensu diviso alterius, sed etiam in sensu composito; quia, quod vno ex dictis modis ens sit verum, & bonũ, non tollit, quod sit verũ, & bonum alio etiam modo, sive in alio sensu.

3447 Dices tamen: ideo aliquid est amabile, quia est bonũ: ergo bonitas non est amabilitas, sed aliquid prius ipsa. Respondeo tamẽ causalem antecedentis in sensu causali esse falsam, & solum communiter admissam, quia non sumitur in eo rigore, veluti ista: ideo Petrus est animal rationale, quia est homo: aut si velis eam propositionem aliquem sensum causalem habere: dic aliquid esse amabile, quia est bonum physice: Vnde solum inferri poterit, quod bonitas intentionalis, quæ in amabilitate consistit, virtualiter oriatur à bonitate physica: quomodo autem bonum aliud sit absolutum, aliud respectivum, & vtrumque obiectum voluntatis constat ex dictis *disput. 3. de anima.*

3447 Adverte tamẽ primo, quod malum non est entis attributum, quia non convenit omni enti: Deus enim nullo modo est malus: quod enim peccatori sit severus, tantum est, quod illi sit apparenter malus, re tamen vera, etiam dum punit peccatorem, est summe bonus; tum physice; quia hoc etiam est perfectio Dei, & nullus in eo propterea potest apparere defectus; tum intentionaliter, quia bonitas intentionalis est amabilitas, qua aliquid, quantum est de se, est amabile, & Deus, quantum est de se, etiam in vindicta, quam de peccatoribus sumit est amabilis summe. Secundo adverte, quod quamvis omne ens possit falso cognosci, ista cognoscibilitas quæ falsitas dici potest, non est entis attributum, quia ens, quãtum est de se non inclinat ad cognitionem falsam, sed eam terminat, ex imperfectione potẽtiæ: ad cognitionẽ autem veram, quantum est de se, inclinat, & eam appetit innate, & per se illi convenit vere cognosci; per accidens vero cognosci falso. Denique adverte Doctores communiter in præsenti loqui de attributis entis realis, & proprij, eadem tamen attributa possunt applicari entibus rationis, & improprijs: ita tamen, vt eo modo, & impropriẽtate, qua sunt entia; entis attributa participent.

(?)

DIS-

DISPVTATIO TERTIA.

De divisionibus entis, & de prædicamento substantiæ.

3448 PERACTA disputatione prima de ente secundum se, & eius diversis statibus, & secunda de eiusdem attributis; in hac tertia iam sequitur de entis divisionibus agere: & quia celebris est ea, quam in Logica magna tradidimus *disput. 7. quæst. 1.* quæ ipsum dividit in decem prædicamenta, quamvis illam in præsenti tradere non oporteat; oportet tamen commemorare illam; quia, & si ibi de singulis prædicamentis egerimus, quantum oportebat, vt coordinari possent, ad prædicabilia magis penetranda; *quæstione tamen 3. num.* 1074. ex prædicamentis, quæ exactius tractari postulabant, quatuor ad Physicam remisimus, & quatuor alia in hunc locum reservavimus. Vt ergo non minus hic, quam in physica, promissis stemus, quatuor illa prædicamenta opportet examinare. Ea propter in hac disputatione, commemoratis entis divisionibus, de primo prædicamento agemus, quod est substantia quæstiones aliquas de subsistentia subiungentes: tum propter doctrinæ connexionem, tum quia de ea etiam in præsenti recolenda fidem dedimus ad finem primi libri Physicorum, vbi à nonnullis de ea tractari soler, Sit igitur.

QVÆSTIO PRIMA.

Diuisiones entis percurruntur: & quid sit substantia examinatur.

3402 CVM Hic metaphysicus tractatus supponat philosophycos præcedentes, quæ in ipsis tractata manent, hic peragenda non sunt, sicut peragi deberent, si tractatum metaphysicum vnicè præberemus. Vnde circa singulas entis divisiones, circa quas multum immorari possemus, si hunc tractatum solum modo daremus, parum, aut nihil immorari indigemus; cum sat, superque sit indicare tractatus præcedentes, in quibus labor iste præoccupatus est. Ens igitur dividi potest primo in infinitum, & finitum; Secundo in increatum, & creatum, seu in Deum, & creaturas. De secun-

cunda istarum divisionum egimus *in Logica magna disp. 6.* Prima autem, si infinitum accipiat pro eo, quod tale est absolute, & in omni genere, non differt à secunda. Quatenus tamen accipi potest aliter, quidquid ad eam, & ad talis infiniti acceptiones pertinere iudicavimus, dedimus *in phys. disp. 3.* Tertio dividi potest ens in reale, & rationis, cuius divisionis intelligentia *ex 2. Logicæ disputatione* petenda est; vbi de ente rationis, quantum ad Logicum, & metaphysicum pertinere potest, satis peregimus, ampliusque eadem divisio innotescet ex dictis in eodem tractatu *citata disp. 6.* Quarto tandem dividi potest ens in decem prædicamenta: & quidem dupliciter. Primo illud in ea decem Prædicamenta immediate dividendo. Secundo illud dividendo prius in substantiam, & accidens, & deinde accidens ipsum in novem accidentis prædicamenta. Hæc autem divisio etiam innotescit satis vtroque modo tradita ex dictis *in eadem Logica magna disp. 6. & 7.* nihil enim ad eius divisionis intelligentiam ibi dictis superaddere oportet, nisi exactius naturam examinare illorum prædicamentorum, quæ maiori indigent explicatione, & nec tunc, nec in alio ex tractatibus præcedentibus manent explicata. Ista autē sunt quatuor commemorata *disp. 7. cit. num.* 1074. substantia, videlicet, quantitas, qualitas, & relatio, quibus explicandis hæc, & tres sequentes disputationes destinantur. Iam ergo, vt ad substantiam explicandam accedamus.

3450 Communissima sententia tam antiquorum, quam Neothericorum substantiā definit, quod sit *ens per se*, in eoque putat ab accidenti differre; quia accidens est *ens in alio.* Quid autem sit esse *ens per se, & in alio esse*, non ita concordes explicant DD. Hanc enim rē difficilē reddidere Neotherici, dum quilibet eorum, reliquis vijs, quas ab alijs tritas invenit, impugnatis, novam aggreditur. Et quidem omnes adeò sunt difficiles, vt si noviorem aliā, in qua animus meus quiesceret, invenirem, omnes inventas relinquere non timerem. Breviter ergo, quæ celebriores sunt, examinabo, &, quid iudicem verius, patefaciam.

3451 Communis sententia Thomistarum, quibus adhæsit Suarez *disp. 35. metaph. sect. 2.* tenet substantiam esse per se, consistere in eo, quod milli subiecto inhæreat; accidens vero esse in alio, in eo, quod alicui subiecto inhæreat. Contra hanc tamen sententiam plura obijcit Lynceus *lib. 3. metaph. cap. 1. n. 1. & 2.* Difficilius omnibus hoc est: formæ materiales substantiales veræ inhærent alicui subiecto, materiæ, scilicet: ergo iam aliqua substantia subiecto potit inhærere, & consequenter non in eo ab accidenti differt, quod nulli subiecto inhæreat. Antecedens probatur quia formæ substantiales materiales educuntur de potentia materiæ

tiæ, non minus, quam forma accidentalis de potentia sui subiecti, ac præterea à materia dependent ita, vt sine illa nequeant esse, aut conservari naturaliter: ergo inhærent illi; accidens enim nihil aliud habet, ratione cuius subiecto inhærere dicatur.

3452 Respondebis, alijs omissis responsionibus, quas optime impugnat Lynceus *cap. 1. cit.* quod, quamvis tam formæ materiales substantiales, quã accidentia dependeant à subiecto; accidentia dicuntur inhærere; formæ vero substantiales adhærere solum; non tamen inhærere. Ratio autem disparitatis est, quia formæ substantiales dependent à materia, cum qua constituunt vnum per se; accidentia vero dependent à subiecto, cum quo constituunt vnum per accidens. Sed inquiro, cur forma materialis cum materia, à qua dependet, constituit vnum per se; accidens vero cũ subiecto, à quo simili modo dependet, vnum per accidens? Respondebis: quia forma substantialis est substãtia; accidens vero substantia non est. Tunc sic argumentor: ergo forma materialis ideo nõ inhæret, quia est substantia: sed per te ideo est substantia; quia non inhæret: ergo circulum vitiosum committis, & de primo ad vltimum concludis, quod forma materialis substantia est, quia est substantia; siquidem dicis, quod est substantia, quia non inhæret, & statim, quod non inhæret, quia substantia est.

3453 Alijs etiam terminis eandem præstabis solutionem, dicendo formam materialem non inhærere, quia ita dependet à materia, vt sit eiusdem complementum. Dicam tamen ego: etiam quantitas, & quodlibet aliud accidens, est perfectio, & complementum subiecti sui. Si autem addas, quod forma substantialis materialis est complemẽtum sui subiecti in eodem ordine, ac ipsum existens; est formæ accidentales sunt diversi ordinis complementum. Contra sic insurgo: forma materialis complet materiam in eodem ordine, non alia ratione, nisi quia est substantia, sicut ipsa materia: ergo si, quia complet in eodem ordine, non inhæret, non inhæret, quia est substantia, & cõsequenter, vt *num. præcedenti* dicebamus est substantia, quia substãtia est; siquidẽ est substantia, quia non inhæret; non autẽ inhæret, quia cõplet in eodẽ ordine, ac tandẽ cõplet in eodẽ ordine, quia est substantia.

3454 Hurtadus autem *disp. 10. metaph. sect. 2.* existimat *esse per se* substantiæ consistere in eo, quod sit id, quod est de primo constitutivo rei; quod, scilicet, ita rem constituit, vt, ipso ablato, nequeat res conservari: & ideo anima rationalis est substantia, quia ita est de hominis constitutivo, vt sine ea homo nequeat conservari; albedo autem est accidens, quia ita hominẽ afficit, vt, ea secluſa, optime homo conservetur. Et si dicas: etiam albedo est de constitutivo rei;

cum

cum ſine ea *album* non magis conſervari poſsit, quam homo ſine anima. Reſpondet *rem* ab ipſo intelligi id, quod communiter *res* vocari conſuevit: communiter autem compoſita ſubſtantialia vocantur *res*; non tamen compoſita accidentalia: vnde ex eo, quod albedo ſit de conſtitutivo *albi*, non ſequitur, quod ſit de rei conſtitutivo, & conſequēter nec, quod ſubſtantia ſit; dum enim, quid res, aut quid hoc eſt, inquirimus (ait Hurtadus) reſpondetur equus, aut Petrus non tamen album, aut nigrum; ſed id ſolum reſpondetur, cum, qualis ſit res, inquiritur: ſignum igitur eſt, quod, iuxta communem loquendi modum, res ſolum dicuntur, quæ ſubſtantiæ ſunt, non tamen compoſita accidentalia.

3455 Sed contra eſt: quia, etiam, dum interrogamur, quid ſit hoc, aut quid emerimus, optime reſpondetur, quod ſit ſtatua, aut cathedra, aut, quod eam emerimus: ergo nomine rei proculdubio venire poteſt compoſitū accidentale: quod quidem rationi conſonum eſt ſatis; cum *res* ſit vnum ex ſex prædicatis tranſcendentibus, & etiam vſui; cū D. Paulus dicat, Fidem eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum: vbi nomine, *rerum* dona gratiæ, quæ ſperantur, veniunt, quæ accidentalia ſunt, reijcienda ergo eſt, Hurtadi ſententia tanquam falſo fundamento innixa. Quæ etiam communiter à RR. impugnatur præcipue vero ab Arriaga, Oviedo, Spinula, ac Lynceo, nec minus ex Corde & Prado.

3456 Alij, apud Lynceum *tract. 2 cit. c. 2. n. 8.* cenſent ſubſtantiam eſſe primam radicem eſſendi, vel præcipuam radicem operandi: & in hoc fundari, quod ſubſtantia ens per ſe dicatur. Hæc ſententia, quæ paulo aliter ab Arriaga proponitur, & defenditur *diſp. 4. metaph. ſect. 6.* etiam diſplicet, quia, quamvis demus, quod forma ſemper ſit prima, ſive præcipua radix operandi, quod tamen falſum erit; ſi poſsibilis ſit forma, quæ minus perfecta ſit, quam materia, ac per conſequens non tam præcipua radix, ſubſiſtentia, quæ proculdubio ſubſtantia eſt, nequaquam eſt prima radix eſſendi, nec præcipua radix operandi, quod ſimiliter de vnione dici poteſt. Si dicas, quod tam vnio, quam ſubſiſtentia, etſi non ſint prima radix, ſunt tamen complementum primæ radicis. Contra eſt: nā que in primis vnio, etſi ſit de complemento, aut conſtitutione totius, non tamen complet materiam in ratione materiæ, aut formam in ratione formæ: ergo non ſpectat ad complementum vtriuſque primæ radicis; cum materia, vt materia eſt, ſit prima radix eſſendi, & forma, in quantū forma, ſit prima radix operandi. De ſubſiſtentia deinde conſtare non poteſt, quod compleat formam in ratione primæ radicis operationum, aut, vt Arriaga vult, accidentium; ipſa namque radicatur in forma: ergo forma abſolute eſt pri-

prima radix; subsistentia vero pertinet ad secundam; si enim subsistentia in forma radicata adhuc potest illam complere in ratione primæ radicis, cur quantitas, etsi radicetur in forma, similiter dici non poterit illam complere in ratione primæ radicis.

3457 Dices, quod subsistentia, cum ex fide nobis innotescat, ex eadem constat, quod sit substantia: vnde ratio reperitur, cur potius ipsa, quam quantitas, sit de complemento primæ radicis. Contra tamen est: quia, etsi sit de fide, quod subsistẽtia sit substantia; tamẽ, cum non sit de fide, in quo ratio substantiæ consistat, ita ratio substantiæ assignari debet, vt illi competat, quin aliquid contra rationem ex eo sequatur; ratio enim debet fidei cedere, quando aliter fides salvari non potest; cum tamen vtrique possit satisfieri, ita res sunt componendæ, vt vtrique satisfiat, vt optime Oviedo *in præsenti controvers. 6. punct. 1. n 9.*

3458 P. Oviedo *controv. 6. metaph. punct. 1. num.* 10. substantiam esse ens per se in eo consistere existimat, quod primario, & propter se intenditur à natura: id autem dicit propter se à natura intendi, quod nõ intenditur propter aliud adæquate ab ipso distinctum. Hanc autem declarationẽ substantiæ, quã alij: meliorem vocat Spinula, impugnant tum ipse, tum P. Lynceus, iste, quia sicut substantia accidentium est finis *cui*, accidentia sunt finis *qui* substantiæ: ergo per rationem finis non bene substantia ab accidentibus distinguitur. Etsi adijcias non per rationem finis, vtcumque distingui; sed per rationem finis *cui*, opponit non alia ratione hominem esse finem *cui*, nisi quia est substantia, & persona illa, cui accidentia intenduntur: ergo ratio finis per substantiam, & substantia per rationem finis vitioso circulo declarantur. Hæc autem impugnatio non multum vrget; potest enim responderi hominem non esse finem *cui*, quia est substantia, si à priori respondendum sit; sed ob suam propriam essentiam, quæ à posteriori talis perfectionis esse colligitur, vt ad eam ornandam accidentia ordinentur: ex eo autem, quod talem perfectionem, & dignitatem sortiatur, substantiam esse hæc sententia defendit.

3459 Spinula autem hanc Oviedi sententiam impugnat, eo, quod subsistentia, proculdubio, est substantia: sed subsistentia est propter aliud adæquate distinctum ab ipsa; cum ipsa non solum ordinetur ad suppositum, sed etiam ad totum, quod ab ipsa est adæquate distinctum, vtpote separabile: mala ergo est posita definitio. Quod subsistentia ad totum ordinetur, facile constat: nam, quamvis albedo constituat album, & ad illud ordinetur; tamen simul ad subiectum ordinatur, vt illud perficiat: ergo etsi subsistentia ordinetur ad suppositum, vt constituat illud, simul

mul tamen ordinabitur ad totum, vt illud compleat, & perficiat. Sed respondebis ex doctrina Oviedi, quod id, quod primario natura intendit, est suppositum; cum sit ens omnino substantialiter completum, & non totum: vnde subsistentia primario erit propter suppositum, & consequenter propter aliquid non distinctum adæquate ab ipsa; accidens vero primario intenditur ad perficiendum subiectum, & non ad constituendum concretum: vnde primario intenditur propter aliquid adæquate ab ipso distinctum. Sed contra hanc solutionem sic argumentor ergo; sicut dicitur, quod suppositum est primarius naturæ finis, & non totum, quia totum per subsistentiam completur, sic potest quis dicere, quod primarius naturæ finis non sit suppositum nudum, sed accidentibus vestitum, cum perfectius sic vestitum, quam nudum; cum nudum suppositū sit substantialiter completum; vestitum vero substantialiter, & accidentaliter: cum ergo suppositum ponatur primarius naturę finis, quia natura primario intendit, quod perfectius est, hoc ipso non suppositum nudum, sed accidentibus vestitum ponendum est: ex quo fit, quod illa accidentia, vtpote, adæquate non distincta à supposito, vt illis vestito, sint substantia, si præfata definitio sustinenda sit. Ob hanc ergo vltimam replicam, quam omisit Spinula hanc Oviedi sententiam deserimus.

3460 Ipse tamen Spinula *disp. vlt. metaph. sect.* 1. novam etiam, suo videri aggreditur viam dicens, substantiam esse per se ita explicandum, vt sit id, quod nulli enti advenit, vel si enti advenit, non advenit enti per se constituto, & cōplero, sed illud complet, & constituit in specie completa. Sed, quidquid sit de huius sententiæ novitate, ad eam reijciendam novo argumento nos non indigemus; illud enim, quo prima sententia est reiecta, hanc etiam impugnat, si perpendatur recte. Inquiro namque cur quantitas adveniens materiæ, quæ est ens incompletum, non sit substantia? Dices ex Spinula, quia, etsi adveniat enti incompleto, illud non complet, sed adhuc relinquit incompletum. Sed contra insurgo: forma materiæ adveniens non complet illam, siquidem relinquitur adhuc incōpleta, & vltimo per substantiam complebilis (&, si prius, quam forma, adveniat substantia, in ea hoc conficiendum argumentum) sed hoc non obstat, vt forma substantialis dicatur substantia: ergo neque, vt quantitas substātia dicatur. Dices, quod, si forma non compleat omnino materiā, tamen ipsam aliquomodo complet substantialiter; quantitas autē nullatenus complet substantialiter materiam, sed tam incompletam eam relinquit, sicut ante illam erat. Sed contra est, quia quantitas non potest afficere materiam, & eam aliquomodo non complere sed eam afficit: ergo aliquo modo complet:

sed

sed, iuxta sententiam, quam impugnamus, hoc sufficit; vt sit substantia, nec absolute aliqua potest reddi ratio, cur substantia non sit, quæ non sit petitio principij, & quę impugnari facile non possit ex dictis contra primam sententiam.

3461 Alias adhuc omitto sententias, vt prolixitatem vitę, & quia facile etiam ex dictis potęrunt impugnari, & ad nostram accedens dico substantiam esse per se in eo consistere, vt per se subsistat, id est, quod sit subsistentia, aut illam habeat radicare. Hanc sententiam amplectitur Illustr. Echalaz *disp. 21. log. cap. 3.* & eam tenet Lynceus *lib. 3. metaph. tract. 2. cap. 3.* etsi verbis valde diversis, cuius ratio est, quod ille loquitur iuxta suã de subsistentia singularissimam sententiã, de qua mentionẽ fecimus *in phys. disp. 1. q. 20.* & iterum faciemus infra *in hac disput.* nos vero, aut iuxta eam, aut iuxta aliam communiorẽ. Probatur autẽ nostra sententia: nam iure optimo per se esse dicitur id, quod alio non eget, vt sustentetur in esse, & existat, sed in se subsistit: sed subsistentia, & quidquid eam radicat hoc habent: ergo & rationem substantiæ. Maior probatur primo: quia id proprie dicitur esse per se, per quod esse in alio à substãtia excluditur: sed per hoc, quod substantia alio non egeat, vt sustentetur, sed in se subsistat, excludit à se esse in alio: ergo per hoc dicitur iure optimo esse per se. Secundo eadem probatur maior: nam substãtia, & subsistens idem sunt iuxta D. Aug. & D. Isidorum: ergo esse per se substantiæ optime explicatur per hoc, quod est per se subsistere. Antecedens constat, nã D. Augst. *lib. 7. de Trin. cap. 4.* ait: *Sicut ab eo, quod est esse appellatur essentia, ita ab eo, quod est subsistere substantiam dicimus.* D. autem Isidorus *lib. 1. differentiarum c. 4.* ait: *Substantia est id, quod non ab alio, sed semper ex se est, id est, quod propria in se virtute subsistit.* Tertio probatur illa maior ex eo, quod congruentius in præsenti non possit accipi substantia; etsi enim ea aliquando pro essentia accipiatur, ea acceptio non est præsentis instituti; cum sic accidentibus etiam competat ratio substantiæ: nunc autẽ eam indagamus, prout ab accidenti distinguitur. Si vero sumatur pro eo, quod accidentibus subsstat, seu accidentia sustentat, non omnino congruit; nã sic accepta solũ de substantia creata verificatur; nunc vero loquimur de communissima ratione substantiæ, prout ab accidenti differt, quæ per hoc, quod sit subsistens, optime omnibus adaptatur substantijs, ab omnibusque differt accidentibus.

3462 Minor autem nostræ probationis, quod, scilicet, talem modum essendi per se habeat quidquid est subsistentia, aut eam radicat, probatur: quia in primis certum est, quod subsistentia in se subsistat, & vlterius non progrediatur, vt in altero sustentetur. Deinde illæ entitates, quæ subsistentiam radi-

tant in ſe dicuntur ſubſiſtere, & per ſe, quia ſubſiſtunt per ſubſiſtentiam à ſe exactam, & radicatam, vt complementum illarum; eo enim titulo, & non alio eam poſſunt exigere, Vnde, quæ ſubſiſtunt, per ſubſiſtentiam à ſe exactam, & radicatam exiſtunt, ſive ſubſiſtunt per aliquid ſui, ſcilicet, per ſuum complementum, quod ſufficit, vt per ſe ſubſiſtere dicantur.

3463 Noſtra autem ſententia poteſt præterea confirmari; quia ſic explicata definitio ſubſtantiæ omni ſubſtantiæ, & nulli accidenti competitur cõvenire. Ea enim Deo, & Angelis convenit; Deo quidem, quia realiter eſt ſubſiſtẽtia, &, ſi virtualiter ab ea diſtinguitur, virtualiter etiam eam exigit, & radicat: præterquamquod, vt ſubſtantia eſſet, realis cum ſubſiſtentia identitas ſufficiebat. Angeli vero natura, aut eſt ſubſiſtentia ſe ipſa, vt aliqui volunt, aut ſaltim eam petit, & radicat, vt fert ſententia communis. De ſubſiſtentia dubium non poteſt eſſe, quod ei noſtra conveniat definitio. De materia, forma, & vnione mihi etiam certum eſt convenire eis noſtram explicationem: etſi enim quamlibet ipſarum propriam habere ſubſiſtentiam, certum non ſit; tamen ſubſiſtentiam radicare, & exigere, aut quælibet propriam, aut omnes ſimul ſubſiſtentiam totius, qua omnes ſubſiſtant, pluſquam probabile mihi videtur. Sicut autem conſtat omni ſubſtantiæ noſtram explicationem convenire, non obſcurius nulli eam accidenti convenire conſiderans inveniet; cum nullum ſit, quod ſubſiſtentia ſit, aut, vt ſuum complemẽtum, eam exigat, & radicet.

Soluuntur argumenta.

3464 Obijcies primo; nos definimus, ſeu explicamus ſubſtantiam in ordine ad ſubſiſtentiã per hoc, ſcilicet, quod illam radicet: ſed ſubſiſtentia definitur, per ordinem ad ſubſtantiam, quod, ſcilicet, ſit terminus, & complementum ſubſtantiæ: ergo vitioſum circulum committimus, dum ſubſtantiam per ſubſiſtentiam explicamus, & ſubſiſtentiam per ſubſtantiam. Reſpondetur, quidquid ſit de explicatione ſubſiſtentiæ, de qua infra *in hac diſput.* tractabimus, nullum adhuc circulũ in noſtra definitione cõmitti, quia ſubſtantia, quæ eſt ſubſiſtẽtia, dũ ſubſiſtentiã explicemus, etiãſi explicetur in ordine ad ſubſtantiam, quæ ſubſiſtentia non eſt, ex modo, quo erga eam ſe habet, optime declarabitur: quod autem ſubſtantia, quæ ſubſiſtentia non eſt, nunc in ordine ad ſubſiſtentiam declaretur, non eſt circulum committere vitioſum, quia ſubſiſtentia, vtpote, ſubſtantiæ, quæ ſubſiſtentia non eſt, effectus, optime per eam declaratur, quia quilibet effectus per cauſam, ſeu in ordine ad illam optime ſuſtinet declarari. Cum autem cauſa etiam declarari ſoleat per aptitudinẽ ad effectum, declaramus ſub-

substantiam illam, quæ à subsistentia distinguitur per aptitudinem ad illam radicandam, sive per radicationem illius aptitudinalem: ipsa autem radicatio aptitudinalis, cũ sit prima substantiæ essentia, non admittit declarationem; sed solum à posteriori, & ab experientia innotescit, dum ea, quæ substantias nominamus ad radicandam subsistẽtiam concurrere experientia colligimus, cum hominis subsistentiam sine materia, forma, & vnione simul non invenimus; qualibet enim illarum ablata, non manet hominis subsistentia; manet tamen quolibet ablato ex his, quæ accidentia nominamus.

3465 Alia nunc omitto argumenta, quia aut ex dictis facilè solventur, aut in alijs locis præcipue paulo inferius, dum de subsistentia agamus occurrent, præsertim *num.* 3510. Duo tamen adhuc in hac quæstione sunt animadvertenda: primum, quod etsi communiter substãtia definiatur *ens per se*, & differant AA. in modo, quo ly *ens per se* sit intelligendum, varias tradendo explicationes, aliqui tamen eas explicationes, vt definitiones, accipiunt, quod parum interest, Nos autem primo modo nostram explicationem accepimus; quia cõmunius sic accipitur, & quia sic facile removetur obiectio, quæ contra nostram explicationem fieri posset, dicendo, eam potius divisionem quam definitionem esse; cum enim nostra explicatio non ponatur, vt definitio substantiæ; sed, vt explicatio definitionis illius, qua dicitur esse *ens per se*, parum refert, si per disiunctionem, aut divisionẽ detur.

3466 Secundum, quod animadverto est, quod M. Aguirre *in præsenti disp. 5. sect. 3.* nostrã sententiam, vt veram, & communem, defendit, pro eaque communiter non solum Thomistas, sed etiam Scotistas stare docet, imò & Spinulam, qui, vt vidimus, novam sententiam se sustinere existimat, pro ea refert. Verum tamen est, quod ita nostram hanc sententiam intelligat prædictus M. vt ex ipsa, & ex quam supra *n.* 3451. retulimus, vnã sententiam componat, aut eandem sententiam esse vnam, atque alteram innuat, communius autem ita eam explicat, vt in nostram sententiam incidat; aliquando vero ita, vt in primam illam refutatam consentiat. Quod ergo tum ipse pro nostra sententia sit, tum pro ea stare velit Thomistas, & Scotistas, non aversamur, sed gratulamur potius; quod vero tam ipse, quam Thomistæ in eam sententiam à nobis impugnatam inclinare videantur, dum hanc nostram defendere contendunt, gratulari non possumus; nova tamen impugnatione non egemus; cum ex impugnatione illius primæ sententiæ id sit impugnandum.

(?)

QVÆSTIO II.

De ſubſtantiæ diuiſione, & proprietatibus.

3467 PRÆTER Alias ſubſtãtiæ diuiſiones, de quibus *in Logica diſp. 7. num.* 1058. communior illius diuiſio eſt in primam, & ſecundam ſubſtantiam, quam ibidem explicauimus *num.* 1057. & modo breuiter dicimus: Primam ſubſtantiã eſſe, *quæ nec de ſubiecto dicitur, nec in ſubiecto eſt.* Secundam vero, *quæ in ſubiecto non eſt, de ſubiecto tamen dicitur.* Vnde idem eſt ſubſtantia prima, ac ſubſtantia ſingularis, idéque ſubſtantia ſecunda, ac ſubſtantia vniuerſalis. Vbi animadvertendum eſt primo hanc diuiſionẽ ſubſtantiæ in primã, & ſecundam ſumi poſſe primo ita, vt huic æquivaleat: *Subſtantia alia eſt vniuerſalis, alia particularis.* Secundo, vt æquivaleat iſti: *Proprietas accidentalis ſubſtãdi accidentibus, aut conuenit primæ ſubſtantiæ, aut ſecundæ.* Tertio ita, vt iſti æquivaleat: *Subſtantia penes ſecũdas intentiones ſumpta alia ſubeſt intentioni prædicabilitatis, alia tantum intentioni ſubijcibilitatis ſubeſt.* Si primo ergo modo hæc ſumatur diuiſio eſt ſubiecti in accidentia. Si autem ſecundo, accidentis in ſubiecta. Si vero tertio modo ſumatur, ſi comparatio fiat cum ſubiecto illarũ denominationum, erit diuiſio accidentis in alia accidentia. Si tamẽ denominationes ipſæ ſecundum ſe ſumantur, aut, quod in idem recidit, ſubſtantia reduplicative, prout illis ſubeſt denominationibus, diuiſio erit eſſentialis; quia ratio ſecundæ intentionis eſſentialiter per ſecundam intentionem ſubijcibilitatis, & prædicabilitatis contrahitur, ſicut coloratum per album, & nigrum; quamvis comparative ad ſubiectum ſpecificative ſumptum, tam diuiſum, quam membra dividentia accidentaliter ſe habeant.

3468 Secundo animadvertendum eſt, quod etſi Ariſtoteles nunc primam ſubſtantiam ſecundæ præferat; nunc ècontra; cum *in prædicamentis cap. 5. & in metaph. lib. 3. & 7.* primam ſubſtantiam magis ſubſtantiam; quam ſecundam aſſerat; ſecundam vero primæ præferat *lib. 8. metaph. text. 2.* tamen facile poſſe conciliari, vt illum conciliat Lynceus *lib. 3. ſuæ metaphyſ. tract. 2. c. 5. n. 27.* dicendo ſecundam ſubſtantiam eſſe perfectiorem ſecundum rationem eſſentialẽ ſubſtantiæ; primam vero perfectiorem ſecundum actuale exercitium exiſtendi per ſe, aut ſubſtentandi accidentia. Et ratio eſt: quia conceptũ ſubſtantiæ immediatius participat ſecunda ſubſtantia, cum ſit immediatior generi ſupremo ſubſtantiæ; exercitium vero exiſtendi per ſe, & ſuſtentandi accidentia immediatius participat prima ſubſtantia; cum ſecunda ratione pri-

primæ hoc habeat exercitium: id autem, quod immediatius aliquam participat rationem, perfectius eam dicitur participare. Ea tamen inæqualitas, quæcumque sit, non infert analogam esse divisionem substantiæ in primam, & secundã, vt constat ex dictis circa entis analogiã *disp. 7 Logicæ*. Et si aliquis dicat primã substantiã dici talẽ in ordine ad secundam dicendum, quod, etsi dicatur prima substantia in ordine ad secũdam; substantia tamen absolute absque tali ordine dici potest.

3469 Tertio denique animadverto cum Lynceo *lib 3. quæ metaph. tract 2. cap. 5. n. 22. & 23.* prædictam substantiæ divisionem rigorosam non esse. Probatur autem: quia substantia, quæ est divisum in ea divisione, esset secunda substantia, & non esset secunda substantia, sed præscindens à prima, & secunda. Secundam partem adversarij admittere debent, eamque expressam habet Noster Ildephonsus ab Spiritu Sancto. Prima vero pars probatur sic: substantia illa, quæ dividitur in primã, & secundã dicitur, & prędicatur de vtraq; ergo de subiecto dicitur, quod est propriũ secũdæ substantiæ. Dices cum prædicto nostro Patre, non dici, vt genus neque, vt species, quia abstrahit à singularibus, à generibus, atque speciebus. Respõdeo, quod abstrahere potest ab aliquibus generibus, & speciebus non tamen ab omnibus. Si autem ab omnibus abstrahi debere probetur: ego dicam, quod simul ab omnibus abstrahit, & ab aliquo non abstrahit; cum à se ipsa abstrahere non possit, & ipsa genus, aut species sit eo ipso, quod ab inferioribus sit abstracta. Quapropter, ne in hæc incidamus, dicendum est dictam divisionem non esse rectam, & rigorosam, sed numerationem quandã. Quod consonat Aristotelẽ qui nunquam dividit substantiã in primã, & secundã; sed eam dividere iudicatur, quia primæ, & secundæ substantiæ definitionem tradit.

3470 Ad proprietates autem substantiæ deveniendo sex sunt, quæ illi ab Aristotele adscribuntur, & communiter à DD. explicantur Prima est, quod non sit in subiecto, quæ de subiecto inhæsionis communiter intelligitur. Hanc proprietatem ita stricte convenire substantiæ plures existimant, vt nec de potentia absoluta aliqua substãtia possit inhærere iuxta dicta tamẽ à nobis *quæst. præcedenti*, non solum posse, sed etiam de facto aliquas substantias inhærere est satis probabile: quare dicta proprietas à nobis existimatur intelligenda esse de substantia completa, quam nunquam subiecto inhærere posse, iuxta dicamus.

3471 Secunda substantiæ proprietas est vnivoce prędicari de pluribus. Quæ proprietas non convenit omni substantiæ, sed solum secundæ; quia sola ista de pluribus prędicatur: estque propria illius secundo modo; quia, etsi omni secundæ substantiæ conveniat; non tamẽ

soli; quia, quidquid alij dicant, accidentia etiam vnivoce prædicantur, & quidquid in contrarium afferri potest ex doctrina tradita *disp. 7. logicæ, magnæ* evanescet facile.

3472 Tertia substantiæ proprietas est significare *hoc aliquid*, si sit prima substantia, quod est significare hyqostasim, sive substantiam singularem, si vero sit secunda substantia, habet significare *quale quid*. Circa primum nulla est difficultas; circa secundum vero variant AA. quomodo sit intelligendum. Dicendum tamen est secundas substantias significare *quale quid*, quia significant substantiam non vltimo determinatam; sed determinabilem vlterius per substantiam singularem: quod aliquo modo, etsi latissime; est significare *quale quid*. Sic Philosophum explicat N. Ildephonsus de Spiritu Sancto, & quamvis alij aliter explicent illum, id maiori facilitate, aut probabilitate non præstant. Hic tamen noto, quod significare *hoc aliquid* absolute non est significare hypostasim; sed solum id habet, quando est substantia: vnde absolute *hoc aliquid* significat essentiam singularem, ac proinde non solum substantiæ, sed etiam accidenti singulari convenit, sicut significare *quale quid* vniversali: vnde proprietas ista non soli substantiæ competit, estque secundo modo propria.

3473 Quarta substantiæ proprietas est non habere contrariũ. Communiter tamen dicitur, hanc proprietatem non soli substantiæ convenire; convenit enim luci, quãtitati, & alijs accidentibus. Omni tamen substantiæ competere iudicant DD. communiter. Probabilius tamen est quod non omni substantiæ competat, sed tantum omni cõpletæ, cuius sit proprietas secundo modo; formas namque materiales verius est inter se contrariari, vt forma ligni, & ignis; ab eodem enim se expellunt subiecto. Et si dicas cõtraria debere se expellere à subiecto inhæsionis, quale non habet substantia. Contra est, quod gratis dicitur requiri, quod se expellant à subiecto inhæsionis, & quod non sufficiat se à subiecto eductionis expellere, dato, quod falsum esse diximus, quod formæ materiales subiecto non inhæreant.

3474 Quinta substantiæ proprietas est non suscipere magis, & minus. Quæ proprietas etiam quantitati convenit. Non est autem intelligenda ita, vt vna substantia non sit perfectior alia; quia, adhuc cum inferiora æque immediate rationem superiorẽ participant, sublite esse potest, an vna sit perfectior alia, quá nos discussimus *disp. 1. de anima q. 13.* sed ita intelligenda est, vt substantia non sit intensionis capax, nec remissionis.

3475 Sexta substantiæ proprietas est suscipere posse contraria ita, vt de vno in aliud transeat, vna manendo; eadẽ enim substantia modo calida transire potest in frigidã, alba in nigram, & sic de reliquis. Hanc pro-

proprietatem esse quarto modo substantiæ propriam tenet communis sententia. Nec obstat ad hoc primo, quod oratio possit transire de vera in falsam, & actio de bona in malã; hoc enim nunc admisso, dici adhuc potest probabiliter, quod ista accidentia non sunt intrinsece inhærẽtia orationi, atque actioni, cum iuxta sententiam satis probabilẽ consistant partim in aliquo extrinseco. Quod si hæc doctrina non admittatur, dicendum, quod ea accidentia recipiantur in oratione, sive actione immediate, & vt *quo*; non tamen radicaliter, & vt *quod*: hoc autẽ modo accidentia recipere est proprium quarto modo substantiæ: idemque respondendum, si obijciatur, quod quantitas recipit accidẽtia. Et si replicetur, quod in Eucharistia vltimate, & vt *quod* recipiuntur accidentia contraria in quantitate. Respondendum id non competere illi connaturaliter, sed quatenus supernaturaliter habet modum substantiæ; cõnaturaliter tamen loquendo est rigorosa substantiæ proprietas, sicque intelligenda communis sententia, contra quam.

3476 Non obstat secundo, quod Deus, Angeli, & cœli non suscipiunt contraria; contrariæ enim qualitates disponunt ad corruptionem; prædicta autem incorruptibilia sunt, & Deus præterea immutabilis. Respondetur namque Deo non convenire prædictam proprietatem, quia solũ est proprietas substantiæ, quæ ponitur in prædicamento physico: Deus autem in eo non ponitur. Angelis vero, & cœlis convenit; quia, etsi nõ recipiant accidẽtia corruptiva (quod tantũ probat argumentũ, & de cœlis nõ omnino certe; cũ sit probabile eos esse corruptibiles) tamen recipiunt opposita accidentia non corruptiva; Angelus enim potest recipere scientiam, & errorem, & oppositos voluntatis affectus; cœli vero oppositos motus, & vbicationes.

3477 Tertio denique non obstat, quod substantiæ secundæ videtur dicta proprietas non convenire, vel saltim minus præcipue eĩ convenire: proprietates autẽ rationi cummuni præcipue conveniunt, & ex consequenti singularibus non enim homo est risibilis, quia Petrus est risibilis; sed ècontra. Quod autẽ substantiæ secundæ nõ conveniant, probatur: quia suscipere contraria est pati: sed passiones sunt suppositorum, sicut actiones: ergo suscipere contraria solum convenit suppositis, sive singularibus, & non vniversalibus. Quod autẽ, dato, quod vniversalibus conveniat, eis minus præcipue convenire debeat, probatur; quia ideo homo suscipit accidentia contraria, quia illa suscipit Petrus; non tamẽ ècontra, vt omnes hic tradunt, aut supponunt. Hæc inquam non obstant; quia in primis, etsi passiones sint singularium, inde solum efficitur, quod vniversales substantiæ separatæ non recipiant contraria; non tamen, quod ea non recipiant, vt cum suppositis, &

singularibus identificatæ. Nec eis etiam minus præcipuè convenit; quia ratio, qua id probatur solum convincit, quod exercitium proprietatis præcipue conveniat singularibus, proprietas verò ipsa magis præcipuè rationi communi: quod nullum est inconveniens, sed potius id in exemplo contra nos allato clarè conspicitur; ideo enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis; in exercitio è contra, ideo homo ridet, quia Petrus ridet, & non è contra.

QVÆSTIO III.

Quid addat suppositum supra naturam.

3478 SVBSISTENTIA, Substantialis naturæ, complementum communiter dicitur esse: vnde & ipsa substantia est, ac proinde opportunè in hoc prædicamento substantiæ de illa disputamus. Igitur, vt ad difficultates non leves, quæ circa illam versantur, accedamus, prius opere pretium est, vt aliquos terminos explicemus. Natura ergo simul cum subsistentia solet appellari *subsistens*, *suppositum*, aut *persona*: cum hac tamen differentia, quod, si sit natura rationalis completa, potest dici *persona*, *suppositum*, *atque subsistens*; si tamen sit natura alia completa, quæ rationalis non sit, dicetur *suppositum*, ac *subsistens* non tamen *persona*. Si denique non sit natura completa, sed incompleta, sive rationalis, sive irrationalis, dicetur *subsistens*; non tamen *suppositum*, aut *persona*. Vnde etiam subsistentia, quatenus naturam incompletam terminat, solo nomine subsistentiæ gaudet; si vero terminet naturam completam non rationalem, dicitur etiam *suppositalitas*; si tamen naturam rationalem completam, non tantum *subsistentia*, & *suppositalitas* dicitur, sed etiam *personalitas*. *Hypostasis*, etsi antiquitus pro subsistentia accipi soleret, iam sumitur aliter, aliquando, scilicet, pro suppositò, aliquando, pro subsistentia, seu suppositalitate: vnde vnio Divini Verbi ad humanitatem Christi hypostatica dicitur, quia facta fuit immediatè ad personalitatem, sive subsistentiam Verbi.

3479 Igitur certum est, quod *suppositum* includat naturam, & subsistentiam: vnde & certum erit, quod ad naturam subsistentiam addit: quia tamen hæc additio erit maior, aut minor, aut nulla, secundùm quod subsistentia ipsa superaddita magis de entitate, ac de distinctione à natura superaddit, idè est inquirere, quid addat suppositum supra naturam, ac inquirere, quomodo subsistentia à natura distinguatur, an scilicet, vt res positiva, an verò vt negatio, an realiter, an verò sola ratione. Prima ergo sententia tenet subsistentiam à natura sola ratione distingui. Hæc tamen sententia dupliciter explicatur; alij enim dicunt

cunt distingui solum penes diversum modum significãdi, vt *homo*, & *humanitas*, & consequenter dicunt sola ratione ratiocinante distingui, iuxta communem loquendi modũ. Hanc sententiã sic explicatã tuẽtur Durand. *in* 1.*d*.34.*q*.1.*& in* 3.*d*.1. *q*.2.*& q*. 4. *ad* 1. Noster Henr. Gãdavensis *quodl*.4.*q*.4. Okam. *quodl*. 4.*q*.11. Richard. *in* 3.*d*.6 Bachon. *d*.1.*q*.1.*a*.3. Gabriel *q*.2.*a*.3.*dub*. 2. Alij vero sentiunt distingui subsistentiam à natura distinctione virtuali extrinseca, Sic sentiunt apud Henao *tom*.1. *Empitol. exercit*.8. *sect*.1.*n*.8. Martin. *in* 1.*p*.*d*.36.*sec*. 3.*& in* 3.*p*.*d*.5. *sect*.6.*&* Vbad. *disp*.4 *de Incarnatione*.

3480 Secunda sententia, quæ est Scoti *in* 3.*d*.1.*quæst*.1 *& d*.6.*quæst*.1. *& quodlib*.19.*art*.3. & Discipulorum eius, tenet subsistentiam distingui realiter à natura; non tamen, vt quid positivum, sed vt negativum; existimat enim consistere in duplici negatione, altera dependentiæ actualis, altera dependentiæ aptitudinalis ab aliquo toto ab ipsa distincto. Tertia, quam latè propugnat N. Franciscus ab Spiritu Sancto in manuscriptis metaphysicis, latiusque multo in Theologicis tract. videlicet, de Incarnatione, asserit subsistentiam consistere in absoluta, & substantiali rei totalitate. Quarta, quam tenet Lync. *tom*. 2.*sui cursus lib*.2. *tr*.9.*c*.1. *& tr*. 10.*c*.2 *&* 3 *& tom*.3. *lib*.3.*tr*.*& c*.*etiam* 3. Asserit etiam subsistentiã in totalitate consistere; est tamen valde diversa à præcedenti; totum namque realiter adæquatè à natura distinguit: vnde, dum in totalitate subsistentiam constituit, eam vtique constituit in entitate realiter adæquatè à natura distincta.

3481 Quinta tandem sententia, quam & nos pro conclusione statuimus, tenet subsistentiã esse entitatẽ positivam realẽ, ac incompletã à natura realiter distinctam. Adeo communis est sententia ista, vt superfluũ sit vllum pro ea Doctorẽ referre; cum adhuc eam impugnãtes communiorem esse non inficientur. Eam autẽ sic breviter probo: subsistẽtia est separabilis realiter à natura, cum qua suppositũ constituit ergo distingui tur realiter ab illa. Conseq. constat. Anteced. probat. ex Incarnationis Mysterio: Verbum Diuinũ assumpsit naturam humanã: sed, fide duce, non assumpsit humanam subsistentiã: ergo separabilis est realiter subsistentia à natura. Hæc ratio tantum in homine probat distinctionẽ naturæ à subsistentia: in materialibus autẽ cõpositis paritate hominis persuadetur, cum in eis eodẽ modo detur ex materia compositio, nec sit vlla disparitas, cur cõpositione subsistentiæ careant, quã homo ipse in se admittit; alias perfectiora ipso homine forent, vtpotè minus compositionis habentia.

3482 Sed respondebis primo pro sententia Scoti, verũ esse, quod subsistẽtia distinguitur realiter à natura; non tamẽ tanquã quid positivũ, sed tanquam aliquid negativum: natura enim

enim humana in ratione subsistentis constituitur per negationem actualis vnionis ad alterum suppositum: cumque in incarnatione detur actualis vnio ad verbi suppositum, tollitur ea negatio, & consequenter subsistentia propria humanitatis, quin ad hoc opus sit, quod ea subsistētia sit aliquid positivum. Sed contra est primo, quia iuxta hanc solutionem humanitatem vnitam verbo, non habere propriam subsistentiam, in eo consistit, quod non maneat cum negatione vnionis ad verbum, seu quod idem est, non maneat invnita verbo, & consequenter dum Concilia definiunt humanitatem vnitam verbo manere sine propria subsistentia, nihil aliud definiunt, quam quod non maneat verbo invnita: quod cum evidentissimum sit, frivola erit definitio; ne ergo hoc dicamus, necessario dicendum est subsistentiam humanitatis, non in negatione, sed in aliquo positivo consistere. Et si dicas Concilia id definivisse non frivole: quia, dum definiunt non manere in vnitam humanitatem, intendunt eam vnitam fuisse physice nonque moraliter tantum, vt aliqui hæretici asserebant. Contra est: quia contra hæreticos, negantes eam vnionem esse physicam sine tanto mysterio agere poterant Concilia, eam physicam esse definiendo: quo clarius vnio tantum moralis destrueretur: ergo dum definiunt non manere propriam humanitatis subsistentiam in Christo, aliud definiūt, quod est humanitatem carere prō pria & positiva subsistentia, quā haberet, si à verbo assumpta non fuisset.

3483 Secundo contra eandem responsionem est, quod iuxta Scotum potest vna natura creata aliena subsistentia terminari: hoc autem intelligi nequit, nisi cuiuslibet naturæ subsistētia sit aliquid positivum: namque ad negationem, quæ reperitur in equo, quomodo valet homo vniri, vt ea terminetur? Non per vnionem positivam, quia ista ad negationem nequit terminari: non per negativam, quia vnio negativa potius est non vnio; tantum ergo terminari poterit subsistentia aliena, si illa sit aliquid positivum: subsistentia ergo aliena erit aliquid positivum cumque omnis subsistentia propria sit respectu alicuius alienа, omnis subsistentia propria erit aliquid positivum.

3484 Tertio est contra: quia subsistentiæ in divinis sunt aliquid positivum: ergo similiter in creatis. Patet ista consequentia: quia quā vis à Divinis ad creata non semper valeat argumentatio: tamen dum argumentū est à ratione aliqua formali, quæ in Deo, & in creaturis reperitur, semper valet, si, dum ille conceptus in Deo agnoscitur, purgetur imperfectionibus, & dum in creatura, destituatur infinitate. Sic conceptus iustitiæ, conceptus misericordiæ, intellectionis, volitionis, & similia ita accipi debent, vt cum disparitate memorata non minus reperiantur in creaturis, quam

in

in Deo? ergo similiter conceptus subsistentiæ ita assignari debet, vt & in Deo, & in creaturis reperiatur etsi cum disparitate perfectionis, cum vnitate essentiali cõceptus formalis: sed inter entitatem positivã, & negativam ea vnitas reperiri non potest; ergo dicendum est conceptũ formalem subsistẽtiæ etiam in creatis consistere in aliquo positivo, eo ipso, quod in divinis in positivo consistat. Alijs parco impugnationibus, quæ passim offenduntur in Authoribus, vt ad alias transeam responsiones.

3485 Respondebis secundo, pro sententia Durandi, quod, vt verbum vniatur humanæ naturę, non vero humanæ subsistentiæ, sufficit inter vtramque distinctio rationis: sic enim ea sufficit inter verbum, & naturam divinam, vt istud vniatur humanitati, quin similiter eidẽ vniatur natura divina. Sed contra est primo: quia inter verbũ, & naturam divinam intercedit distinctio virtualis intrinseca, quam forsan nemo ex Doctoribus sententiæ Durandi admittet inter humanitatem, & propriam eius subsistẽtiam. Contra secundo: quia distinctio inter verbum, & naturam divinam realis non est, etsi possit præstare, quod verbum vniatur immediate humanitati, non vnita immediate natura divina: præstare tamẽ non potest, quod vnito verbo, natura divina, nec mediate illi vniatur: ergo ad summum ratione distinctionis rationis inter naturam humanam, & eiusdem subsistentiam efficietur, quod verbum possit humanitati immediate vniri, quin immediate vniatur eius subsistẽtię; non tamen, quod ei saltem mediate non vniatur; sed etiam mediata vnio verbi ad humanam subsistentiam dari nequit eoipso, quod verbũ humanitati vniatur, quia hoc ipso deficit humana subsistentia: ergo recurrẽdum est ad distinctionẽ realẽ.

3486 Tertio respondebis pro nostro Francisco à Spiritu Sancto, subsistentiam esse totalitatem ipsam: cumque natura, cum abest verbi subsistentia, constituat totalitatẽ ab ipsa realiter indistinctam, sic & subsistentiam. Cum vero advenit subsistentia verbi, totalitas nõ constituitur ex humana natura tantum, sed etiam ex verbi subsistentia, vnde tunc deficit humana totalitas, & consequenter humana subsistentia. Sed in primis sententia ista sic explicata non multum recedere videtur ab Scoti sententia, si ad rem, & non ad voces attendatur: natura enim humana cum constituit totalitatem, nihil aliud habet, quod non habeat, quando non constituit eam, nisi negationem vnionis ad verbum: sed tunc est subsistens, & vnita verbo subsistens nõ est: ergo præcise quod habeat modo subsistentiã humanitas, modo eam non habeat iuxta hanc solutionẽ refunditur in hoc, quod habeat, vel nõ habeat carentiam, aut negationem vnionis actualis ad verbum, quæ est Scotica, iam impugnata, sententia.

Sed

3487 Sed dices, quod in sententia Scoti subsistentia consistit in sola negatione: iuxta sententiã vero Franciici à Spiritu Sancto importat duo, naturam videlicet ipsam in recto, & negationem in obliquo. Sed contra est, quod iam in Christo manebit subsistentia humana, quoad id omne, quod in recto subsistentia importat, quod difficulter à Catholico admitti poterit. Et si instes: id posse sine scrupulo admitti, quia fides solum dicit, quod ibi non manet subsistentia humana, quod absolute verum est, sive deficiat, quia deficiunt omnes eius partes, sive quia deficit vna, etsi minus principalis. Non omnino quietari poterit mens Catholica. Sed præterea obijci potest, quod quamvis natura divina per possibile, vel impossibile terminaretur subsistentia creata non deficerent subsistentiæ increatæ, quamvis deficeret negativum, quod antea importabant in obliquo increatæ subsistentiæ: ergo similiter dici poterit non defuturam subsistentiam humanitatis, etsi negativum, quod in obliquo importat, deficere contingat, dum non deficiat positivum, quod in recto importat.

3488 Sed quidquid sit, an ea sententia cum sententia Scoti coincidat, vel non, solutio in eius favorem allata impugnatur: totalitas non est de conceptu formali subsistentiæ; ergo ista non consistit in totalitate. Probatur antecedens: cõceptus formalis subsistentiæ etiam salvatur in divinis: sed in divinis non consistit in totalitate: ergo totalitas non est de conceptu formali subsistentiæ. Maior in primis est certa, cum conceptus subsubsistentiæ includat perfectionem, & omnis perfectio, quæ in creatis reperitur, in divinis debeat admitti, seclusis imperfectionibus: & quidem formaliter, si eius conceptus formalis ab imperfectione possit purgari; quod quidem in subsistentia specialiter militat, cum potius ex eo, quod subsistentia reperiatur in divinis, ad subsistentiam in creatis admittendam minuducamur, quã ècontra. Nunc probatur minor: quia in primis subsistentiæ relativæ cum virtualiter distinguantur à natura divina, non sunt totalitas eo modo, quo totalitas in Deo compositionis potest resultare. Deinde subsistentia absoluta, si admittatur, aut etiã distinguitur virtualiter à natura, aut si non, saltim virtualiter distinguetur à relativis subsistentijs, atque etiam à non paucis attributis absolutis; non ergo erit totalitas: in divinis ergo subsistentiæ in totalitate non consistunt.

3489 Fatetur P. Franciscus à Spiritu Sancto, subsistentias divinas in totalitate non consistere; vnde nescio, quid respondere possit: assignare namque diversum conceptũ subsistentiæ in creatis, atque in divinis, nescio quo iure, quovè fundamento possit; si vero aliquis difficultate oppressus dicat, quod etiã in divinis subsistentia in totalitate consi-

consistit; quia, cum natura divina à nulla subsistentia divina sit distincta realiter, & quælibet divina subsistentia ob suam infinitatem contineat eminenter ea prædicata divina à quibus virtualiter distinguitur quælibet illarum totalitas dici potest. Contra est: quia hac ratione non minus totalitas dici potest in divinis volitio, omnipotentia, sanctitas, misericordia, & cætera attributa: & tamen ista omnia, prout à reliquis virtualiter distincta, non dicuntur subsistentiæ rationem habere ob eum totalitatis modum: ergo quia in ea totalitate ratio subsistentiæ non consistit: vnde si subsistentiæ divinæ eam habent, non id est, quia ad formalem subsistentiæ conceptum vllatenus pertineat.

3490 Dices tamen primo, in divinis personam constitui talem per repugnantiam identitatis: cumque divina natura, secundum se talem repugnantiam non habeat; siquidem potius dicit, & exigit identificari cum tribus personalisatibus divinis, hinc est, quod ipsa non sit personata per se, sed opus habet, quod personetur ab illa realitate, cum qua identificata exigit non amplius identificari cum alia eiusdem rationis. Secundo respondebis, quod quamvis personalitas in creatis nihil positivum importet à natura distinctum realiter; in divinis tamen importat positivum aliquid à natura distinctum formaliter. Et ratio est; quia natura divina secundum se precisse perfecte individua non est, cum sit communicabilis: sicut ergo singularitate cuiusque personæ vltimo, & perfecte individuatur, ita etiam in ratione personæ constituitur. Ex his duabus responsionibus primã præbet N. Franciscus à Spiritu Sancto in tract. de Incarnatione; secundam vero P. Christophorus de Ortega *in disp. proæmiali ad tractatus de Trinitate, & Incarnatione q. 2. certam. 6. num. 6.* Defendit namque sententiam eandem, ac N. Franciscus à Spiritu Sancto existimans tamen eam adeo cõmunem, vt etiam Scotum, & Scotistas omnes eam tueri dicat, non quia eam cum Scoti sententia, prout communiter explicatur coincidere velit; sed quia potius Scotum & Asseclas ita explicandos, vt cum sua sententia coincidant, existimet. Sed in primis responsio Christophori non differt, nisi in verbis à responsione nostri Franciscj; nam inquiro ab Ortega natura divina cur perfecte individua non est? Non ne quia singularis non sit, & in plures naturas divinas multiplicabilis? Minime; id enim falsum omnino est; quia natura divina non minus est singularis adhuc secundum se, & à personis præcisa, quam natura humana Petri: tantum ergo dici potest, quod non est perfecte individua; quia etsi logice vnica, in multiplicabilis, & singularis sit, physice tamen est communis, quia pluribus divinis personis est realiter identificata, in qua communitate consistit non repugnantia identitatis, ra-

tione

tione cuius excluditur à nostro Fran-ciseo à Spiritu Sancto à ratione personæ.

3491 Supposito autem quod duplex data responsio potius vna, quam duplex, sit, vtramque simul facilè impugno, nam iuxta eas natura divina in re subsistit per tres subsistentias relativas; ita tamen, vt eis relativis subsistentijs competat cõceptus subsistẽtiæ vt sic, prout à nobis assignatur, & non competat illis prout assignatur à prædictis DD. ergo prædictæ evasiones non effugiũt nostræ impugnationis vim; sed potius eam confirmant, dum ex vna parte ita ponunt in divinis subsistentiam vt oportet ad nostram sententiam defendendam, & ex alia rationem cur conceptus subsistentię aliter in creatis, ac in divinis sit constituendus non assignant. Antecedens probatur: quia, quod natura divina sine relativis subsistentijs non subsistat, & subsistat per illas, quid aliud est, quam subsistere per realitatem formaliter distinctam, per quam natura divina vltimo cõpletur, & redditur incommunicabilis: sed iste conceptus est, quem nos intendimus, & quem destruere contendunt Ortega, & noster Franciscus: ergo iuxta evasiones positas subsistentijs divinis relativis convenit subsistentię conceptus à nobis assignatus.

3492 Quarto respondebis iuxta Lynceum, quod totalitas realiter à natura est distincta: vnde quod subsistentia sit totalitati identificata, potius arguit, quod sit à natura distincta, & consequenter, quod potuerit verbum assumere naturam, non assumpta subsistentia. Sed contra est: quia quamvis hoc modo salvetur optime distinctio naturæ à subsistentia, quam in præsenti intendimus, tamen primo falsum est, quod totum à suis partibus, quæ natura dicuntur distinguatur. Et deinde, quod à natura distinguatur, & simul sit subsistentia, potius auget difficultatem, cum ex eo peior consequentia inferatur, quam ex indistinctione subsistentiæ à natura; infertur namque, vt dicebamus num 1589. Christum non esse hominem, quod non minus absurdum videri debet cuivis Catholico, quam eius humanitatem retinere propriam subsistentiam; non ergo rectè absurdum nostræ rationis hac doctrina vitatur, cum incidatur in maius aliud per eam.

Soluuntur argumenta.

3493 P. Franciscus à Spiritu Sancto suam sententiam præcipuè probat authoritate Conciliorum, & SS Patrũ. Primo ergo ex ipso obijcies plures D. Thom. authoritates; prima earum est *ex 3. part. quæst. 2. art. 2. ad 3.* Secunda *ex eadẽ quæst. art. 3. ad 2.* Primam silebo, quia vtraque eandem vim, & difficultatem habet, eandemque pariter explicationem: ait igitur *in eo art. 3. ad 2.* dicendum: *Quod hypostasis significat subsistãtiam particularem,* non

non quocumque modo, sed prout est in suo complemento. Secundum vero quod venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus, vel pes, & similiter humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis; quia tamen venit in vnionem cuiusdam completi, scilicet totius Christi, prout est Deus, & homo, non potest dici hypostasis, vel suppositum, sed illud completum, ad quod concurrit, dicitur esse hypostasis vel suppositum. Tertia authoritas D. Thom. est *ex 3 sentet dist. 6. qnæst. 1. art. 2. ad 5* vbi aitad 5. *Dicendum, quod hoc, quod facit coniunctum ex anima, & corpore esse hominem non est præter animã & corpus, & vnionem aliquid positivum; sed ex hoc ipso, quod ipsum compositum ex anima, & corpore non adiungitur alteri substanti in natura composita, sequitur, quod coniunctum sit homo. Vnde, etsi Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret; ex hoc ipso esset homo illud coniunctum.* Clarè ergo D. Thom. in his authoritatibus in totalitate ponit subsistentiam, tum ex eo, quod humanitas in Christo sit eius pars, non subsistat, & ex eo, quod dimissa est totum, subsistere existimetur.

3494 Respondeo ad primam, & secundam authoritatem, quarum primam siluimus, quia diversis paululum verbis idem continet, quod secunda, in illis intendere D. Thom. quod nihil, quod habet rationem partis, possit dici hypostasis, & consequenter, quod talis non dicatur in Christo humana natura. Hoc nos fatemur libenter: partes namque probabile est non subsistere proprijs subsistentijs, sed subsistentia totius: sed dato adhuc, quod subsistant, non possunt dici hypostasis, quia hypostasis, vt explicuimus num. 3478. sumitur pro supposito, aut etiam pro suppositalitate, & vt ibidem notabamus, quamvis partes dici possint subsistentes, dici non possunt suppositæ, vel personæ. Ad tertiam D. Thom. authoritatem, quæ difficilior est, respondeo mentem Præceptoris Angelici esse in homine, seu in humanitate, vt detur suppositum, quod dicitur homo, non inveniri aliquid aliud ad essentiam hominis pertinẽs, præter materiam, formam, & vnionem; quod autem suppositum hominis non solum in eo coniuncto consistat, sed præterea in subsistentia, ex eis resultante, credo non est contra mentem Præceptoris Angelici: quia non dicit, quod si non vniatur alteri suppositato, consistat homo in eo coniuncto, sed quod sequatur illud coniunctum esse hominem: quod quidem contingit, quia si illud coniunctum nõ vniatur suppositio verbi (& idem est, si modo à verbo dimitteretur) resultat personalitas, sive subsistentia, qua ipsum coniunctum dicitur homo, vtpotè existens in suo complemento, quod est sua subsistentia.

Quod

Quod autem perpendit Franciscus à Spiritu Sancto D. Thom. loqui formaliter, dum ait: *Ex hoc ipso, quod dimitteretur à Verbo humanitas esset homo*: non premit, quia ly *ex hoc ipso*, non indicat, vt ipse existimat, eam esse precisse rationē formalem, sed potius inde sequi: ista enim videtur esse vis illius præpositionis *ex*.

3495 Alias affert prædictus P. authoritates, tum Concilij Ephesini, tum SS. Patrum, quas dicit haberi in veterum Patrum nova Bibliotheca, quarum aliæ indicant ad hypostasim requiri, quod natura non sit pars, quod nos fatemur in explicatione authoritatis 1. & 2. D. Thom. Aliæ autem solum indicant humanitatem Christi non subsistere propria subsistentia, quia verbo est vnita; hoc commentatur prædictus P. eo quod tunc sit pars, & amittat totalitatem dicens habituram subsistentiam, si non vniretur, quia totalitatem retineret; sed ego easdem authoritates commentor, quia dum humanitas vnitur verbo, per illud subsistit, & impeditur eius subsistentia propria, quæ pullularet, si non esset illi vnita; nostra ergo interpretatio eo est eius interpretationi præferenda, quo communi sensui, & communi sententiæ conformior. Aliæ denique authoritates, id omne assumptum fuisse à verbo adstruunt, quod Deus in nobis plantaverat: omneque curabile assumptum fuisse: Christumque nobis per omnia similem esse, peccato excepto, vnde cum humanitatis subsistentia non fuerit à verbo assumpta, infert prædictus P. eam nihil positivum esse naturæ superadditum. Dicendum tamen est ad eas authoritates, verbum assumpsisse, quod Deus in nobis plantaverat, id est, integram naturam humanam, corpus videlicet, animam & vnionem; non vero subsistentiam, quāvis sit entitas positiva, quia non est essentiale illius constitutivum; sed terminus, & complementum illius, quod adhuc divinitus per aliam subsistentiam, sive creatam, sive increatam nequit terminari. Hinc Christus nobis est similis, excepto peccato; quia eadem specie natura, quæ in nobis propria terminatur subsistentia, terminatur in Christo subsistentia verbi. Nec oportuit, vt curaretur subsistentia, quod ipsa assumeretur; quia non subsistentia, sed natura contraxit infirmitatem: vnde sola natura est curabilis, sicut sola illa est assumptibilis.

3496 Objicies ergo tertio pro Scoti sententia: humanitas Christi habet quidquid positivum habet humanitas Petri: sed non habet subsistentiam: ergo ista in nullo positivo consistit. Consequentia est recta, minor de fide, & maior probatur: si non haberet illa humanitas omne positivum, quod habet humanitas Petri, esset violenta: cum enim sit eiusdem speciei, ac Petrus, idem quod Petrus naturaliter postulabit; cumque Petrus naturaliter petat eam enti-

entitatem, quam nos subsistentiam vocamus, eandē exiget Christi humanitas; cumque eam non habeat, violentiā patietur; ne ergo hoc dicamus, dici melius est Christi humanitatem omne positivum habere, quod habet humanitas Petri; solumque carere propria subsistentia, quia aliquo negativo caret, ac proinde subsistentiam in negatione consistere. Respond. tamen negando maior. ad cuius probationem respondeo primo, concedi posse sequelam, & dici humanitatem Christi esse violentam cum carentia subsistentiæ propriè, sed esse violentiam felicem tali dono compensatam. Secūdo respondeo negando sequelam, quia etsi petat propriam subsistentiam, & ea careat, habet tamen vice illius perfectionem aliam perfectiori modo eius munus gerentem, quod sufficit, vt violentiam non patiatur.

3497 Iam pro Lync. obijcies quarto: subsistentia est totum, sive, totalitas ex materia, & forma resultans: ergo non entitas incōpleta ab ipso toto, vt nos intendimus, distincta. Antecedens probatur primo: quia totum resultans ex corpore, & anima rationali, est homo: at non potest esse homo, quin persona sit, & subsistat: ergo illud totū per se ipsum est subsistētia. Maior constat: quia illud totū est animal rationale: ergo & homo. Secundo probatur idē anteced homo definitur, quod sit cōpositum ex corpore, & anima: ergo homo in composito ex illis salvatur, quin superaddi debeat distincta subsistentia. Tertio prob. quia subsistētia est, quæ sustentat quidquid est in composito: sed totum est, quod omnia sustentat: in eo nāque sunt partes tam essentiales, quam accidentales: ergo totū ipsum est subsistentia. Quarto prob. idem anteced. subsistentia in Angelis non distinguitur à natura, & in homine, & alijs compositis ab ea realiter distinguitur: cuius alia esse ratio non potest nisi, quod consistat in totalitate, quæ in Angelis non distinguitur à natura; in cōpositis vero rebus ex materia, & forma ab eius natura realiter distinguitur. Quinto idem prob anteced. quia vt est in communi proloquio, actiones sunt suppositorū: sed actiones partium toti tribuuntur, & dicūtur totius actiones: ergo totum, & suppositū idem sunt, ac proinde subsistētia, sive suppositalitas nō distinguitur à toto. Sexto eandē prob. illud anteced. quia persona definitur à Boetio *quod sit rationalis naturæ individua substantia*; sed totum ex materia, & anima rationali resultans est rationalis naturæ individua substantia: ergo illud totum est persona & suppositum, ac proinde subsistentia ab eo est indistincta.

3498 In primis hoc argumentum supponit dari totum realiter à partibus distinctum, & in eo intendit subsistentiam consistere. Quod autem falso supponat tale totum distinctum dari, probatum est à nobis in physica disp. 1. q. 20. Vnde in toto distincto subsistentia nequibit

cõsistere. Sed in indistincto cõsistere ipse Lync. repugnat; in nullo ergo consistiet toto. Quia tamen aut totũ distinctum disputationis gratia admitti potest, aut aliquis alius potest aliquas ex probationibus positis assumere in favorem totius indistincti, respondendum est ad argumentum negando antecedens. ad cuius primam probationẽ resp. totum quod à materia, & anima rationali resultat, hominem esse, quidquid sit de eius à partibus distinctione: tamen non quia in ipso toto subsistentia consistat, sed quia in eo salvantur hominis partes essentiales, & etiam resultat subsistentia distincta, qua in ratione hominis constituitur, ea tamen secluſa, non erit homo, si accipiatur eo rigore, quo communiter homo pro supposito accipitur, erit tamen homo, si non tanto rigore pro *animali rationali* accipiatur, etsi non vltimo per subsistentiam completo, in hocque vltimo sensu potest esse homo, & animal rationale, quin persona sit, & subsistat, non tamen in primo. Ad secundam probationem resp. hominem definiri per corpus, & animã, quia in eis eius essentia consistit, si sumatur specificative; si autem reduplicotive, vt suppositum, ab aliquo accipiatur, etiam subsistentia distincta definitionem debet intrare quia illius, sic sumpti, est etiam pars essentialis.

3499 Ad tertiam antecedentis probationem resp subsistentiam potius à partibus substantialibus sustentari, aut eas terminare, quam sustentare eas. Nec obstat, quod videatur nomen ipsum indicare, quod eas sustentet, tum quia sæpe verum est dictum illud: *Aliud est à quo nomen imponitur; & aliud, ad quod significandum imponitur*: tum quia dici potest eas sustẽtare logice, quatenus in cõcreto significatur, vt partes habens ipsa subsistentia: vnde maior probationis est neganda. Ad quartã in primis iudicãt aliqui impossibilem esse naturam creatã, quæ realiter à sua subsistentia distincta non sit; qui tamen eam possibilem admittunt, dubitant, an de facto detur, & videtur probabilior, & communior pars negativa, vt videri potest in Oviedo, & Henao. Dato tamẽ, quod in Angelis non distingueretur, eius ratio non esset, quæ in probatione affertur, sed quia, sicut Angelus caret compositione ex materia, & forma, careret etiam compositione ex natura, & subsistentia, cum tamen homo habeat vtramque.

3500 Ad quintam antecedentis probationem resp. suppositum supra totũ ex materia, & forma compositum, addere subsistentiam; actiones ergo proprie tribuuntur suppositis, improprie tamen totis, quatenus in ipso supposito includuntur, non tamen proprie; non enim dicimus, actiones esse totorum. Ad vltimam resp esse verum quod persona sit naturę rationalis individua substantia, sed intelligendum de substantia individua cõpleta, non de incompleta, cum nec Adversarius velit, quod

anima sit persona; sic ergo intellecta non convenit toti, quia etsi totum sit magis completum, quam anima; tamen à subsistentia separatum non est omnino completum, ideoque non est persona: totum autem iam per subsistentiam completum est persona; ita tamen, vt subsistentia complens sit forma huius concreti *persona*; natura autem totalis per eam completa sit substractum, sive subiectum.

QVÆSTIO IV.

Quis sit effectus formalis subsistentiæ?

3501 DE Effectu formali primario subsistentiæ procedit hæc quæstio, & consequenter de conceptu formali illius: cum enim forma quævis seipsa constituat effectū primarium, nec conceptus formalis potest explicari, non explicato effectu formali, nec ipse, quin formalis cōceptus formę explicetur. Diximus igitur quæst. præced. subsistētiam realiter, & tanquam quid positivum, & incompletum à natura distingui; nunc quid ea sit, quemvè effectum naturæ præstet indagare curamus. Est tamen hoc difficillimum, vt omnes fatentur, & varietas sententiarū indigitat, & ex hac difficultate arripuit Lync. validum argumentum ad impugnandā subsistentiam incompletam à toto, sive totalitate distinctā, quam statuimus nos quæst. præced. sicque *in Metaph. lib. & tract. 3. cap. 2. num. 7.* contra eam argumentatur. Quotiescumque alicuius formæ effectus formalis repugnat, talis etiam forma repugnat; sed nullus potest assignari effectus formalis subsistentiæ, quæ entitas incompleta sit, qui non repugnet: ergo talis subsistentia repugnat. Minor, inquit ipse, suadetur, & obiter ostenditur in quo Authores huius sententiæ in ea explicanda differant.

3502 Quod etenim aiunt Caietanus, Ferrara, & alij Thomistæ subsistentiam esse mediam inter essentiam, & existentiam, atque ad hanc illam præparare; falsum est primo: quia cum essentia non distinguatur ab existentia, non indiget, nec capax est præparatione ad illam. Secundo quia subsistentia peculiarem modum existendi naturæ præberet: ergo subsequitur potius ad existentiā, quam ad eam præparet. Patet consequentia: quia prius est existere absolute, quod ab existentia præstatur, quam tali modo existere, quod præstare debet subsistentia. Quod etiam secundo complures Theologi, præsertim Thomistæ, docent effectum formalem subsistentiæ esse complere naturam ad operandum, etiam falsum est: tum quia accidentia sine tali entitate sunt operativa: immo & sine subiecto, vt patet in Eucharisticis; tum quia anima separata potest operari, & tamen talem non habet iuxta plures subsistentiæ entitatem. Tum denique, quia vt homo potens sit ad

operandū, nullo alio opus habet, nisi quod corpus, & anima inter se vniā. tur, & in vnum per se coalescant.

3503 Iursus tertio, quod P. Vazquez docet 3. p. disp. 31. cap. 6. subsistentiæ effectum formalem esse efficere, vt res sit per se, sive independens à subiecto inhæsionis, falsum etiā est primo, quia hanc perfeitatem, sive independentiā non solum à priori, sed etiam à posteriori essentialiter habet Angelus; cum, ai lato quocūque modo, non possit vllatenus à subiecto dependere: ergo ad hanc perfeitatē non indiget entitate subsistentiæ superaddita Secundo quia anima rationalis separata eam habet etiam independentiam, & tamen subsistentiam non habet, cum persona, aut semipersona non sit, vt alibi in similis ipse Vazquez argumentatur. Tertio denique: quia humanitas Christi eam habet independentiam, cum tamen non habeat subsistētiam propriam. Et si dicas habere independentiam à priori, quæ consistit in actione creativa, non tamen à posteriori, quæ consistit in entitate subsistentiæ. Contra est: quia talis entitas inutiliter ponitur, vt ex dictis nuper constat.

3504 Deinde quare: quod docet P. Suar. disp. 34. Met. sect 4. num 24 effectum formalem subsistentiæ esse vltimo substantialiter complere naturam, impugnatur primo: quia id restat explicandum, quæ scilicet sit necessitas in substantia eius cōplementi, & quid tale complementū sit. Secundo: quia materia per subsistentiam completur, priusquam per formam; ergo non completur per subsistentiam vltimo. Tertio: quia natura divina completur prius origine per personalitates Patris, & Filij, quam per personalitatem Spiritus Sancti; ergo per illas non completur vltimo. Præterea quinto: quod nonnulli docent apud Arriagam disp 4 Metaph. sect. 8 sub sect. 2. munus subsistentiæ esse efficere, vt natura sistat in se, rem non explicat: aut enim ly *sistere in se*, indicat naturam non sistere in alio, quod falsum est, cum natura in supposito à se distincto sistat, & existat. Aut indicat naturam terminari proprie à suppositalitate; hoc autem est idem per idem exponere, ac meris vocibus imponere.

3505 Vlterius sexto, quod alij apud eundem Arriagam docent effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilem, quod etiam insinuare videtur D. Thomas 3. part. quæst. 3. Impugnatur primo: quia natura divina subsistit per subsistentiam Patris, & tamen communicatur Filio, & Spiritui Sancto. Deinde materia propria subsistit subsistentia, & tamen formæ communicatur. Tandem tertio: aut subsistentia reddit naturam incommunicabilem naturaliter, & hoc non: quia illa hanc incommunicabilitatem de se habet; aut diuinitus, & neque hoc, vt statim. Vltimo quod alij

dicunt

dicunt effectum subsistentiæ esse reddere naturam etiam divinitus incommunicabilem alteri subsistentiæ, quę nō sit naturale complementū illius, impugnatur : quia in substantia nulla datur incompleta entitas, quæ eam reddat incommunicabilem divinitus accidentibus, quæ non sunt naturale complementum illius : ergo neque dari debet entitas eam sic reddens incommunicabilem substantijs, quæ eius complementū naturale non sint. Antecedēs constat : quia alias, cum homo ad dona gratiæ elevaretur, oporteret perdi in illo eam entitatē; quod autē ea deperdatur ridiculum proculdubio iudicandum est. Hucusque Lynceii argumentum ab eo, si non ad vnguem, ad sensum omnino transl. tū: volui enim eius augere brevitatem, etsi fieri id non ignorem cum dispendio venustatis. Ecce argumentū, quod non solum Lynceus, sed etiam alij nobis adversarij in sui sententiæ favorem possunt accommodare.

3506 Respondeo tamen ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem frustrandam sufficiet, si aut aliquem ex modis dicendi impugnatis, probabilitate non carere substineamus, aut alium probabilitate non carentem inveniamus. Igitur circa primum modum assignandi effectum subsistentiæ, notandum, quod contra Caiet. & Asseclas sentiunt non pauci Thomist. cum Gapreol. *in* 3. *dist.* 5. *q.* 3. *a.* 3. Palud *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Deza Archiep. Hisp. *in* 1. *d.* 4. *sect.* 2. & alijs, quos novissime sequitur M. Aguirre *in præsenti disp.* 7. Aiunt ergo prædicti subsistentiam ad existentiam minime præparare; sed potius ab ea nequaquam distingui. Sed certè prima Lyncei impugnatio contra Caietanum facta, etiam Thomistas prædictos contra Caietanum militantes debellat. Si enim existentia ab ea essentia non distinguitur : vt supra à nobis probatum est, non solum non poterit subsistentia ad existentiam præparare, vt optimè Lynceus, verum neque poterit cum eadem existentia identificari; alias etiam ipsa subsistentia ab essentia non distingueretur. Præterea, si admittamus distingui existentiam ab essentia, adhuc sententia Capreoli impugnari potest ex eo, quod, si subsistentia ab existentia non distinguitur, humanitas Christi subsistens subsistentia verbi, etiam existeret existentia verbi; cumque hæc iuxta Capreolum ipsum, & alios Thomistas cum prædicto Magist. Aguirre *citat. disput.* 7. *sect.* 3. *num.* 49 sit absoluta, existeret vtique humanitas Christi per existentiam divinam absolutam: quod admitti non debet, alias existentiæ absolutæ esset immediate vnita.

3507 Secundum deinde dicendi modum benè Lynceus impugnat. Tertium verò inefficaciter ab ipso impugnari credo; eius namque impugnationibus existimo probabiliter posse fieri satis ex Echalaz eum defensante *in Metaphysic.*

disput. 6. cap. 2. Quare ego aliter eum dicendi modum impugno: quia forma materialis iuxta Echalæ propriam habet subsistentiam, & tamen à materia dependet, vt ab inhæsionis subiecto; ergo effectus formalis subsistentiæ non est reddere substantiam ab inhæsionis subiecto independentem. Minor, in qua est difficultas constat ex à nobis dictis in hac *disputat. quæst. 1.* quidquid enim disparitatis inter illam, & formam accidentalem potest assignari facilè ex ibi dictis ad petitionem principij, & vitiosum circulum reduci poterit.

3508 Circa quintum modum, quarto omisso, etsi non multum vrgeant Lyncei impugnationes, dico eum explicari optimè probabiliter; quod enim dicendo munus subsistentiæ esse substantiam terminare, ea parum explicetur, obstat parum: eam enim esse ita reconditam entitatem, vt non possit aliter explicari, nec aliud ex ea constet, quam quod substantialiter per modum termini perficiat, probabiliter satis dicitur ab Oviedo, & nostro P. Ildeph à Spiritu sancto: quia fides, qua ducimur, ad eam entitatem subsistentiæ admittendam, non præbet lucem ad amplius eius naturam, & formalem rationem explicandam. Præterea, etsi sextus modus dicendi in aliquo deficiat, in vltimo defectus probabiliter emmendatur; nec huius impugnatio eius tollit probabilitatem: quia modo, quo substantia alteri substantiæ ipsam non complenti, incommunicabilis divinitus reddatur, fundamentum adest in incarnationis mysterio quin simile alicubi reperiatur, vt modus detur, quo accidentibus non complentibus sic sit incommunicabilis: nec à rationis paritate deduci potest; cum enim naturaliter minus sit substantia incommunicabilis accidentibus, quam substantiæ, siquidem pluribus accidentibus, quam substantijs communicatur; cur etiã supernaturaliter non dici poterit esse accidentibus minus incommunicabilem, proindeque modo incommunicabilitatis, quem erga substantias habet, carere erga accidentia.

3509 Præter modos dicendi à Lynceo impugnatos, alij afferuntur, & impugnantur ab Oviedo *in Metaph. contr. 6. punct. 3.* & tam ipse, quam Henao *exercit. 8. sect. 9.* Vberius impugnant memoratos à Lynceo, quem sequatur Oviedus constat ex numero præcedenti. Henao vero dicit subsistentiam vltimo complere naturam in ratione substantiæ, ita quod, etsi materia subsistens complebilis sit per formam, non tamen est complebilis per eam qua substantia est, sed qua primum subiectum est. Vnde à subsistentia non tollitur, quod vltimo compleat naturam, qua substantia est. Sed etsi forsan hæc sententia probabilitate non careat, eam ego desero, quia difficile percipitur, quod materia compleatur per formam in ratione primi subiecti, & quod non compleatur substantialiter, & qua sub-

substantia est; nec aliquid potest cogitari in subsistentia, cur dicatur substantialiter complere, seu complere, materiam, qua substantia est, quod si militer in forma nō reperiatur sine disparitate, quę ad rē faciat, etsi nominibus satisfacere videatur.

3510 Dicta sufficiebant pro argumenti positi solutione & aliqua li quæstionis resolutione, cum probabilius multo dicatur quidquid probabile esse in modis memoratis iudicavimus, quam id, in quod incidunt Adversarij, omnes modos mordicus impugnantes, vt ex sententiarum ipsorum impugnationibus constat: tamen vt ex abundanti magis argumētum solvamus, & resolvamus quæstionē, quid noster labor in hac quęstione sit adeptus, aperiemus, etsi non multum re à communioribus dicendi modis discedamus. Igitur existimo subsistentiæ conceptum formalem esse quod sit rei *sistentia, seu terminus, quo res vltimo completa, ab omnique alio independens constituitur.* Consequenterque eius effectus formalis est *rem completā, vltimoque independentem constituere.* Ecce subsistētiam declaratam sine ordine ad substantiam; vt expeditius solvatur argumentum, quod contra nos militabat dum substantiam in ordine ad subsistentiam explicabamus *quæst. 1. huius disp.* Quod autem etiam contra ibi dicta potest nunc objici scilicet, quod cum subsistētia sit tam obscura, & à Philosophis pu tis non admissa, videtur nos malè substantiam per ordinem ad illam declarasse. Responderi potest primo necessarium esse substantiam in ordine ad subsistentiam declarare, & quia subsistētia res est tam obscura, tamdiu forsan substantiæ verus cōceptus latuit. Secundo responderi potest, quod etsi subsistentia distincta, & eius effectus sit res difficilis, & à pluribus ignorata, tamen quatenus necessaria est ad nostrā substantiæ explicationē, clara est: quia nostra substantiæ explicatio non petit quod subsistentia sit distincta, sed à distinctione, & indistinctione prescindit, & effectus subsistentiæ, quem nos ponimus, & si sit obscurus, & difficilis, non hoc est quia ignoretur illum in substantia reperiri, sed quia illum tribui debere subsistētiæ distinctæ est perdifficile, & sola fidei luce, & non parvo labore consequibile.

Soluuntur argumenta.

3511 Contra nostram subsistentiæ explicationem aliquomodo militare possunt ea, quę Lynceus contra tertium, & quartum modum dicendi objiciebat supra n. 3503. & n. 3504. Ad primum ergo contra tertium modum Respondeo permittendo Angelum, ablato quocumque modo, sive entitate, habere independentiam ab alio, tanquam à subiecto inhæsionis, quam ille modus dicendi tribuebat subsistentiæ, negando tamen habere omnimodam independentiam, quia per-

ſeipſum non eſt independens à ſuppoſito, ſeu ſubſiſtentia, ſed potius per ſeipſum exigit ſubſiſtentiam propriam, à qua dependeat, & quam ſi non haberet, poſſet dependere ab alio: vnde per ſeipſum poteſt dici omnino independens, quatenus radicat ſubſiſtentiam, per quam independens eſt; non tamen perſeipſum præciſe, & formaliter. Ad ſecundam impugnationem reſpondetur negando, quod anima rationalis ſeparata non habeat propriam ſubſiſtentiam. Et ad tertiam concedendo Chriſti humanitatem per ſeipſam non dependere ab alio, vt à ſubiecto inhæſionis, benè tamen vt à termino, vt dicebamus ad primam. Permiſimus tamen ad primam reſpondendo impugnationem naturam Angelicam per ſeipſam eſſe ſedependentem ab alio, vt à ſubiecto inhæſionis: eam namque independentiam non habere à ſeipſa formaliter, ſed ſolum radicaliter optimè defendit Echolz *in Metaphyſica diſputat. 6. cap. 2.* Quapropter non inde, ſed aliude illius impugnavi ſententiam.

3512 Deinde ad primam quarti modi dicendi impugnationem reſpondetur neceſsitatem ſubſtantiæ, vt per ſubſiſtentiam compleatur, conſtare ex myſterio incarnationis: quid autem ſit tale ſubſiſtentiæ complementum à nobis numero 3510. explicatum eſt, modo, quo res tam abſtruſa permittit explicari. Ad ſecundam impugnationem conſtabit inferius, dum materiæ ſubſiſtentiam tribuimus. Ad tertiam denique reſpondetur vltimitatem ſubſiſtentiæ in ratione complementi, & termini in creatis eſſe abſolute, & ſimpliciter intelligendam: in divinis autem intelligendam eſſe ita, vt quidquid eſt ſubſiſtentia ſit vltimum comparative ad ea, quæ non ſunt ſubſiſtentia, non tamen comparative ad aliam entitatem, quæ etiam ſubſiſtentia ſit: hanc enim diſparitatem petit divinæ naturæ fecunditas, vt tribus relativis ſubſiſtentijs terminetur.

QVÆSTIO V.

Quibus entitatibus competat ſubſiſtentia, & an dentur in compoſito ſubſtantiæ partiales.

3513 DE Conceptu ſubſtantiæ eſſe radicare ſubſiſtentiam diximus *in huius diſputat. qnæſt. 1.* Vnde omnis ſubſtantia eam radicabit, ac proinde per eam ſubſiſtet, & conſequenter in homine exempli gratia: non ſolum ſubſiſtet materia, aut forma, ſed vtraque, & præterea vnio eſſentialis vtriuſque, atque etiam omnes vniones integrales, cum omnia iſta ſubſtantia ſint. Proprium eſſe cuiuſcumque ſubſtantiæ radicare ſubſiſtentiam, cum in eo poſita ſit eius eſſentia, ſolum à poſteriori cõſtare poteſt, & *ſit. q. 1.* aliquam à poſteriori huius indi-

indicavimus rationem. Nunc autem vt & quod hic dicimus, & quod diximus ibi magis confirmetur, iterum omnes relatas entitates subsistere sic coniectamus. Id subsistit in homine subsistentia hominis propria, & connaturali, quod in humanitate Christi subsistit subsistentia Verbi: sed in humanitate Christi subsistit subsistentia Verbi materia, forma, vnionesque omnes substantiales illius: ergo omnia ista in puro homine subsistunt propria, & connaturali subsistentia. Maior cõstat: quia subsistentia Verbi loco propriæ fuit subrogata, & consequenter ea terminat, quod propria subsistentia terminaret, si adesset. Minor autem probatur: quia à Verbo Divino assumpta est humanitas secundum se tota & consequenter secundum se tota est Verbo terminata; sed humanitas secundum se tota claudit formam, materiã, vniones que omnes: ergo omnia ista fuerunt Verbo terminata.

3514 Supposito ergo iam, quod omnia entia substantialia subsistentia terminentur, non minus certum est, quod nullum accidens ea terminetur: omnes enim effectũ formalem, quem præstare existimãt subsistentiam, in sola substantia reperiri credunt: ratio verò potissima, quamvis minus à priori est, quia subsistentiam solum agnoscimus ex fide mysterij incarnationis, ex qua tantum constat in homine reperiri subsistentiam, & à paritate deducimus illam in alijs compositis substantialibus reperiri ob rationis paritatem: cumque hæc rationis paritas non inveniatur in accidentibus, sed potius disparitas, in eis credendum est subsistentiam nequaquam reperiri.

3515 Sed maior difficultas est, an omnes partes compositi substantialis, quæ vtique, vt vidimus, subsistentia terminantur, vnica terminentur subsistentia; an vero pluribus? sentiunt enim aliqui subsistentiam totius esse simplicem, & partibus non correspondere subsistentię partes. Alij vero existimant partibus compositi partes subsistẽtiæ correspondere, non tamen subsistentias partiales: dicunt enim (& in hoc recte) bene stare subsistentiam componi ex partibus, quæ dici possint subsistentiæ partes, & nõ subsistentiæ partiales: sicut homo componitur ex partibus, quin illæ sint homines partiales; qui vero vnicam ponunt subsistentiam diversimode etiam philosophantur, iam illam appropriantes materiæ, iam formæ, quorum diversitatem longum esset recensere. Quapropter ad rem accedens.

3516 Dico resolutorie: subsistentia totalis, qua subsistit totum, componitur ex pluribus partialibus subsistentijs, quæ singulis eius partibus, & vnionibus correspondent: quod est dicere vnamquamque ex partibus, & vnionibus suam partialem subsistentiam habere. Probatur conclusio: Verbũ Divinũ vnitũ fuit humanitati Christi, ita vt singulis par-

partibus, & vnionibus vniretur per singulas inadęquatas vniones, & nō omnibus per vnā adæquatā, & simplicem: ergo singulę subsisterent per proprias, & partiales subsistentias, si à Verbo non assumerentur. Consequentia constat: quia cum subsistentia distincta humanitatis inferatur ex terminatione immediata subsistentiæ Verbi, ex terminatione propria, & immediata vniuscuiusque partis, vnamquamque propriā, & immediatam subsistentiam habituram deducendum est. Antecedens autem probatur de materia, & forma: namque in triduo mortis Christi Verbum erat vnitum materiæ, & formæ illius per vniones distinctas: ergo & ante mortem, & post resurrectionem: alias namque, si per vnā vnionem ante mortem vtrique vniretur, hæc vnio esset in morte destructa, & duæ ad materiam, & formam productæ, iterumque in resurrectione destructæ, & alia productæ; quod sine vrgenti fundamento dicitur, & parum consonat Patribus apud Henao *exerc. & sect.* 8. *n.* 48. ne ergo hoc dicamus dicendum potius ab initio Verbum eis vnitum fuisse per partiales vniones.

3517 Secundo de vnione essentiali inter materiam, & formam probatur idē antecedens, quia vnio, qua Verbum fuit vnitum illi vnioni, destructa fuit in triduo mortis per eius vnionis destructionem: sed non destructæ fuerunt vniones ad materiam & formam: ergo quia per diversam, & partialem vnionem vniebatur vnioni, quam materiæ & formæ: quod enim potest cogitari, quod per vnionem, qua vniebatur materiæ, aut per eam, qua formæ vniebatur, vniretur vnioni, nemo potuit indicare. Deinde, destructa vnione, erat necessarium, quod vnio Verbi terminata ad ipsam, quamvis simul ad materiam, aut ad formam terminaretur, destrueretur, & produceretur alia ad solam materiam, vel formam terminata: quia vnio terminata ad plura extrema, vno tantum eorū deficiente, perit, cumque hoc minus sit consonum rationi, & Patrum authoritati, dicendum non est, sed potius vnionem etiam per distinctam partialem vnionem Verbo terminari.

3518 De partibus integrantibus, earumque substantialibus vnionibus non minus certum est antecedens *num.* 3516. propositum: quia si eæ vnam, simplicemque Verbi vnionem terminarent, quotiescumque humanitas novam partem, ac novam vnionem integralem acquireret, aut perderet, illa simplex vnio destrueretur, & alia de novo produceretur, ac proinde infinities vniones transmutatæ fuissent: similiterque in nobis transmutaretur subsistentia, quod, cum magis adhuc incredibile sit, quamquod *num. præcedenti* inferebamus, securius negandum est, ac proinde dicendum quod omnes partes, & vniones integrales in Christo terminant partiales vniones, in nobisque partialibus subsistentijs

ter-

terminantur. Secundo præterea probatur conclusio: quia magis consentaneum rationi videtur, quod subsistentia sequatur ad quamlibet substantiam, eique proportionetur, si in oppositum vrgens ratio non inveniatur, cum subsistentia substantiã ab accidenti discernat, & quælibet, etsi partialis substantia ab accidentĩ diversa sit; sed nullum vrgens fundamentum reperitur, quod destruat hunc modum philosophandi; eæ ergo subsistentiæ partiales, quas nostra conclusio adstruit admittendæ sunt. Minor in qua est difficultas solutione argumentorum cõstabit.

Soluuntur argumenta.

3519 Obijcies primo: ex mysterio incarnationis non possunt deduci subsistentiæ partiales: ergo male inde præcipue eas deducimus. Antecedens probabis primo; quia subsistentia Verbi, quæ omnes terminat partes humanitatis, est indivisibilis: ergo inde potius deduci debet omnium partium subsistentia indivisibilis. Secundo probatur idem antecedens, quia cum forma humanitatis Christi sit rationalis, ex eo, quod illi sit vnitum Verbum per vnionem partialem, ad summum deducitur, quod illa subsistat à Verbo relicta per partialem subsistentiam; non tamen, quod similiter subsistant formæ materiales.

3520 Respondeo negando antecedens; ad cuius primam probationem respondeo subsistentiæ Verbi repugnare divisibilitatẽ, non tamen subsistentiæ creatæ. Vnde nõ ex indivisibilitate illius huius debet colligi indivisibilitas, sed ex divisibilitate vnionũ illius. Etsi enim ex sola vnionum divisibilitate argumentum efficax non desumatur ad divisibilitatem in ipsa subsistentia creata, bene tamen ex illa modo, quo de facto datur; vt nostram rationem perpendenti planum fiet. Ad secundam probationem respondeo Verbum Divinum non solam animam assumpsisse, sed etiam formã materialem: tum quia assumpsit sanguinem, quam multorum probabilis sententia tenet anima non informari; tum, quia, admisso, quod anima informetur, tamen ea non informabatur in triduo mortis, atque etiam est satis probabile, quod forma cadaverica fuerit in illo triduo assumpta; & adhuc quidquid de facto sit de his omnibus, de possibilitamen communis fere omnium sententia est contra Hurtadum potuisse Verbum assumere formam materialem. Vnde potest argumentum nostrum in illa instaurari pari efficacia, consequenterque illud non minus habet vim ad probandam subsistentiam in forma materiali, quam in materia, & forma spirituali.

3521 Obijcies secundo: Anima rationalis separata, quamvis sit ab alio independens, non tamen est vltimo completa; cum vltẽrius sit per subsistentiam materiæ com-

complebilis: ergo non est subsistens, cum non habeat effectum formalē subsistentiæ. Respondeo tamen animam rationalem per suam subsistētiam compleri vltimo in ratione entis incompleti, quod sufficit vt subsistentia dicatur vltimo complere: quia de ratione subsistentiæ entis incompleti solum est, quod in ratione entis incompleti vltimo compleat, non tamen, quod absolute vltimo: id enim solum competit subsistentiæ entis completi.

3522 Sed replicabis: etiam accidens potest dici ens vltimo cōpletum in ratione accidentis, & entis incompleti, & tamen hoc nō sufficit, vt dicatur subsistere: ergo nec sufficiet, quod forma sit completa in ratione entis incompleti, vt subsistens dicatur. Respondeo tamen negando consequentiam; quia etsi admittamus, quod accidens est cōpletum in ratione entis incompleti, non tamen est ab alio vltimo independens, quod præcipue requiritur, vt subsistens dicatur: forma vero substantialis eam habet independentiam. Vnde nihil deficit, vt subsistens dicatur.

3523 Sed vrgebis: forma materialis etiam à materia dependet, & materia in communiori sententia à forma: ergo neutra magis, quam accidens habet independentiam ad hoc, vt subsistentes dicantur, requisitam. Respondeo tamen, quod, etsi mutuo à se ipsis dependeant materia, & forma, ea dependentia est pro priori ad productionem subsistentiæ. Vnde ista producta, neutra vlterius ab aliquo dependet, & sic est verum, quod vtraque per subsistentiam constituatur vltimo ab alio independens. Etsi persistas, quod si forma materialis miraculose extra materiam ponatur, producet propriam subsistentiam, & tamen post illius productionem erit radicaliter à materia dependens, cum illam exigat, & extra illam sit inconnaturaliter. Respondeo tunc etiam vltimo independentē constitui materiam per subsistentiam: etsi enim tunc radicaliter dependeat à materia; tamen actualiter pendet vltimo à subsistentia, cum actu à materia non dependeat. Similiter etiā vltimo pendet ab eadem radicaliter, quia sicuti dicitur pendere à materia, quia petit ab illa pendere, sic radicaliter dici debet pendere vltimo à subsistentia, quia petit, quod ipsa sit id, à quo vltimo ipsa pendeat: non solum enim inconnaturaliter est forma, quia non est in materia, sed etiam quia eius dependentia à subsistentia non est posterior, quam eius à materia dependentia, similique modo discurrendum est de vnione, quæ ab extremis dependet: immo facilius, cum ista in communiori sententia ab extremis essentialiter dependeat, & consequenter in ea ista vltima instantia locum non habeat.

3524 Objicies tertio: si materia haberet propriam subsistētiam, sequerentur duo absurda: primum, quod materia suam produ-

ce-

cerét subsistentiam. Secundum, quod subsistentia materiæ non fuisset à Verbo Divino impedita, sed corrupta: sed ista admittenda non sunt: ergo neganda est subsistentia materiæ. Respondeo negando sequi secundū absurdum, quia materia impedita fuit, ne ex illa emanaret subsistentia non absolute, sed prout in humanitate. Primum autem concedo sequi: nego tamen esse absurdū, quia propria subsistentia est substantiæ proprietas, & sic ea probabilitate, qua dicitur essentiā producere suas proprietates, dici potest substantiam quamvis suā producere subsistentiā.

3525 Objicies quarto: vnio subsistentiæ cum natura non subsistit: ergo nec vnio materiæ cū forma. Antecedens probatur: quia illa vnio non subsistit per se: alias vnio subsistentiæ Verbi create subsisteret: nec per subsistentiem, quam vnit, quia, quamvis ab ea dependeat, tamen non completur per illam, sed potius illam complet nec per aliam subsistentiam distinctam; alias vnionis eius, ad hanc daretur subsistentia distincta, & sic in infinitum: ergo non subsistit. Respondeo distinguendo antecedens: vnio subsistentiæ cum natura non subsistit vt *quod*, concedo antecedens; vt *quo*, nego antecedens, & nego consequentiam. Etsi dicas: ergo saltim vnio materiæ, & formæ similiter vt *quo* subsistet, & non vt *quod*, nego etiam consequentiam; quia vnio subsistentiæ cum sit ipsius subsistē-tiæ communinatio, & via, recte dicitur subsistentia, vt *quo*, & vt *quo* subsistere: cum tamen vnio materiæ, & formæ non sit subsistentiæ communicatio, sed materiæ, & formæ, non potest dici subsistentia, vt *quo*, sed informatio. Vnde cū alias substantia sit, vt *quod* subsistere necessarium est.

3526 Quinto objicies: vnio materiæ cum forma est entitas modalis: ergo nequit esse subiectum subsistentiæ, præsertim si ista sit entitas absoluta, & consequenter non habet subsistentiam propriam. Respondeo nullum esse inconveniens, quod entitas modalis sit alterius entitatis modalis subiectum: immo & alterius absolutæ: quia ad hoc non obstat, quod entitas absoluta sit magis perfecta; cum etiam forma substantialis perfectior, quam materia sit, & tamen in ea subiectetur. Sed præterea adhuc in sententia, quæ defendit subsistentiam non esse entitatem modalem sed realem, videtur probabilius, quod subsistentia vnionis sit modalis, quia subsistentiā vnionis materiæ, & formæ esse vnionem subsistentiæ materiæ, cum subsistentia formæ, & subsistentiam vnionis vnius partis integralis cum alia esse vnionem subsistentiæ vnius partis cum subsistentia alterius, probabilius mihi videtur cum Oviedo *controv. 6. punct. 4. n. 14.* contra Henao *exercit. 8. n. 71.* quia nulla repugnantia videtur, sed potius ad est convenientia in eo, quod eadem entitas, & si subsistentia vnionis duarum partium, & vnio subsistentia-

tiarum partium earuudem. Ad quid ergo amplius multiplicandæ sunt entitates?

3527 Sed dices ex Henao: non apparet cõtradictio in eo, quod materia, & forma subsistãt per alienas subsistentias, & vnio earum per propriam: quod fieri nequit, si propria vnionis subsistentia sit vnio subsistentiarum materiæ, & formæ. Respondeo tamen hanc ipsam posse dici esse casus implicationem, quod propria vnionis subsistentia sit vnio subsistentiarum, quæ consequenter nequit dari, si tales subsistentiæ deficiant; hoc autem etsi, vt iacet, videatur mihi magis credibile; quam oppositum, adhuc confirmo: quia si vnionis subsistentia esset absoluta, præcipue in vnionibus partium integrantium; tam ea, quam illarum partium, deberent esse vnitæ, & iuxta Henao immediatè: ergo per aliquem modum substantialem. Tunc sic: vel ille modus subsisteret per se ipsum, vel per alium distinctum? Si per alium iretur in infinitum: si per se ipsum, absurdius id est, quam quod nos dicimus, cum sic ponatur quidam modus, qui sui solius sit subsistentia; cum nos ponamus modum, qui sui, & alterius distincti subsistentia sit: hoc autem, & non illud recte philosophiæ quadrat.

3528 Sed inquires: An vnio inter partiales subsistentias, seu inter subsistentias partium sit essentialis, an vero integralis? De vnione subsistentiarum partium integrantium, facile intelligitur, quod sit integralis, cum sic proportionetur vnioni ipsarum partium, & in eo nulla sit in oppositũ ratio. Circa vnionem vero subsistentiæ materiæ cum subsistentia formæ, Henao *num.* 70. dicit eam non esse per modum intensionis, nec etiam per modum extensionis, nec etiam per modum actus, & potentiæ, sed præcisse per modum partium penetratarum mutuo perfectibilium. Vnde videtur indicare, nec essentialem, nec integralẽ eam compositionem esse. Oviedus vero *punct* 4. *num.* 17. ait eas non vniri vt partes essentiales, sed instar illarum, & posse dici vniri, vt partes integrales. Ego vero existimo primo cum prædictis non se vnire, vt actum, & potentiam, quia vtraque subsistentia est actus respectu sui subiecti, respectu vero alterius, nec actus, nec potentia. Difficultas ergo est, an sit essentialis eo modo, quo esset illa compositio ex duplici parte, quarum neutra esset materia, neque forma: quam possibilem esse diximus *in physic. disp.* 1. *quæst.* 22. Respondeoque ex ibi dictis numero vltimo eam potius integralem esse, quam essentialem, quia quælibet pars, quoad essentialia, habet idem, quod totum, etsi non quoad integritatem. Quod si totum dicitur suppositalitas, aut personalitas, non ita quælibet pars: hoc non est, quia in essentia differant; sed quia invaluit iste modus significandi: cum etiam, quod vtraque subsistentiæ

tiæ pars dicatur communius subsistentia partialis, quam pars subsistentiæ, præcisse ad eundē loquendi morem reducatur.

QVÆSTIO VI.

An subsistentia sit entitas modalis, vel potius res absoluta?

3529 COMMVNIS satis est sententia inter Recentiores eam esse entitatem modalē. Sic præcipue sentiunt Suar. Vazq. Spin. Echal. Novissime tandem eam tuetur Peinado *lib. 1 physic. disp. 6. sect. 2. n.* 20. Sententiam tamen contrariam defendit Henao *exercit. 8. sect. 4.* 10. pro ea citans Authores, vt iam etiam communis satis dici possit: quam etiam ego vt veriorem amplector. Vt eam, eiusque probationem melius intelligas, adverte ex dictis in physica, præsertim *disp. 3. quæst. 2 n* 1960. entitatem modalem in eo à reali, sive absoluta differre, secundum communem sententiam, quod sit essentialiter alligata subiecto, cuius modus dicitur; connaturalis namque alligatio non potest esse de ratione modi, cum ista etiam pluribus entitatibus absolutis competat. Hoc supposito.

3530 Probatur nostra sententia primo: quia vtriusque sententiæ Doctores fatentur possibilem esse subsistentiam, quæ sit modus, & subsistentiam quæ sit res: ergo potius eam, quæ de facto datur, rem esse dicendum est, quam modum. Probatur ista consequentia primo: minoris perfectionis erit subsistentia, si sit modus, quam si res: sed sine fundamento non sunt minuendæ rerum perfectiones: ergo nec sine speciali fundamento (quod non datur) dicenda est subsistentia entitas modalis. Secundo probatur consequentia illa: quia sicut non sunt admittendæ sine fundamento entitates, quas Deus se solo nequeat efficere; sic nec sunt admittendæ sine fundamento entitates, quas Deus se solo, & sine subiecto nequeat conservare: sed subsistentiam esse modalem est eam sine subiecto nequire à Deo conservari: ergo eam modalem esse admittendum non est.

3531 Ex eodem antecedenti oppositam consequentiā probant adversarij primo: quia cum entitas modalis minus distinguatur, quam realis, & sine fundamento nequeat maior distinctio poni, nequit sine eo poni entitas realis, vbi sufficit modalis. Secundo etiam sine fundamento entitates non sunt multiplicandæ: sed multiplicantur si subsistentia sit realis, cum oporteat, si realis sit, ponere vnionem distinctam, quæ necessaria non erit, si sit modalis. Sed vt nostra probatio firma evadat, suadendū est probationes nostræ consequentiæ firmiores esse, quam consequentiæ ei oppositæ. Suadetur autem primo: quia prima probatio nostræ consequentiæ verisimilis est: prima vero contrariæ nullam vim habet, cum in nostra sententia non sit minor di-

distinctio modalis, quam realis, & sola minoritas reperiatur in vno extremo, quæ potius sine fardamẽto speciali negari debet, quam adstrui. Secunda autem nostra probatio, etiam vincit secundam oppositam; quanto enim minus petit fundamenti minutulam vnionis entitatem multiplicare, quam de summa Dei potestate aliquid detrahere, aut ab ea aliquid subtrahere?

3532 Sed vrgentius adhuc secundo suaderur nostras vincere probationes: quia sicut constat ex fide dari subsistentiam, & videtur nec repugnare, quod ea sit res, nec quod sit modus, atque ad istorum neutrum datur efficax fundamentum; sic ex fide constat dari gratiam habitualem intrinsece sanctificantem, atque admitti debet possibilem esse & gratiam, quæ sit res, atque etiam, quæ modus sit, nec adest argumentum vllum efficax ad statuendum illam esse entitatem absoluram, aut modum: sed in gratia habituali, non obstante vi probationis contrariæ consequentiæ, cõceditur eam esse rem, sive realem, & non modalem: ergo similiter in subsistentia illæ probationes non obstabunt, quominus probationes consequentiæ nostræ efficaces sint. Disparitatem confidenter tribuit huic probationi Spinula *in metaphys. disp. vltim. num.* 17. sed manifeste petendo principium.

3533 Secundo probatur nostra sententia, & præcedens probatio roboratur: tunc tantum admittendum est aliquam entitatem esse modalem, quando, si non dicatur talis, sequetur processus in infinitum: sed si subsistentia non dicatur modalis, sed realis, non sequitur processus in infinitum: ergo nõ est dicenda modalis. Consequentia optima est: maior constat inductione entitatum, quæ communiter modi esse admittuntur: in quibus plane, si modales non essent, processus in infinitum cum fundamento nequiret vitari: atque etiam entitatum plurium, quæ modales non sunt, & tamen nulla ratio poterit eius assignari, nisi quod ex eo, quod reales sint, talis processus nequaquam datur. Præterea eadem maior ab aliquibus saltem adversarijs admittitur, vel saltim permittitur, cum eam desumant, vt contra nos argumententur. Nunc ergo probatur minor: quia si daretur processus infinitus, maxime, quia vnio subsistentiæ debebat subsistere per aliam subsistẽtiam realem, & vnio istius per aliã: sed isto modo non sequitur, quia aut non est certum vnionem subsistere debere, etsi substantia sit: aut si id sit verum, vt nostra tenet sententia, dici potest, vt dicit Arriaga, subsistere per subsistentiam ipsam, quam vnit, vel vt nos dicimus, subsistere per se ipsam, vt *quo* tantum, & non vt *quod* quocumque autem ex his modis vitatur processus: ergo nequaquam talis sequitur processus ex eo quod subsistentia res sit, & non modus.

3534 Adverto tamen quod quam-

quamvis dicamus subsistentiam esse rem, & non modum, intelligendum est id ex conceptu communi subsistentiæ, & plerumque; quod enim aliquando ob specialem rationem modus sit, non negamus, cum diximus supra vnionem subsistentiarum partialium, vnionis partium esse subsistentiam: vnio autem subsistentiarum modus est, non partiū, aut vnionis earum, sed subsistentiarum partialium, quas vnit: vnde vt subsistentia sit modus, non sufficit præcisse, quod sit modi subsistentia, sed quod inveniatur specialiter fundamentum ad modalitatem entitatum desideratum.

Soluuntur argumenta.

3535 Obijcies primo, ex Spinula: subsistentia, sine modo superaddito, recipitur per suam essentiam in subiecto: ergo est modus. Consequentia patet, & antecedens probat: quia subsistentia dividitur in propriam, & alienam; si autē subsistentia, non per se, sed per vnionē distinctam vniretur, nulla esset propria, sed omnes indifferentes ad quamcumque naturam. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem dico, quod, vt aliqua subsistentia sit propria alicuius naturæ non requiritur, quod sit illi essentialiter alligata, aut per suam essentiā vnita, sed sufficit, quod illā à principio, potius quam aliam habuerit, & multo magis, quod illam exigat connaturaliter, etsi per vnionem distinctam ei sit communicanda.

3536 Secundo obijcies ex Echalaz: inhæsio accidentis est modus: ergo & perseitas, sive subsistentia substantiæ. Respondeo negando consequentiam: quia inhæsio, aut cum vnione, aut cum actione eductiva identificatur; vnde non potest non esse modus, sicut ipsa; subsistentia vero est peculiaris entitas habens potiorem rei, quam modi informationem.

3537 Replicabis tamen: sicut accidentis inhæsio identificatur cum vnione, aut cum actione eductiva, quæ modus est, sic etiā subsistentia identificatur cum actione productiva termini substantialis independentes ab alieno supposito, quæ etiam modus est: ergo disparitas est nulla. Replicam istam appono, vt non omittam commemorare sententiam P. Augustini Bernal *disput. 12. de Incarnat. sect. 1.* quam etiam tenet Vbadingus *disp. 4. de Incarnat. dub. & §. 3.* apud Ortegam *supra citata disp. Proœmiali q. 2. certamine 4.* Quam sententiam *quæst. 3. præcedenti* non commemoravi, ne illam prolixiorem redderem. Asserunt ergo prædicti PP. subsistentiam consistere in actione productiva termini substantialis independentis ab alieno supposito. Vnde, quod humanitas Christi propriam subsistentiam non habeat, provenire dicunt ex eo, quod non producitur independenter ab alieno supposito, sed potius dependenter à supposito Verbi

in eorum ñamque sententia quando aliquod extremum alteri præexistenti vnitur, ipsamet vnio, per quam illi vnitur, est actio eius productiva: vnde humanitas, quæ vnione hypostatica Verbo Divino vnitur, eadem vnione producitur: cum ergo ea vnio à Verbo dependeat, fit consequens, quod ab eodem dependeat humanitatis productio, ac proinde ista humanitatem producat dependenter à supposito alieno nempe à divino: vnde eius productio subsistentia non est, esset tamẽ, si Verbo Divino non vniretur; quia tunc esset alia actio non identificata cum vnione ad Verbum, ac proinde ipsam producens independenter à supposito alieno.

3538 Respondeo tamen ad prædictam replicam negando antecedens; falsum est namque, quod subsistentia in actione productiva termini independenter à supposito alieno consistat. In primis enim subsistentia supponit naturam, quã subsistentem reddit; cum vltimo eam compleat, & terminet: sed actio productiva termini non supponit terminum; cum potius illum principiet: ergo differt valde subsistentia ab actione productiva rei independenter à supposito alieno. Præterea humanitas Christi producta fuit actione independente à supposito alieno, videlicet ab ipso Verbo; & tamen non habuit propriam subsistentiam: ergo ista non consistit in productione prædicta. Maior, in qua est difficultas, constat; quia, si productio humanitatis Christi esset à Verbo dependens maxime, quia cum vnione ad ipsum est identificata: hoc autem falsum est; quia nõ est verum, quod vnio cum actione productiva rei, quam vnit identificari debeat; si quæ namque sic identificata deberet admitti, maxime actio eductiva formæ materialis ex materia: sed istam sic non identificari cum vnione probatum est à nobis in physica contra Bernalium ipsum, & alios Neotericos *disp.* 1. *q.* 17. ergo nullam sic cum vnione identificari concedendum est. Tertio denique, vt plura omittã: actio primo productiva humanitatis Petri est diversa in specie ab actione eiusdem conservativa; sed subsistẽtia Petri non est diversa in specie in primo instanti, in quo productus fuit, & in reliquis in quibus cõservatur: ergo subsistentia in actione non consistit. Maior constat, quia actio specificatur ab agente: agens autem primo producens Petrum est Deus, & creatura: conservans vero Deus solus.

3539 Dices tamen pro Bernalij sententia. Personæ divinæ constituuntur originibus, sive productionibus: ergo & creatæ. Sed instо consequentiã primo: Personæ divinæ constituuntur relationibus: ergo & creatæ. Secundo Persona Filij nõ constituitur productione activa filij: ergo persona in creatis non debet constitui productione activa; quod est contra Bernalium. Deinde respondeo, dato antecedenti, de quo

Theo-

Theologi in materia de Trinitate, negando consequentiã; est namque disparitas primo: quia in divinis non producitur natura, ac proinde id, quod producitur, potest illam complere, & terminare, quamvis cũ productione sit identificatum. Secundo est disparitas: quia in divinis productio non est entitas media à producente, & producto distincta; sed ipsum producens est productio activa, & productũ passiva: quæ ergo existis productionibus, sive originibus ad productionem termini creati à producente & producto distinctam consequẽtia?

3540 Quarto objicies subsistentia est vltimus terminus: nõ autem esset vltimus, si non esset modus; quia vltimus esset vnio illius. Respondeo vltimum terminum esse subsistentiam: quia terminatio vnionis non ponit in numero cum terminatione subsistentiæ, sed est exercitium illius, & dici solet terminatio vt *quo*, seu ratio terminandi. Objicies quinto, si subsistentia esset res, non esset purus terminus, sed compars ipsius naturæ. Respõdeo non esse inconveniens, quod subsistentia sit suppositi pars formalis, & consequenter naturæ cõpars; immo cum ipsa natura sit eius causa materialis, ipsa subsistentia creata nõ se debet habere vt purus terminus, sed vt forma modalis in sententia contraria; realis in nostra & quamvis substantialis sit, & ideo possit dici forma substantialis, non tamen istud nomẽ ei adaptatur cõmuniter, etsi possit in sano sensu intellectum; quia illud nomen vsurpatur pro forma substantiali, quæ est actus primus materiæ iuxta dicta *n.* 1603. Sexto objicies: perfectas accidenti divinitus communicata, est modus: ergo & subsistentia substantiæ. Respondeo illã perfectiõẽ, si sic distinctũ aliquid ab actione creativa, esse realem, etsi accidentalem.

QVÆSTIO VII.

Aliqua dubia de subsistentia resoluuntur.

3541 QVIA Nimis prolixũ foret singula, quæ de subsistentia examinanda occurrunt per singulas examinare quæstiones ideo ne cũ præiudicio cæterarum hæc disp. nimis crescat, breviter sunt ea examinanda. Inquires ergo primo, an subsistentia sit comprincipium operationum naturæ. Respondeo negative cum communi sententia. Probatur autem: quia operationes Christi Domini proveniebant à sola humanitate, sine influxu physico subsistentiæ: ergo in nobis operationes etiam procedent ab humanitate sine eo, quod subsistentia, vt comprincipium concurrat, omne enim, quod habet humanitas Christi, secluſa subsistentia Verbi, habet nostra, propria subsistentia secluſa, & præterea sicut subsistentiam creatam dari ex Verbi subsistentia eius supplente defectũ colligimus: sic eam non esse operationis princi-

piũ ex eo, quod hoc munus nõ ſuppleatur à ſubſiſtentia Verbi colligi debet. Antecedens ergo, in quo eſt difficultas, probatur primo: quia opera ad extra SS. Trinitatis ſunt indiviſa, vt fert commune Theologorũ proloquiũ ex Sanct. PP. deſumptũ: ſed ſi perſonalitas Verbi influeret phyſice in operationes humanitatis, non eſſent opera Trinitatis indiviſa, cum illæ operationes aliquomodo phyſice provenirent à perſonalitate Filij, quo non provenirent à Patris, & Spiritus S. perſonalitatibus: ergo dicendum eſt eas operationes phyſice nõ produci à perſonalitate Verbi. Secundo probatur idẽ antecedens quia ſi perſonalitas Verbi influeret phyſice in operationes humanitatis, illæ eſſent phyſice ſpecie diverſæ à noſtris, vtpote dependentes à principio ſpecie diverſo, ſcilicet à perſonalitate Verbi.

3542 Secundo inquires: an ſaltim ſubſiſtentia ſit conditio prævia ad operationes naturæ. Cõmuniter reſponderi ſolet affirmative; placet tamẽ magis negativa reſponſio, quã præbet Oviedo *contr. 6. meth. pũct. 3. n. 16* & alij apud Henao *exerc. 8. n. 44.* quibus ipſe in re conſentit *n. 46.* & eius exiſtimat eſſe mentis P. Suar. Huius autẽ reſponſionis ratio eſt: quia nullũ adeſt fundamentũ ad iudicandũ ſubſiſtentiã rationẽ conditionis prævia ſortiri: ſi autẽ ſine fundamẽto poſſent conditiones aſſignari, vnuſquiſque pro libito aſſignaret innumeras.

3543 Quod autẽ nõ adſit fundamentũ ad aſſerendũ ſubſiſtentiam eſſe conditionẽ ad operationes naturæ conſtabit diluendo ea, quæ cõmuniter adduci ſolent. Primum eſt, quod, ſi ſubſiſtentia non eſſet ſaltim conditio ad operationes humanæ naturæ, potuiſſet Chriſtus ſuã mereri incarnationẽ. Reſpõdeo, quod, ſi ſermo ſit de potẽtia abſoluta, etiã adverſarios vrget argumentũ, cũ, etſi ſubſiſtentia ſit conditio, poſſit diuinitus ſuppleri: ſed, quidquid ſit de hoc, reſpondeo nõ potuiſſe humanitatẽ condigne incarnationẽ mereri, quia, etſi opera humanitatis, nec vt à conditione à ſubſiſtẽtia depẽdeant phyſice, ab ea tamen moraliter, & in valore infinito depẽdent; ſi vero ſermo ſit de merito congruo, non ita ab ea pendent, quia poſſunt à gratia habituali dignificari. Tamen connaturaliter nõ potuit humanitas, adhuc de congruo, mereri incarnationẽ, quia ſubſiſtẽtia, etſi nõ præcedat opera humanitatis, quia vt principiũ, aut conditio ad ea exigatur, tamen concomittanter ad ea petit cõnaturaliter exiſtere; & ideo dicitur ab Henao conditio, non prævia, ſed concomittans: ego vero nõ ita eam appellavi, quia cum, etſi concomittanter à natura exigatur connaturaliter, cum tamen non exigatur, vt operetur, ſed vt connaturaliter ſit, dum operatur, mihi magis congruit, etſi de vocabulo ſit lis, eam nullo modo appellare conditionem ad operationes, ſed potius ad hoc, vt natura ſit connaturaliter. Vnde ex ſuppoſitione, quod natura eſſet

ſine

sine subsistentia, hoc miraculũ foret, tamen, quod tunc operaretur, non esset novum miraculum.

3544 Secundum fundamentum adduci solitum est illud commune pronuntiatum à Ioanne Theologo desumptũ *actiones sunt suppositorũ*. Respondeo illud axioma verum esse, quia actiones suppositis tribuuntur, ipsaque denominant, non quia à suppositalitate, vt à conditione prævia dependeant: alias etiam dici posset actiones esse vbicatorum, & durantium. In divinis autem axioma illud alium sensum rigorosum magis potest habere, etiam iuxta adversarios, cum in divinis subsistentiæ relativæ non solum vt conditiones, sed etiam vt principia concurrat, etsi probabile etiam sit divinas personalitates etiam esse meras conditiones, & non potentias divinarum processionum, & denominari operativas, quatenus cum natura constituunt principium *quod* operationũ. Quod autem saltim, vt conditio requiratur in divinis personalitas, quin id ita in creatis contingat ex eo provenit, quod inter producens, & productum est necessaria realis distinctio, quæ in Deo sine subsistentijs nequaquam salvatur. Ad operationes vero ad extra etiam concomitanter requiruntur divinæ personalitates.

3545 Tertium fundamentum est: *Modus operandi sequitur modum essendi*. Sed subsistentia est modus essendi complens naturam in suo esse: ergo & illam complet in ratione radicis operationum. Respondeo tamen negando consequentiam: quia illud axioma maioris non indicat modos omnes essendi influere, adhuc vt conditiones, ad operationes, sed solum denotat operationum lineam, & perfectionem ex linea, & perfectione essentiæ debere metiri. Dicitur autem complere naturam in suo esse subsistentia, non quia complet in ratione radicis operationum, aut in ratione actus primi, vt approximatio: sed quia eam constituit in modo connaturali essendi, qualiter materia constituitur per quantitatem. Vltimum fundamentũ est (reliqua namque ex dictis solvi possunt) *esse est propter operari*: ergo id, quod requiritur, & se habet per se ad esse, similiter se habet ad operationẽ. Respondeo negando consequentiam: quia vt esse sit propter operari, sufficit, quod natura ordinetur ad operationem, cum quo stat, quod ipsa natura pro posteriori exigat aliquid, vt connaturaliter sit quod non exigatur prævie ad operationem, eo quod natura sine illo habet quidquid ad operationem opus est.

3546 Tertio inquires: an subsistentia possit terminare alienã naturam? De subsistentia divina affirmativa responsio ex mysterio incarnationis constat: de creata autẽ, etsi non ita constet, videtur probabilius, si sit res, vt nos tenemus: quia sicut accidẽtia absoluta, etsi aliquibus subiectis connaturalia, possunt

tamen alia subiecta afficere, quibus connaturalia non sint, cur subsistentia vnius naturæ, etsi, vt proprietas, ei sit connaturalis, nõ poterit divinitus saltim (quomodo loquimur) aliam afficere naturam. Si tamen sit modus, difficilius est, quod possit alienam terminare naturam, non tamen est omnino compertum, quod non; potest namque dici, quod, etsi à propria natura, eo ipso, quod modus sit, inseparabilis sit: tamen sine eo, quod ab ea separetur per vnionem superadditam potest extraneæ vniri, eamque terminare. Hoc quidem non est contra rationem modi, an autem sit supra rationem subsistentiæ modalis, quæ de facto iuxta communiorem sententiá existit, potius divinari, quam iudicari potest.

3547 Quarto inquires: An vna natura possit duplici subsistentia terminari? Respondeo affirmative cum Echalaz Henao, Arriaga, Oviedo, Cardinalique Lugo, & Carleton contra communem Theologorum sententiam. Quam respõsionem veram ego existimo cum Oviedo, sive vtraque subsistentia propria sit, sive vtraque aliena; sive alia propria, & alia aliena; sive vtraque creata, sive vtraque increata, & sive creata altera, alteraque increata. Et ratio est, quia id omne, quod non involuit contradictionẽ de potentia absoluta fieri posse credendum est: sed nulla est implicatio in eo, quod quolibet ex modis dictis natura vna terminetur duplici subsistentia: ergo id quolibet ex dictis modis contingere posse credendum est. Minor probatur: quia vna subsistentia non dicit essentialiter negationem alterius, sed ad summum exigentiam negationis alterius: amplius enim concedere omnino caret fundamento: ergo secũda subsistentia tantum potest advenire sine necessitate, & contra exigentiam alterius: sed de potentia absoluta Deus potest producere entitates non necessarias, & quæ sint contra aliarum exigentiam, quin in hoc vlla cognoscatur implicatio: ergo neque ea cognosci potest in eo, quod vna natura duplici subsistentia terminetur.

3548 Sed dices primo: vna natura non potest adhuc successive habere duplicem subsistentiam propriam: ergo multo minus simul? Respondeo negãdo antecedens: quia sine fundamento dicitur; natura namque dum primo produxit hanc numero subsistentiam, aliam numero potuit divisive producere, quo posito optime potest Deus eam, quam primo produxit destruere, & cum natura concurrere, vt aliam numero de novo producat.

3549 Dices secundo natura vi vnius subsistentiæ habet sistere in se: sed vi alterius habet transire ad aliam, sive ad aliud suppositum: ergo implicat habere duas subsistentias, præcipue si alia sit propria, & alia aliena. Respondeo naturam *sistere in se* dicere duo, scilicet, quod habeat terminum, quo

quo terminetur, ex vi cuius non indigeat alio, & quod non terminetur alia subsistentia: vtrumque istorum est effectus subsistentiæ, cum hac tamen differentia, quod primum est eius effectus primarius: secundum vero est effectus secundarius. Vnde cum secundarius effectus sit à Deo impedibilis posita prima subsistentia, qua natura dicatur in se sistens, si sit propria, & in alio, si aliena: potest adhuc alia subsistentia, sive propria, sive aliena terminari.

3550 Dices tertio, Patres, & Concilia inferunt naturam humanam Christi carere propria subsistentia ex eo, quod habeat subsistentiam Verbi: sed illatio ista legitima non esset, si componibiles forent simul subsistentia propria humanitatis, & subsistentia increata Verbi: ergo iudicandæ sunt incompatibiles, & consequenter nequeunt simul eandem naturam terminare. Respondeo tamen Patres, & Concilia deducere carentiam propriæ subsistentiæ ex terminatione subsistentiæ Verbi, ob naturalem vtriusque incompossibilitatem, non tamen quia supernaturaliter incompatibilitatem habeant: cum enim miracula sine fundamento non sint multiplicanda, potius credunt Patres, & Concilia, posito miraculo terminationis humanitatis per Verbi subsistentiam, carere propria subsistentia, quam eam miraculo novo simul cum Verbi subsistentia conservari.

3551 Sed replicabis: tantum, aut maius miraculum est auferri à natura propriam subsistentiam, quam illam simul cum aliena conservari: ergo Patres in nostro philosophandi modo non haberent maius fundamentum ad asserendum humanitatem carere subsistentia propria, quam ad asserendum simul propria, ac Verbi subsistentia terminari. Respondeo distinguendo antecedens: tantum, aut maius miraculum est à natura auferri propriam subsistentiam, quam ipsam duplici terminari, si auferatur, dum nulla alia terminatur, concedo antecedens; si auferatur quando terminatur per alienam, nego antecedens, & nego consequentiam. Sicut ergo aquæ connaturalis est frigiditas, & tamen in sensu composi o caloris intensi ei non potest connaturaliter, & sine miraculo convenire: sic etsi subsistentia propria sit naturæ connaturalis, in sensu tamen composito subsistentiæ alienæ connaturaliter nequit convenire, sed potius miraculum esset, quod tunc natura, illa non careret, & connaturale, quod illa careat, ea facta suppositione, quamvis in ipsa suppositione miraculum intercedat.

3552 Ex dictis vnum inferes, & adhuc inquires aliud. Inferes ergo subsistentiam se habere vt naturæ proprietatem. Vnde natura non poterit naturaliter conservari sine omni subsistentia, potest tamen divinitus: quia nulla

est ratio, cur plusquam connaturaliter natura à subsistentia dependeat. Quod autem inquires, est: an natura creata, quæ possibilis admittitur à nobis supra cum propria subsistentia identificata, posset terminari aliena subsistentia. Respondeo negative: quia quamvis vna natura possit multiplici subsistentia terminari, non tamen potest vna subsistentia terminari per aliam: cum enim ipsa sit terminus vltimus, non potest esse vltius alio termino eiusdem rationis terminabilis. Sic materia diuinitus potest duplici forma substantiali informari, quin tamen vna forma substantialis per aliam sit informabilis divinitus: cum ergo illa natura esset sua subsistentia: si terminaretur aliena, iam vna subsistentia terminaretur per aliam; non ergo posset talis natura per aliena subsistentiam terminari.

3553 Existimo tamen, quod si talis natura formaliter ex natura rei, aut saltim virtualiter intrinsece distingueretur à propria subsistentia, posset terminari per alienam: quia virtualis distinctio inter naturam illam, & subsistentiam propriam sufficeret, vt subsistentia aliena diceretur terminare naturam, & non subsistentiam. Vnde quod subsistentia creata non posset divinam terminare naturam, non potest ex eo præcisse provenire, quod natura divina identificetur realiter cum sua subsistentia. Provenit ergo ex eo, quod subsistentia creata nullum ei posset præstare effectum: aut enim eam perficeret, aut deterioraret: quorum vtrumque Deum ab entitate creata recipere repugnat.

DISPVTATIO QVARTA.

De Prædicamento Quantitatis.

3554 INTER Prædicamenta accidentis primum obtinet locum prædicamentum quantitatis, eaque propter postquam disputauimus de præcedenti ea, quæ ad substantiæ prædicamentum pertinent, discussimus, in hac ea, quæ ad quantitatis prædicamentum spectant, oportet, vt discutiamus. Sit ergo.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

Virum substantia corporea independenter, & antecedenter ad quantitatem habeat partes substantialiter, & entitative actualiter distinctas.

3555 QVAMVIS Quantitatis definitio tradita à nobis sit in Logica magna disp 7 n. 1063. amplius eius essentia est in præsenti eviscerandа. Præsens autem quæstio ad eam essentiæ quantitatis declarationem conducit; cum ex eo, quod substantia independenter à quantitate partes habeat entitative distinctas, sequatur optimè, quod eas à quantitate non accipiat, & consequenter, quod effectus formalis quantitatis non sit eas partes substantiæ communicare. Econtra vero ex eo, quod independenter à quantitate partes non habeat, locus relinqui videtur, vt eas à quantitate accipiat, ac proinde, vt proprius quantitatis effectus sit substantiæ eas partes communicare, vt multi contendunt. Merito ergo quæstio ista in præsenti examinatur; sequenti tamen reliqua, quæ ad eiusdem quantitatis essentiam penetrandam conducunt, ministrabuntur.

3556 Prima ergo in hac quæstione sententia tenet substantiam antecedenter, & independenter à quantitate partes non habere entitative distinctas. Hanc sententiam docent PP. Carmelitani Discalceati Complutenses, & Salmanticenses. Isti *tom. 1. tract. 1. disp. 2. dub. 2. & seqq.* Illi vero *tract. de Generat. disp. 5 quæst. 1.* pro ea referentes ex Thomistis Capreolum, Caietanum, Soncinatem, Ferraram, Sanchez, & Nacarium, & ex alijs Durandum B. Albertum. Toletum, & Vazquez. Secunda sententia docet substantiam independenter à quantitate partes habere entitative actu, & substantialiter distinctas. Hanc tenent communiter Iesuitæ, quos novissime sequitur Peinado *tract. 5. Logicæ disp. 3. sect. 3. num. 28.* & inter Thomistas moderniores est etiam frequens; illam enim tuentur Araujo *lib. 5. Metaph. q. 3. art. 1. dub. appendice.* Ortiz *tract. 5. Log. Conferentia 2. §. 3.* Lerma *lib. 7. Log. quæst. 8.* Dominicus Lynce *lib. 3. Logicæ. quæst. 2 ar. 1.* Quos novissime sequitur M. Aguirre *disp 9. Metaph.* vocans hanc sententiam celebriorem inter RR. tam Thomistas, quam aliarum Scholarum.

3557 Secunda sententia ex prædictis, quam nos veram iudicamus, & pro conclusione statuimus, probatur: substantia, dum est cum quantitate, habet partes entitative actualiter distinctas: sed eas non habet à quantitate; ergo ex se, & independenter à quãtitate habet illas. Consequentia est recta. Præmissæ probantur: primo maior, quia substantia pedis in Petro, v.g. de facto moveri solet, aut calefieri, manente sub-

substantia manus immota, & non calefacta; immo vna potest à Petro separari, alia non separata: actualiter ergo huiusmodi partes in Petro distinguuntur. Præterea, si non distinguerentur, in capite esset substantia pedis, & in pede esset substantia capitis, ac proinde substantia reciperet quantitatem ad eum modum, quo anima rationalis recipitur in materia, tota, scilicet recipiendo totam quantitatem, & tota quamlibet partem. Et sanè si materia, & quælibet forma materialis, & corporea esset substantialiter indivisibilis, & partibus carens, necessarium non esset disputare, an animæ materiales sint indivisibiles, vt nos fecimus *disp. 1. de anima q. 11.* vbi & sustinuimus eas divisibiles esse. Et quamvis Thomistæ oppositum defendant; tamen adhuc ipsi animabus plantarum, & animalium imperfectorum partes, & divisibilitatem tribuunt. Immo si qui, sive Thomistæ, sive alij id adhuc recusent, nequaquam partes, & divisibilitatem negabunt formis non viventibus; si autem materiæ partes non concedantur substantiales, nulli formæ materiali, sive viventi, sive non viventi concedi deberent: negari ergo non debent materiæ, & cuilibet substantiæ materiali, dum est sub quantitate, partes entitative actualiter distinctę.

3558 Minor autem primi syllogismi probatur primo: quia forma accidentalis nequit causare effectum substantialem: sed partes substantiæ distinguuntur substantialiter: ergo earum distinctio non potest à quantitate provenire. Secundo, quia ab eo provenire debet distinctio cuiusque rei, à quo vnitas: sed vnitas substantiæ manus, v.g. non provenit à quantitate; sed ab ipsa manus substantia: ergo ab eadem proveniet, & non à quantitate, distinctio a substantia pedis.

3559 Respondebis tamen ad præcedẽtem probationem primam, negando maiorem: ad cuius probationem respondebis ex doctrina PP. Complutensium, quantum attinet ad motum, & calefactionem vnius partis, & non alterius, id verum esse de partibus quantitatis; loquendo vero de partibus substantiæ, verum non esse, vtpote de subiecto non supponente; quia substantia pedis, & substantia manus actu non distinguuntur: vnde dici non potest, quod vna moveatur, & non alia; sed potius dici debet, quod vna, & eadem substantia moveatur, prout est sub quantitate pedis, & non moveatur, prout est sub quantitate manus. Ad id vero, quod additur, de separatione dices cum prędictis PP. posse vtique separari substantiam pedis à substantia manus: quando autem separantur realiter actualiter distinguuntur; ante separationem vero non distinguuntur realiter actualiter; sed solum in potentia; separabilitas namque duorum extremorum arguit inter ipsa distinctionem actualem, quando eis separabilitas convenit per se, & ratio-

ratione sui; quando vero ea separabilitas convenit extremis per accidens, & ratione alterius, non arguit distinctionem actualem; sed potentialem solum. Quod autem ex indistinctione partium substantiæ sequatur, quod recipiat quantitatem ad modum, quo anima rationalis recipitur in materia, inconveniens non est; potius enim sic recipi debere contendunt oppositæ sententiæ DD. Quod denique ex contrariorũ doctrina videatur frustra disputari? an materiales animæ sint indivisibiles, vel potius partibus constent, minime obstat; id enim bene intelligitur etiam iuxta PP. Complutensium doctrinam; iuxta eam enim est sermo de partibus distinctis in potentia tantum; quia Angelus, & anima rationalis adhuc non habent partes in potentia distinctas, nec eas habere sunt dicendæ animæ perfectorum animalium in sententia eas indivisibiles esse asserente.

3560 Sed contra istam responsionem sic insurgo: implicat, quod inter aliqua extrema detur aliquando distinctio actualis; aliquando vero ea non detur, sed sola potentialis: sed tota responsio fundatur in eo, quod inter partes substantiæ, quando separantur, detur distinctio actualis, & quando non separantur, non detur actualis, sed potentialis tantum: ea ergo responsio est nulla. Maior in qua est difficultas, probatur primo: identitas, & distinctio est prædicatum essentiale rei distinctæ, vel identificatæ; ergo extrema semel distincta actualiter nequeunt actualiter identificari, neque è contra. Antecedens constat, tum, quia, vt supra in hoc tractatu vidimus *disp. 2. quæst. 2.* identitas est quædam vnitas: vnitas autem, vt ibidẽ *quæst. 1. num. 3421.* vidimus realiter est ab entitate indistincta: quælibet ergo entitas per seipsam est secum identificata, ac proinde identitas secum est cuiusvis rei prædicatum essentiale, & consequenter distinctio ab omni non ipsa. Tum etiam constat antecedens, quia, si identitas, & distinctio non essent prędicata essentialia rebus distinctis, & identificatis, non esset ratio cur *animal & rationale* modo realiter identificata non possent aliquando distingui. Secundo probatur maior primi syllogismi huius impugnationis: quia separabilitas realis est signum evidens distinctionis realis præcisse accepta, & ex terminis, sive extremis conveniat per se, sive per aliud: sed quæ aliquando realiter distinguuntur, saltim in casu responsionis, quam impugnamus, sunt realiter separabilia saltim per accidens, & ratione alterius: ergo semper realiter distinguuntur. Maior constat, quia vnum extremum identificari cum alio est esse illud: ergo esse ab illo separabile est esse separabile à seipso: sed à seipso separari nequit neque per se, neque per accidens neque ratione sui, neque ratione alterius: ergo neque à tali extremo, ac proinde eoipso, quod ab ali-

aliquo extremo sit separabile, adhuc per accidens, & ratione alterius, est ab eo distinctum realiter.

3561 Secundo respondebis ad nostram probationem supra *à num.* 3557. allatam ex Spinula *lib. 6. physic. disp. 13. sect. 3.* negando maiorem, ad cuius probationes allatas supra num. 3558. respondebis. Ad primam concessa maiori, distingues minorem: sed partes substantię distinguuntur substantialiter, quatenus substantiæ sunt, concedis minorem; quatenus partes sunt, negas minorem, & distingues similiter consequens: ergo earum distinctio non potest à quantitate provenire, quatenus substantiæ sunt, concedis consequentiam; quatenus partes sunt negas consequentiam. Ad secundam probationem similiter distingues minorem: vnitas substantię manus non provenit à quantitate, quatenus substantia manus est vna substantia, concedis minorem, quatenus est vna pars negas minorem: & similiter distingues consequens. Itaque Spinula, dum asserit substantiam à quantitate partes recipere, non iudicat, quod substantia, quantitate remota, indivisibilis remaneat, vt Thomistæ volunt sed potius, quod maneat omnino divisa, & in indivisibilia redacta, quę quidem indivisibilia, cum nullam habeant vnionem, nec continuationem, aut compositionem, non sunt partes in actu secundo; sed solum in actu primo; quatenus possunt, adveniente quantitate, vnum totum componere, & sic illius totius partes esse. Cum ergo omnia indivisibilia substantiæ equi existãt independenter à quantitate, sequitur, quod substantia omnium partium equi à quantitate non sit, nec producatur, sed ad eam supponatur; cum autem, quod illa indivisibilia coniungantur, & vniantur à quantitate proveniat, & per talem coniunctionem incipiant indivisibilia illa habere rationem partium, sequitur, quod in ratione partium à quantitate sint; quamvis ab illa non sint in ratione substantiæ.

3562 Sed contra responsionem istam sic insurgo. Vel indivisibilia illa, in quæ substantia est divisa, secluſa quantitate vniuntur, quantitate adveniente, per quantitatem ipsam; aut non per illam, sed per vniones substantiales, quæ in substantia resultant, adveniente quantitate: non primum, neque secundum: ergo nulla est responsio. Prima minoris pars probatur: quia, si indivisibilia, in quę substantia est divisa, vnirentur, & partes fierent per quantitatem ipsam, iam totum resultans ex substantiæ indivisibilibus, & vnione sive vnionibus ipsorum esset accidentale, vtpotè, cõpositum ex accidentali vnione, quæ veluti forma se habet in compositione integrali. Secunda deinde minoris pars probatur; quia si forma per quam indivisibilia substantiæ habent esse partes in actu secundo, est vnio substantialis: ergo ab ista vnione accipit formaliter substantia

tia paries, & corruit Spinulæ intentum, quod erat defendere, quod partes acciperet à quantitate.

Soluuntur argumenta.

3563 Obijcies primo: materia prima nequit habere ex se, & intra genus substantiæ partes integrales actu distinctas: ergo substantia corporea caret prædictis partibus. Probatur antecedens: quia, si materia prima haberet ex se, & intra genus substantiæ partes actu distinctas, non posset non habere ex se vnitatem numericam positivam: consequens est falsum; cum materia individuationem, seu numeritam vnitatem per ordinem ad quantitatem accipiat: ergo materia prima non habet prædictas partes. Sequela probatur, quia ideo quantitas ex se est positive individua, & principium vnitatis numericæ in alijs; quia habet ex se intra propriũ genus partes integrantes: ergo si materia prima haberet ex se, & in ordine substantiæ partes actu distinctas, non posset non habere ex se, vnitatẽ numericam positivam. Confirmatur: quia iuxta Philosophum 7 *Metaph. text.* 49. actus est, qui distinguit, sed materia ex se nullum habet actum, cum sit pura potentia: ergo nec vllam habet partium distinctionem.

3564 Respondetur ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem concedo sequelam, & nego minorem, seu consequentis falsitatem; neque enim obstat, vt materia habeat ex se vnitatem numericam positivam, quod illam per ordinem ad quantitatem accipiat: tum quia aliud est illam accipere à quantitate, aliud eam accipere per ordinem ad quantitatem: hoc autem secundum volunt Thomistæ, dum individuationem desumi debere asserunt à materia signata quantitate, quod potius est illam à se habere, cum à se, sive ex se habeat eum ordinem ad quantitatem. Tum etiam, quia quod sit falsum, quod vnitas numerica desumatur à quantitate, sive à materia signata quantitate supra *disp. 2. quæst. 3.* à nobis probatum est. Ad confirmationem respondeo primo, distinguendo minorem: materia ex se nullum habet actum physicum, concedo minorem; metaphysicum, nego minorem, & consequentiam. Habet vtique materia differentiam, quę actus metaphysicus est, & quævis pars materiæ distinguitur ab alia per propriam differentiam individualem distinctam à differentia individuali alterius, ac proinde per aliquem actum. Vel secundo respõdeo iuxta principia Thomistarum, quod sicut vnius individui materia distinguitur à materia alterius, non per aliquem actum; sed per ordinẽ ad illum, ad quantitatem, videlicet; sic vna pars materiæ vnius individui distinguitur ab alia per ordinem ad diversam quantitatis partem: vnde in eo tantum sensu accipiendum est dictum Philosophi: *Actus est qui distinguit.* Se-

3565 Secundo obijcies: si substantia materialis independenter à quantitate haberet partes substantialiter actu distinctas, ex eis resultaret compositio aliqua: sed antecedenter ad quantitatem nulla in substantia potest compositio resultare: ergo independenter à quantitate non habet partes. Minor in qua est difficultas, probatur materia namque prima, v.g. antecedenter ad quantitatem nec habet compositionem primam, sive essentialem, neque secundam, sive accidentalem: ergo nullam compositionem independenter, sive antecedenter ad quantitatem habet. Antecedens quoadpriorem partem constat; quia prima compositio est ex actu, & potētia, seu ex materia, & forma: materia autē sola nō est ex materia, & forma composita, nec vllo modo ex potentia, & actu; cum partes materiæ ad invicem non comparentur vt actus, & potentia. Quoad secundam autem partem probatur: quia compositio secunda, quæ quidem est ex subiecto, & forma accidentali, supponit primam, quæ est ex materia, & forma: ergo si prima non datur in materia antecedenter ad quantitatem, nec secunda dari potest. Respondetur negando minorem: ad cuius probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; quamvis enim partes materiæ non faciant inter se compositionem primam, quæ substantialis, & etiam essentialis est, & resultat ex actu & potentia substantiali; nec secundā, quæ accidentalis est resultans ex subiecto, & forma accidentali; habet tamen aliam compositionem, quæ integralis dicitur: quam compositionem integralem in quantitatis partibus admittunt omnes; in eis autem admissa, non est cur in partibus substantiæ admittenda non sit: in eis autem, etsi essentialis non sit, potest tamen dici physicè substantialis; quamvis eoipso, quod essentialis non est, dici possit logicè accidentalis. Quæ tamen in quantitatis partibus reperitur etiam physicè est accidentalis. Non dicitur autem secunda, nec tertia ista integralis compositio, quia est in diverso genere, ac prima, & secunda, & ideo ad eas se habet disparate, & non cum ordine determinato.

3566 Tertio obijcies: si substantia haberet partes intra proprium substantiæ genus independēter à quantitate, in ligno, v.g. aut in equo quævis pars constaret ex materia, & forma, ac proinde esset quid completum: ergo non posset ex pluribus vnum ens per se componi; quia ad hoc, vt ex pluribus vnum per se resultet, ea plura non debent esse completa, sed incompleta, & partialia. Confirmatur: quia partes equinæ formæ, manus, v.g. & caput, solum differunt penes accidentia diversarum organizationum: ergo non differunt substantialiter, ac proinde in ratione substantiæ non distinguntur. Respondetur ad argumentum ex eo, quod partes substantiæ distinguantur sequi,

quod

quod partes singulæ equi, v. g. sint quid completum essentialiter; non tamē quid completum integraliter: vt autem ex pluribus vnum per se resultet, sufficit, quod ea plura sint incompleta, sive essentialiter, sive integraliter; quia, quocumque ex istis modis incompleta sint, ad componendum ordinantur. Ad confirmationem ex dictis *disp.1. de anima quæst* 12. cōstat partes animæ materialis eiusdem rationis, seu homogeneas, iuxta veriorem sententiam, esse: vnde & verum est, quod tota dissimilitudo earum sit in accidentibus. Cum eo autem, quod substātialiter similes sint compatitur, quod substantialiter distinguantur, vt ex dictis ea quæstione clarè constat.

3567 Querto obijcies plures D. Thomæ Authoritates. Prima sit *ex 3.p. quæst.76. art.3. in corp.* vbi probat S. D. corpus Christi D. esse totum sub Eucharisticis speciebus, & totum sub qualiber parte, quia est ibi ad modum substantiæ: ergo quia sentit, quod substantia est sub quantitate indivisibiliter, tota, scilicet, sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte. Secunda authoritas est *ex 4. Cont. gent. cap 65.* vbi inquit Angelicus Doct. *Remota quantitate, omnis substantia indivisibilis est, vt patet per Philosoph. 1. physic* Similia habet S.D. *1.p. q.50. art.2. & quolibet.9. q.4.*

3568 Respondetur ad primam authoritatem D. Thom. non asserere, quod tota substantia sit sub quavis quantitatis parte; sed *tota natura substantiæ*, eo quod in diversis substantiæ partibus non est diversa, sed eadem, natura substātię: quod S. Doctoris verba clarè sonant; sic enim ait: *Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur: sicut sub qualibet quantitate aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis.* Nec refert si dicas nostra responsione reddi inefficacem D. Thomæ probationē; siquidē Christus Dominus in Eucharistia est totus sub qualibet parte ita, vt omnes eius partes sint sub quavis quantitatis parte. Respondetur namque cum M. Aguirre, quod potius, si ratio D. Thomæ esset efficax, aut exemplum adæquatum, inconveniens foret; siquidem sequeretur non amplius concedi Christo sub quantitate Eucharistica divinitus existenti, quam cuicumque substantiæ naturaliter sub quantitate existenti conceditur: quod quidem absurdum videtur; & meritum fidei tollit. Si autem exemplum sit inadæquatum ita vt arguat ab eo, quod naturaliter est tota natura panis sub qualibet parte quantitatis; ad hoc vt divinitus sit corpus Christi totū sub qualibet speciarum parte, servatur analogia & merito locus relinquitur. Ad secundam authoritatem respondeo, concedendo substantiam, remota quantitate, remanere indivisibilem physice, videlicet, per separationem partium ab agente corporeo

poreo faciendam per impulsum; impulsus namque imprimi non potest in subiecto non quanto. Vnde nihil infertur contra conclusionem nostram.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quis sit conceptus formalis, sive essentia quantitatis.

3569 QVANTITAS A nobis definita manet in Log. *disput. 7. num. 35.* Quia tamen ea definitio quantitatem, sive quantum per divisibilitatem explicavit, communiusque DD. existimant essentiam quantitatis in divisibilitate non consistere, adeoque definitionem illam essentialem non esse, sed descriptivam, oportet modo essentiam quantitatis exactius examinare. Animadverto tamen ante omnia, idem esse inquirere, quæ sit ratio, sive conceptus formalis quantitatis, ac quæ sit eius essentia: deinde idem esse inquirere de eius essentia, ac de eiusdem definitione: ac tandem, quodlibet istorum comperto, etiam compertum manere, quis sit primarius effectus quantitatis; cum enim iste sit ipsa forma communicata, nequit ignorari, si ipsa essentia, & ratio formalis formæ cognoscatur. Relictis ergo aliorum sententijs, quæ inter nostram sententiam confirmandam facilè occurrent.

3570 Resolutorie dico, quod essentia, sive conceptus formalis quantitatis consistit in eo, quod sit ens proximè, & ratione sui impenetrabile cum alio eiusdē rationis. Vnde effectus formalis primarius quantitatis est substantiam constituere impenearabilē cum alia quantitate. Hæc sententia, præsertim quantum ad rem ipsam, est communis Iesuitarum: eam præsertim docet Suarez *disp. 40. Metaph. sect. 4.* Arriaga *disp. 5. Metaph. sect. 1.* Hurtadus *disp. 13. Metaph. sect. 4.* Pontius *disp. 14. Logicæ quæst. 3. conclusion. Vlt.* Quiros *disp. 106. sect. 4. num. 13.* Merinero *cap. de quant. quæst. 2.* Oviedo *controv. 7. Metaph. punct. 2. §. 4.* & novissime Peinado *tract 5. Log. disp. 3. sect. 1. num 4. & sect 3. num. 48.* Notandum tamen est, quod aliqui DD. dicunt essentiam quantitatis consistere in eo, quod sit accidens loci occupativum existimantes, quod sic melius, quā per impenetrabilitatem essentia quantitatis explicetur. Alij vero dicunt consistere in extensione partium, sive extreitate, in eo, videlicet, quod vna sit extra aliam. Sed ista extreitas, & illa occupatio, & præfata impenetrabilitas idem in re sunt; impenetrabilitas namque non accipitur hic pro prædicato aliquo negativo; sed pro positivo ipsius quantitatis, quod est vis, & efficacia resistendi alteri quantitati, sive rei quantæ, ne eundem cum ipsa locum obtineat, & per istam vim, quam non minus exercet vna pars eiusdem quantitatis in alteram, quam vna integra quanti-

tas

tas in aliam etiam integram, habet, quod vna pars nõ sit vbi alia, & cõsequenter sit extra illam: vnde etiam occupativa loci dicitur; quia ista loci occupatio non in alio consistit, quam in eo, quod quævis quantitas, & quãtitatis pars ita suũ locũ, locivè partem obtineat, vt eundem locum, aut loci partem ab alia quãtitate, aut quantitatis parte occupari non sinat. Sic ad vnam sententiam reducuntur, quæ tanquam plures ab aliquibus referuntur. Quo supposito.

3571 Probatur nostra resolutio: id est essentia cuiusvis rei, quod & primario in illa concipitur, & est radix cæterorum, quæ inveniuntur in ipsa: sed sic se habet impenetrabilitas respectu quantitatis: ergo in ipsa essentia quantitatis consistit. Minor in qua est difficultas; quoad vtramque partem est probãda. Quoad priorem ergo probatur: nam quantitas molis per id præsertim nobis innotescit, quod experiamur corporum impenetrationẽ, & in eodem loco incompatibilitatem: cum autem actualis impenetratio non possit esse primus, & essentialis cõceptus, tum quia essentię non solent in actu consistere, sed in potentia, sive aptitudine. Tum quia quantitas Christi. D. est in Eucharistia actualiter penetrata, ac proinde impenetratio non est ei essentialis; consequens fit, quod in potẽtia, sive radice talis impenetrationis cõceptus, & ratio formalis quãtitatis consistat, eaque sit quod primario de quantitate concipimus.

3572 Quoad secundam autem partem probatur minor discurrendo per singulos quantitatis effectus, qui à DD. solent assignari. Primo ergo aliqui dicunt effectum esse quantitatis tribuere substantiæ partes entitative distinctas. Hunc tamen effectum fateor non radicari in impenetrabilitate, ipsum tamen effectum quantitatis non esse *præsto ne præcedenti* contra nonnullos Thomistas cum eorũ nõ paucis, & communi aliorum sententia probatum manet. Alius quantitatis effectus assignari solitus est extensio partium substantiæ in ordine ad se, seu in toto, constituendo, videlicet, vnam extra aliam, sive vniendo illas secundum extremitatem. Hunc effectum quantitati adscribunt, tanquam primariũ quãtitatis, ineoque illius essentiam constituunt communiter Thomistæ apud Peinado *tr. 5. Log. disp. 3 sect. 3.* & apud Aguirre, qui eos sequitur, *in Metaph. disp. 8. sect. 3. n. 30.* Adverto tamen, quod, quando ista sentẽtia asserit esse effectum quantitatis vnam substantiæ partem constituere extra aliam, non intendit, quod illas expenetratas constituat; sed potius compatitur, quod penetratæ sint: vnde solum consistit in eo, quod quamvis omnes sint in eodem loco; sint tamen vnitę non vtcumque, & confuse, sed secũdum extremitates. Ego fateor etiam, quod iste effectus non sequatur ad impenetrabilitatem: potest autem dici vnum è duobus. Primum est, quod coincidat cum impenetrabili-

tate; est enim vnio secundum extremitates, ad quam connaturaliter sequitur impenetratio, quamvis divinitus possit impediri, & aliquando impediatur. Si autem hoc dicatur, iam in nostram eius DD. incident sententiam, quod omnino recusant. Alterum est, quod ad eam vnionem non sequitur impenetratio: vnde ita ponitur effectus primarius quantitatis, vt ex eo non sequatur impenetratio, ac proinde ista effectus quantitatis, adhuc secundarius non sit. Sed quidquid de his sit. Sic contra sententiam illam argumentor: iste effectus constituendi vnam substantiæ partem extra aliam in toto constituitur per vnionem, qua partes vniuntur secundum extremitates: ergo non est effectus quantitatis. Antecedens est adversariorum, & omnium nomine profertur à M Aguirre. Consequentia vero probatur: quia effectus quivis illius formæ proprius est, illique tribuitur, per quã formaliter constituitur: ergo si effectus constituendi vnã substantiæ partẽ extra aliã constituitur per vnionẽ, qua illæ partes vniũtur secundã extremitates, illi vnioni tribui debet, & non quantitati. Nec dici potest, quod in illa vnione, aut in pluribus vnionibus, quibus partes substantiæ vniuntur secundũ extremitates, ipsa consistat quãtitas; quia inde fieret, quodcõpositio substãtiæ, qua integraliter ex pluribus partibus componitur, substantialis non esset, sed accidentalis: quod nullatenus admittent Thomistæ.

3573 Tertio deinde assignari valet, pro effectu quãtitatis, actualis impenetratio, quam nemo dubitat, quod ex impenetrabilitate tanquam ex propria, & proxima radice oriatur. Quarto quãtitati, tanquã effectus adscribitur extensio partium substãtiæ in ordine ad locũ: hanc autem quivis cõspicit in impenetrabilitate radicari; nam si propter illã vna pars resistit alteri, ne eũdem, ac ipsa, locũ occupet sequitur exinde, quod illarum quævis diversum locum, ac alia debeat occupare, quod est esse extensas in ordine ad locum.

3574 Quinto præterea potest pro effectu quantitatis assignari divisibilitas in partes eiusdẽ rationis. Hunc autẽ esse primariũ quantitatis effectum, in eoque illius essentiã cõsistere tenẽt Antonius Andræas & alij veteres Scoti Discip. & ex Thomist. Iavellus 5. *Met. q.* 20. & alij apud Suar. *disp.* 40. *Met. sect.* 4. Sed certè divisibilitas ista vel tribuitur substãtiæ à quantitate, quia ista ei tribuit partes actualiter distinctas, & eo ipso, quod partes habeat, esse debet divisibilis: & sic non; cum probatũ sit *q. prec.* quod quantitas substãtiæ partes non tribuat; sed ipsa eas habeat antecedẽter ad quantitatẽ ipsam, imo, quod neque earũ extensionẽ in toto tribuat, sit paulo superius stabilitũ. Vel deinde quantitas constituit substantiã divisibilem physice, per ordinem, videlicet, ad separationẽ faciẽdam ab agente corporeo, vt commemoravimus *q. prec. n.* 3568. Hęc autem physica divisibilitas est, de qua in-

intelligendus est Philosophus dum definit quantū, *quod sit diuisibile in ea, quæ insunt*. Definit autem illud definitione descriptiva per proprietatē, istam consequutā ad penetrabilitatē in qua essentia quantitatis cōsistit; quod enim ad illam consequatur, videtur cōstare; quia impenetrabilitas causa est, vt agens physicum per hoc, quod in corpus quantū introduci contendat, non possit occupando eundem locum, ac ipsum, ac proinde illud secat, vnamque partem ab alia dividit.

3575 *Sextus* denique quantitatis effectus assignari solitus est ratio mensuræ, quā complures Thomistæ apud Lync. *in præs lib. 3. tr. 4. c. & n. 1.* & apud Aguir *disp. 8. cit. sect. 2. n. 7.* existimant esse primariū quantitatis effectū, in eoque essentiā quātitatis esse sitā. Quod autē hic effectus potius sequatur ad impenetrabilitatem, quā ipse sit primus cōstat; quia quartus effectus paulo superius assignatus extensio, videlicet, in ordine ad locū, oritur ex impenetrabilitate ad illāque consequitur: sed sine extensione illa non intelligitur mēsurę ratio; cum ex eo vlna sit apta ad metiendū actiue (idemque cōtingit in passiva mēsura) quia est in ordine ad locū extensa habens suas partes diversas diversis loci partib⁹ correspondentes; nam si omnes ad loci punctū reducerentur, nec mēsurare, nec mensurari posset: ergo etiā ipsa mensuræ ratio oritur ex impenetrabilitate, ac proinde ista non solū est, quæ primo in quantitate concipitur; sed vlterius est radix cęterorum, quæ inveniuntur in ipsa.

Soluuntur argumenta.

3576 Obijcies primo contra resolutionē nostrā: essentia quātitatis non cōsistit in vi expellendi aliā ab eodē loco: ergo non consistit in impenetrabilitate. Conseq. constat, & anteced. probatur: sicut quantitas habet vim expellendi aliā ab eodem loco, ita qualitas habet vim expellēdi aliam, sibi, videlicet, contrariam ab eodem subiecto: sed eius essentia non consistit ista vi expulsiva. ergo neque quātitatis essētia in vi expulsiva alterius ab eodē loco. Resp. negando anteced. ad cuius probationē resp. primo negādo maior, si ly *sicut* dicat omnimodam paritatem, sive similitudinē; est enim magna disparitas; quia quævis quantitas, sive quantitatis pars est cuiusvis alterius expulsiva ab eodē loco; non tamen quævis qualitas est cuiusvis alterius expulsiva ab eodem subiecto, cum ex vna parte sint aliquæ qualitates non habentes contrarium, & ex alia etiā illæ, quę contrarium habent, non contrarientur cum quacumque qualitate; sed cum pluribus sint compatibiles. Mirum ergo non sit, quod qualitatis essentia in vi expellendi aliam ab eodem subiecto non consistat; cum hoc, nec omni conveniat qualitati, nec ijs, quibus convenit, conveniat respectu omnium; quantumvis quantitatis essentia in vi aliam expellendi ab eodem loco consistat; quia cuicumque id com-

petit quantitati, & respectu cuiuscumque alterius. Vel secundo ad antecedentis probationem respondeo, concessis præmissis, negando consequentiam; quia in qualitate antecedenter ad vim expulsivam alterius ab eodem subiecto invenitur alius conceptus, in quo eius essentia consistat; non vero in quantitate antecedenter ad vim alterius quantitatis ab eodem loco expulsivam.

3577 Secundo obijcies: Corpus Christi in Eucharistia, & corpora glorificata quãtitatem suam habent: sed non habent impenetrabilitatem; cum potius sint penetrata: ergo essentia quantitatis in impenetrabilitate minime consistit. Etsi dicas essentiã quantitatis non consistere in impenetrabilitate actuali; sed in exigentia talis impenetrabilitatis; quæ adhuc in corporibus glorificatis perseverat. Contra hoc est, quod nec talis exigẽtia in illis adest: nulla ergo est solutio. Probat. anteced. in corporibus glorificatis reperitur donũ subtilitatis, quod est exigentia penetrabilitatis: ergo nequit exigẽtia impenetrabilitatis reperiri. Patet consequentia, quia alias invenirentur oppositę exigentiæ, sive inclinationes in eodem subiecto, quod nemo admittet; cum hac ratione vitiũ intemperãtiæ cum temperãtiæ virtute incompatibile prædicent cõmuniter Theologi.

3578 Huic argumento, in quo Lynceus maximè fidit, ipse respondere tenetur; ipse namque, quamvis essentiam quãtitatis iudicet non consistere in impenetrabilitate, negare non potest, quod materia prima impenetrabilitatem habeat; cum potius, vt probet quantitatem materię ab ipsa materia non distingui, asserat, & probare cõtendat, quod impenetrabilitatẽ materia per seipsã habeat: ergo impenetrabilitas ipsa est ab ipsa materia indistincta: ergo nõ deficiẽte materia nõ potest deficere; sed in glorificatis corporibus nõ deficit materia: ergo in eis simul cum penetrabilitate, quæ eis, ratione doni subtilitatis, convenit, reperitur impenetrabilitas ab ipsa materia indistincta, & consequenter inseparabilis. Admissa ergo responsione ad argumentũ data, ad replicã resp. negando antecedens: ad cuius probationẽ nego conseq. & ad istius probationem resp. oppositas exigentias inveniri posse in eodẽ subiecto supernaturaliter, etsi cõnaturaliter non possint. Quod autẽ supernaturaliter eveniat in corporibus glorificatis, constat, quia donũ subtilitatis, rationẽ cuius exigũt penetrationẽ, supernaturale & indebitũ est, & ipsã quantitatẽ afficit, & penetrabilẽ reddit, quæ tamẽ, dato adhuc, quod eius essẽtia in impenetrabilitate non cõsistat, negari nequit, quod ex se sit impenetrabilis naturaliter, cũ quod aliquando penetretur, miraculosum ab omnibus censeatur: prę scindẽdo ergo à nostra sentẽtia concedenda est quantitati corporũ glorificatorũ duplex exigẽtia opposita penetrationis videlicet, & impenetrationis ita tamen, vt primę exigentiæ fiat satis; secundę vero minime. Vel secundo ad

ad replicam respondetur inveniri in corporibus glorificatis præfatas exigentias; eas tamen oppositas non esse, quia prima, videlicet, exigentia impenetrationis est tantũ conditionata sub conditione, scilicet, carentiæ doni subtilitatis: vnde dũ istud datur, nõ adest duplex opposita exigentia, quia vt opponerentur prædictæ exigentiæ, vtraque esse debebat absoluta; talis tamen prima non est; quia in eo casu non purificatur cõditio, sicut purificatur dum suæ naturæ est relicta.

3579 Notandum tamen est, quod impenetrabilitas, in qua essentia quantitatis consistit, nec cõsistit in negatione, vt supra n. 3570. notabamus: nec in quacumque respectu eiusdẽ loci incõpatibilitate; sed in ea, quæ contingit ratione specialis modi locũ possidendi, & occupãdi, cuius virtute resistat, vt ab alio simul modo simili occupetur. Vnde Deus quantus non est; quamvis in eodem loco cum alio Deo esse nequeat; quia hoc provenit ex alterius Dei impossibilitate; non vero, quia Deus suo modo existendi in loco id resistat; cum potius, si per impossibile daretur alius Deus, neuter resisteret existentiæ vtriusque in eodem loco. Similiter duæ vbicationes spirituales diversis locis alligatæ quantę nõ sunt; quia, si per impossibile vna accederet ad locum alterius ei non resisteret: vnde nõ ex resistentia illius, sed ex speciali natura vtriusque provenit incompatibilitas in eodem loco. Simili modo de alijs, quæ afferri possent exemplis est discurrendum.

QVÆSTIO III.

An quantitas distinguatur à re quanta.

3580 PRIMA In hac quæstione sententia tenet nequaquam distingui. Sic novissime sentit Lynceus *lib 3. suæ Metaph. tract. 4 cap 3* pro ea citans absque vllo discrimine Nominales, & Arriag. sed omnino immerito; cum Nominales quantitatẽ identificari cum qualibet re quanta sentiant; Arriaga vero solum cum materia prima. Hæc tamen sententia vtroque adhuc modo intellecta, quamvis nec sit spernenda, nec gravi aliqua censura inurenda, vt aliqui faciunt; tamen deserenda est, & communis sententia quantitatem à re quanta distingui asserens amplectenda.

3581 Probatur autem communis sententia primo contra sensum, quem Nominales intendunt, & amplectitur Lynceus: quia iuxta hunc sensum in quolibet cõposito plures darentur quantitates alteræ, scilicet, cum materia identificata, altera cum forma substantiali materiali, & tandem aliæ, quarum vnaquæque cum aliqua forma accidentali materiali identificaretur: sed incredibilie est ista quantitatum multiplicitas: ergo dicendum potius est, quantitatem à re quanta distingui. Minor in qua est difficultas, probatur: quia de

ratione quantitatis saltim quæ continua dicitur, est, quod naturaliter saltim impenetrabilis sit: sed, si tot darentur quantitates, quot materiales entitates in vno composito, illę existerent naturaliter penetratæ: ergo admittenda non est multiplicitas illa quantitatum. Consequentia clara est, minor etiam; cum omnes formæ materiales tam substantiales, quam accidentales cum materia, quam informant penetrentur: maior etiam satis est recepta, cum omnes pro effectu quantitatis saltim naturaliter in impedibili impenetrabilitatem assignent.

3582 Sed dices primo quantitatem penetrabilem esse posse adhuc naturaliter; cum numeri Angelorũ sint quantitates, & penetrabiles sint, & alię quantitates similem penetrationem naturaliter etiam admittãt. Sed contra est: quia omnibus compertum esse debet, quod saltim quantitas materiæ competens naturaliter impenetrabilis sit; cum id ipsa experientia testetur, &, quod aliquando penetrata fuerit, miraculum credatur: ergo, quidquid sit de quantitate numeri, aliave quacumque quantitate discreta, omnis tamen quantitas continua erit impenetrabilis: probatur consequentia, quia omnis quantitas continua eandem quantitatis essentiam debet habere; non enim in ratione quantitatis differre debent quantitas materiæ, quantitas formæ, & quantitas accidentium; alias pro libito quicumque dicere posset alteram earum quantitatem esse, alias vero minime habere quantitatis essentiam: aptius ergo dicitur quamlibet quantitatem molis habere extreitatem, sive extensione partium; cumque ratione illius quantitas materiæ alteri quantitati materiæ resistat, non est cur similiter non resistat alteri quantitati accidentis, nec cur quantitas accidentis alterius accidentis, & etiam substantiæ quantitati non resistat, & cum eis sit impenetrabilis.

3583 Dices secundo, quod etsi quælibet quantitas sit impenetrabilis cum quacumque alia diversi subiecti; non tamen cum alia eiusdem subiecti. Sed contra est ex dictis: si vna quantitas alteri resistit, & non sinit se ab illa penetrari, hoc non contingit ratione subiecti, aut vnionis ad illud; sed ratione extensionis partium, per quam habet proprium locum replere, & occupare: sed quantitas quævis ex eo, quod ad hoc, vel illud subiectum accedat, non perdit extensionem illam, quæ propria illius est, & media qua ita occupat locum, vt non sinat eundem ab alia quantitate possideri: ergo vel dicendum nullam quantitatem impenetrabilem esse, vel fatendum, quod quælibet suam retineat impenetrabilitatem, etiam respectu quantitatis eiusdem subiecti.

3584 Deinde probatur nostra, & communis sententia contra primam in sensu, quem Arriaga, & alij Recentiores pauci, sup-

pref-

preſsis nominibus, ab Oviedo citati intendunt. Quantitas à materia poteſt ſeparari: ergo diſtinguitur realiter ab illa. Conſequentia eſt evidens; antecedens vero probatur: in Euchariſtia, deſtructa materia panis, remanet panis quantitas: ergo ſeparatur à materia. Probatur antecedens: accidentia panis, quæ remanent in Euchariſtia, remanent impenetrabilia, & locum, ſicut antea, occupantia: ſed id fieri non poteſt in ſententia, quam impugnamus, niſi per quantitatem materiæ: remanet ergo ibi materiæ quantitas.

3584 Reſpondebis primo, remanere ibi impenetrabilia accidentia propter vbicationes materiæ ibi permanentes. Sed contra eſt: quod reſiſtit penetrationi non eſt vbicatio; ſed quantitas ipſa: ergo ſi ibi non remanet quantitas vlla, nulla remanebit virtus reſiſtendi: non ergo ratione ſolius vbicationis materiæ poterunt accidentia illa eſſe impenetrabilia. Præterea: vbicatio eſt modus in communiori ſententia: ergo cum modus eſſentialiter à ſubiecto dependeat, nequit permanere vbicatio materiæ, ipſa materia deſtructa. Tandem: vbicatio ſaltim, ſi modus non eſt, eſſentialiter pendet à determinato ſpacio: ergo vbicatio materiæ ad ſummum perſeveravit in illis accidentibus, dum in eodem ſpacio perſeverent; non tamen, ſi ab illo moveantur: ſed ſi moveantur ab illo remanent eodem modo impenetrabilia: ergo hoc non contingit ratione vbicationis materiæ; ſed ratione quantitatis ibi permanentis.

3585 Reſpondebis ſecundo (& hoc eſt aſyllum contrariæ ſententiæ ad omnia huius generis argumenta) Deum miraculoſe conſervare impenetrabilitatem illorum accidentium eodem modo, ac ſi quantitas ibi adeſſet, vt eo miraculo deſtructio panis occultetur, & fides locum habeat, & meritum: nec enim metus debet eſſe, quod multiplicentur miracula, precipuè in hoc myſterio, in quo Deus memoriam fecit mirabilium ſuorum; ſed rebus philoſophicis iuxta rationem attentis, omnia ea miracula tuto concedere, quæ ad myſterium neceſſaria fuerint: cumque iuxta rationem philoſophicam rectè quadret, quod materia à quantitate non ſit diſtincta, id aſſerendum tuto, & deinde, etiam ſine vllo metu, quæ miracula neceſſaria fuerint, concedenda.

3586 Sed contra eſt, quia etiamſi metus miraculorum eſſe non debeat, ſi alinnde adſit ratio, quæ naturaliter ſuadeat materiam à quantitate non diſtingui; nequaquam tamen ſufficiens indiſtinctionis ratio traditur: quia etſi pro indiſtinctione aliquorum ſufficiat vrgens diſtinctionis fundamentum non adeſſe, & hoc videatur inter quantitatem & materiam inveniri; non tamen invenitur, vt adverſarijs videtur; quia communis authoritas, & modus communis concipiendi rem, in prædicamentis multum va-

lere solet: vtrumque autem eorum, & non alterum tantum materiam, & quantitatem distingui probat; cum materiam à quantitate indistincta solus vnus vel alter Recentior cum Arriaga sustineat; cum nec Nominales, nec Lynceus ei faveant, vtpotè longè aliter sentientes. Modus autem concipiendi etiam pro distinctione est clarus; communiter enim concipimus quantitatem, vt accidens physicum; materiam vero vt substantiam, inter quæ distinctionem dari necesse est: & Catholici præterea in Eucharistia quantitatem panis cum reliquis accidentibus remanere concipimus, atque hoc modo melius substantia, & accidentia quanta ab vnica quantitate reddunter, contra quæ valere non potest, quod nulla efficax ratio distinctionis inveniatur; cum omnes hæ coniecturæ, saltim simul sumptæ vnam rationem efficacem componere valeant, qua ducti dicamus potius quantitatem à materia distingui, quam miracula sine causa multiplicari, quamvis fateamur, quod, dum causa adest ea in hoc mysterio facillime à Deo multiplicentur.

Soluuntur argumenta.

3587 Objicies primo, essentia quantitatis consistit per nos in impenetrabilitate: sed materia prima per seipsam est impenetrabilis: ergo perseipsam est quanta, ac proinde à quantitate indistincta. Minor probatur quæcumque res naturaliter penetrabiles per seipsas penetrabiles sunt: sic Angeli inter se penetrantur absque accidenti distincto, vt penetrentur: sic etiam forma substantialis cum materia, & accidentalis cum subiecto sunt per seipsas penetrabiles: ergo similiter res quæcumque inter se impenetrabiles per seipsas, & absque vllo accidenti distincto erunt impenetrabiles, ac proinde materia perseipsam impenetrabilis est. Neque enim apparet, cur ad impenetrationem, quæ mera negatio est, plura, quam ad positivam penetrationem, requiri debeant. Respondetur negando minorem, ad cuius primam probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; primo namque tam forma substantialis, quam formæ accidentales ex natura sua petunt informare materiam, sive subiectũ: cumque informatio sit vnio penetrativa, penetrari ex se postulat, ratione propriæ naturæ, ac proinde ad id postulandum accidenti aliquo distincto non indigent; cum vero in materia non inveniatur similis exigentia ad impenetraationem cum alia, non sic sequitur, quod sit per seipsam impenetrabilis. Secundo loquendo de Angelis, & vniversaliter de quacumque re penetrabili, vt perseipsas, & non per accidens distinctum, penetrabiles dicantur, sufficit, quod talis accidentis distincti nõ detur aliquod fundamentũ: vnde solum sequitur, quod pariter res impene-

penetrabiles per se ipsas impenetrabiles forent, si ad ponendum accidens distinctum, quod eas reddat impenetrabiles, fundamentum non adesset: illud autem adesse constat ex nostræ sententiæ probatione. Nec refert, quod impetratio sit effectus negativus, potius quam penetratio; quia quod negativus sit non tollit, quod proveniat à potentia positiva, etiam iuxta adversarios; cum proveniat à materia ipsa: quod autem negativus sit, potius conducere debebat, vt non esset à potentia positiva, quam, vt non sit à potentia distincta.

3588 Secundo obijcies: separata materia à quantitate divinitus, adhuc materia maneret quanta: ergo necessario concedi debet quantitas cum materia identificata. Probatur antecedens: quia, separata quantitate à materia, adhuc materia haberet partes distinctas entitative, & physice integraliter vnitas, occupantesque diversas partes spatij: ergo maneret quanta. Respondetur negando antecedens, & ad probationem consequentiam; quia quæ in antecedenti adducuntur non sufficiunt materiã constituere quantam, cum ad hoc requiratur impenetrebilitas, quam tunc materia non haberet.

(?)

QVÆSTIO IV.

Circa species quantitatis aliqua dubia resolvuntur.

3589 EXAMINAVIMVS quæstionibus præcedentibus ea, quæ ad quantitatis essentiam declarandam spectare poterant. In hac vero, quæ ad melius percipiendas eius divisiones à nobis traditas *disput. 7. log. magnæ, q. 3. n. 1064.* conducere possunt, percurremus, species singulas in eis divisionibus contentas examinando. Dubitabis ergo primo, vtrum linea & superficies sint veræ species quantitatis. Negativam sententiam tenent nonnulli, inter quos à Lynceo *lib. 3. metaph. tract. 4 c. 5.* refertur Sotus, & à M. Sancto Thoma *in log. q. 16. art. 2.* M. Cubero, & Hurtadus. Respondetur tamen cum communi sententia affirmative, lineam, videlicet, & superficiem esse veras quantitatis species, directeque in prædicamento collocari. Constat hoc; quia quælibet illarum habet partes inter se, & cũ alijs impenetrabiles, & consequenter veram, & propriam quantitatis essentiam. Et si dicas primo, quod sunt quid incompletum in ratione quantitatis, cum ordinentur ad cõponendum corpus. Respondetur primo esse metaphysice quid completum; cum constent ex genere, & differentia: quod sufficit, vt sint species, & vt in prædicamento etiã

in

in linea recta ponantur. Secũdo respondetur, quod, licet, in corpore includátur lineæ, & superficies, illudque componant, hoc non tollit quominus linea, & superficies quid completum sint in linea quantitatis; quia independenter ab ea inclusione, & compositione, participant rationem quantitatis impenetrabilitatem, scilicet, & divisibilitatem: linea quidem secundum longitudinem, superficies vero secundũ lõgitudinem, & latitudinem. Etsi iterũ dicas, quod saltim linea, & superficies non erunt species à corpore distinctæ; cum earum differentiæ includantur in corpore. Respondetur negando eas differentias in corpore includi; quia licet istud sit impenetrabile secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; tamen in eo non includuntur differentiæ impenetrabilitatis lineæ, & superficiei; quia linea est impenetrabilis secundum longitudinem *tantum*; superficies vero secundum longitudinem, & latitudinem *tantum*, per positivas differentias, quibus aliam impenetrabilitatem excludunt: corpus vero secundum propriam differentiam nõ excludit aliam impenetrabilitatem secundũ profunditatem; sed potius eam exposcit.

3590 Secundo dubitatis, an locus sit species quantitatis. Vidimus in physica *disp.* 4 *q.* 1. quod locus communius sumatur pro loco extrinseco, & sic definiatur à Philosopho *vltima superficies corporis continentis locatum*, & iuxta eam acceptionem ex dictis ad dubitationem præcedentem constat, quod sit vera species quantitatis; cum sit superficies vera, & hanc speciem quãtitatis esse dixerimus: vnde non auget numerum specierum quantitatis; cum sit in superficie contentus, & differat tantum ab illa velut inferius à superiori; cum omnis locus extrinsecus sit superficies, non tamen omnis superficies locus extrinsecus. Diximus tamen nos *cit. disp.* 4 *Physic. q.* 1. præter locũ extrinsecum memoratum dari locum intrinsecum, qui proprius locus sit, & hunc esse spacium, quod corpore repletur, & occupatur: quod spacium esse indistinctum ab *vbi* rei diximus *ibid. n.* 21, 9. vnde talis locus intrinsecus ad prædicamentum *vbi* spectat, veraque species quantitatis non est; sed quantus dici potest à quantitate corporis, quod ipsum replet, aut replere potest, sicut ũmiliter alia accidentia quanta esse contingit. Quamvis autem vnum spacium, seu, quod idem est, vnum *vbi* non possit cum alio penetrari, quod id non sufficiat, vt quantitatis species sit, constat ex dictis *quæst.* 2. *num.* 3579.

3591 Inquirés, seu dubitabis tertio, an motus, & tempus sint veræ quantitatis species. Respondetur negative. Et in primis idẽ de tempore, ac de motu, sentiendũ, existimant communiter DD. etiam Tho-

Thomistæ, quamvis PP. Complutenses in logica *disp.* 13. *q.* 3. singulariter teneant, quod motus non est vera species quantitatis; bene tamen tempus. Sed hoc inconsequenter dici constat *ex disp.* 4. *Physic. q.* 8. vbi vidimus tempus, & motū inter se non differre, nisi in successione quam motus non includit essentialiter, prout motus est; eam vero includit prout est tempus. Vnde si motus, adhuc vt successivus est, non est vera quantitatis species, neque tempus vera quantitatis species esse potest: melius ergo cōmuniter Thomistæ eodem modo de tempore, ac de motu philosophantur vtrique negantes veram quantitatis rationem. Relicto autem modo, quo nostram sententiam probare solent Thomistæ, probatur breviter: quia motus, & tempus non habent impenetrabilitatem, in qua quantitatis essentia consistit: ergo non sunt veræ quantitatis species. Antecedens probatur, quia, quamvis demus, quod partes temporis & motus nequeant esse simul, sed necessario vna post aliam, id non sufficit ad impenetrabilitatem, in qua quantitatis essentiam consistere diximus; tum quia impenetrabilitas, ad quantitatem necessaria, est, qua plures entitates, aut plures partes vnius entitatis nequeunt eundem occupare locum; non vero ea, qua nequeunt eidem durationi correspondere. Tum etiam, quia, dato, quod non sola impenetrabilitas in ordine ad eundem locum, sed etiam in ordine ad eandem durationem sufficeret ad quantitatem, id debet intelligi iuxta supra *num.* 3579. notata, ita, videlicet, quod non quævis incompatibilitas in ordine ad eandem durationem, aut ad idem tēpus sufficiat; sed ea, qua vna res, vnave rei pars resistat, quominus alia eandem durationem, aut tempus habeat: successio autem, ratione cuius vna pars motus, aut temporis, alteri non coexistit, non fundatur in resistentia, qua vna pars aliam expellat à duratione eadem; sed potius in eo, quod quævis pars sit diverso tempori alligata: vnde si, per possibile, vel impossibile, vna pars, sive motus, sive temporis alteri coexisteret, neutra ei resisteret coexistentiæ: non ergo partes temporis, aut motus habent impenetrabilitatem ad quantitatis essentiā requisitam, ac proinde non sunt veræ quantitatis species; nisi forte in sententia aliorum asserentium quātitatis essentiam consistere in distinctione entitativa partium, in qua verius ego iudicarem motum, & tempus veras quantitatis species esse, quam oppositum: sed nos eam sententiam reiecimus *quæst.* 1. & 2. ideoque modo, motum, & tempus veras quantitatis species non esse, statuimus.

3592 Quarto dubitabis, an numerus sit vera species quantitatis. Respondetur affirmative cum Lerma *lib.* 7. *quæst.* 14 Gallego *controv.* 26 & pluribus quos Lynceus citat *lib.* 5. *metaph. tract.* 4. *num.*

num. 44. atque ex parte sequitur *num.* 46 contra plures quos citat idem Lynceus *num.* 38. Probatur autem responsio: quia sicut vnus homo est cum alio impenetrabilis, & quævis eius pars cum alia quavis eiusdem, vel diversi, sic quaternarius, & quivis alius numerus hominum est impenetrabilis ita, vt quævis pars numeri, quilibet, scilicet homo sit cum alia tum eiusdē, tum diversi numeri impenetrabilis, & totus etiam numerus cum alio etiam numero hominum sive æquali, sive inæquali, sit etiam impenetrabilis: ergo numerus vere participat impenetrabilitatem, & consequenter habet quantitatis essentiā, estque vera species illius.

3593 Contra responsionem tamen nostram obijcies primo si quantitas numeri, sive discreta esset vera species quantitatis, esset distincta à quantitate continua: sed non est distincta species à quantitate continua: ergo non est species quantitatis. Minor probatur quantitas discreta à quantitate continua solum differt, quia caret continuatione: sed ista est diversitas accidentalis; cum eodem modo sit impenetrabilis quantitas discreta, ac continua: ergo non potest constituere diversam speciem quantitatis. Confirmatur, quia substantia ignis continuata, & discontinuata non sunt diversæ specici: ergo nec quantitas.

3594 Respondetur ad argumentum primo, quod quantitas numeri, sive discreta potest esse vera quantitas, quin sit diversæ speciei à continua; cum possit dici, quod divisio quantitatis in continuam, & discretam nō sit generis in species, sed subiecti in accidentia. Secundo respondetur negando minorem, ad cuius probationem etiam nego minorem; carentia enim continuationis, quam habet quantitas discreta, inducit diversam impenetrabilitatem, & divisibilitatem quia formaliter solum est impenetrabilis, & divisibilis secundum partes discretas, secundum continuas vero solū materialiter: sicut ergo linea à superficie diversa est, quia quævis est diverso modo impenetrabilis, linea quidem secundum longitudinem solum, superficies vero formaliter secundum latitudinem, & solum materialiter quatenus lineis constat, secundum longitudinem: sic diversa est impenetrabilitas quantitatis discretæ ab impenetrabilitate quantitatis continuæ, quia illa solum est formaliter impenetrabilis secundū partes discretas; secundum continuas vero materialiter tantum; quia vnus homo prout quaternarium cōponens quid indivisibile est; quatenus vero partes habet continuas indivisibile non est; habet se tamen de materiali ad constitutionem numeri. Ad confirmationem respondeo negando consequentiam, quia in quantitate discontinuatio se habet de formali ad diversam impenetrabilitatem, in qua essentia quantitatis consistit; non vero ad essen-

tiam

tium substantiæ ignis, in quocumque illa consistat:

3594 Secundo objicies tres Angeli, aut tres animæ rationales constituunt numerũ ternarium non minus, quam tres homines: aut equi: sed ternarius Angelorum, aut animarum impenetrabilis non est: ergo vniversaliter verum non est, quod numerus essentiã habeat quantitatis. Ad hoc argumentum iuxta sententiam constituentem essentiã quantitatis in multitudine, sive distinctione entitativa partium, facilis est responsio, cum numerus ternarius Angelorum tres Angelos habeat tanquam partes entitative distinctas. Sed quia nos eam non admittimus sententiam, hac non vtimur responsione. Secundo alij respondent, quod res quantitate cõtinua carentes numerum non componunt: vnde ternarius Angelorum, aut animarum, apud ipsos, numerus, non est. Sed quia hoc etiam apparet incredibile, & contra communem loquendi, & concipiendi modum, istam etiam omitto responsionem, & cum communiori sententia dico, quod non quilibet numerus species quantitatis discretæ dicitur, sed ille solum, qui ex vnitatibus quantitatis continuæ coalescit: vnde Angelorum ternarius numerus quidẽ est, sed nõ quantitas discreta, quia non est numerus quãtitatũ cõtinuarũ; sed potius rerũ spiritualiũ omni quantitate carentiũ.

3595 Tertio objicies: numerus, sive quantitas discreta est ens per accidens: sed ens per accidens in nullo potest poni prædicamento, cum ad hoc requiratur, quod sit ens per se: ergo quantitas discreta non potest esse vera quantitas in prædicamento quantitatis ponibilis. Respondet P. Lynceus ad prædimentum metaphysice sumptum, seu ad hoc vt in eo aliquid reponatur, non requiri, quod sit ens per se; quantitas autem discreta in eo sic sumpto est ponibilis; non tamen in prædicamento physico; quod convincit argumentum. Displicet tamẽ ista solutio, quia etiam relatio, & habitus sunt entia per accidens iuxta doctrinam prædicti Patris: sed ista sunt in prædicamento physico alias numerus prædicamentorum in acceptione physica esset minuendus, cum in ea acceptione relatio, & habitus ab omni excludãtur prædicamento: cum ergo eum ipse numerum non minuat, defectus perfectitatis repertus in numero, relatione, & habitu sufficere non debet, vt ea excludantur à physico prædicamento.

3596 Quare alij respondent numerum esse ens per se, quia vltima vnitas est forma numeri, eique tribuit consequenter vnitatem, & perfectitatem sufficientem. Quæ solutio est expressa D. Thomæ, qui 7. *metaph. lect.* 3. ait: *Est enim per se vnum numerus in quantum vltima vnitas dat numero speciem, & vnitatem, sicut etiam ex rebus ex materia, & forma per formam est aliquid vnum, & vnitatem, & spe-*

speciem sortitur. Vbi clare S. D. hanc præstat solutionem, & simul indicat vltimam vnitatem non esse in omni rigore formam; sed solum, quatenus ad eius instar, vnitatem, & speciem tribuit, absque vera tamen, & propria informatione. Vnde inferes, quod perfectas numeri non sit ita propria, & perfecta, sicut perfectas compositi ex materia, & forma; id tamen nequaquam obest, quia licet ista perfectas etsi minor sit, quã perfectas simplicis substantiæ, tamen sufficit, vt aliquid ponatur in prædicamento, sic etiam sufficit ista perfectas ordinis, vt numerus a prædicamento; etiam physico, non excludatur, quamvis sit minor perfectate compositi ex materia, & forma, & omnium perfectatum infimum teneat locum. Et quidem sicut vnitas ordinis in numero reperta, iuxta aduersarios ipsos, sufficit, vt detur scientia de illo; sic sufficit, vt ponatur in prædicamento physico, sive vnitas ista vocetur perfectas, sive non, quid autem obesse potest, quod perfectas ea vocetur, dum vltimum perfectatis locum eam habere fateamur?

3597 Sed contra datam solutionem dices primo: quod etiam exercitus, & populus erunt entia per se, cum ordinis habeant vnitatem, quod cum dicendum non sit, vnitas ordinis non sufficiet in numero ad aliquam perfectatem. Secundo ordo numeri pendet ab intellectu numerante, & vltimitas vltimæ vnitatis ab illo hanc vltimo loco numerante: ergo erit aliquid rationis, & consequenter nequaquam species quantitatis realis.

3598 Respondetur tamen ad primam replicam concedendo exercitum, & populum esse entia per se infimo perfectatis gradu: quod autem communiter entia per accidens dicantur, non obest, quia loquuntur de ente per accidens prout opposito enti per se, aliqua perfectate maiori. Etsi obijcias, inde fieri, quod nullum sit ens omnino per accidens: negabo id sequi, quia acervus lapidum, & hominum cumulus nullum ordinem seruantium omni perfectate etiam infima carebit. Ad secundam replicã respondetur, quod etsi numerus, & vnitas eius ab intellectu numerante dependeat, non inde sequitur esse ens rationis proprie, aut proprie ens reale non esse; cum etiam esse cognitum ab intellectu dependeat, & tamen reale proprie sit, quamvis improprie ens rationis dici possit, quatenus ab intellectu dependet, non tamé quia aliquod esse verum non habeat, aut quia aliquid fictum contineat.

3599 Quinto denique dubitabis, an oratio sit proprie species quantitatis. Respondetur negative contra Lynceum *lib. 3. metaph. tract. 4 cap. 8* & Echalaz in logica *disp. 24. cap. 4* & alios, quos ipsi citant. Ante probationem est notandum hic nomine orationis intelligi quamlibet vocem, quamvis sim licem, pluribus syllabis constantem, quia ea est mensurabilis se-

secundum longitudinem, & brevitatem impliores alios motus discretos, secundum longitudinem, & brevitatem mensurabiles, vult Lerma nomine orationis hic intelligi. Hoc supposito. Probatur responsio nostra: in oratione nihil aliud reperitur, nisi sonus quidam, motus, quo causatur, & ex consequenti morula in eo motu consumpta, sive tempus: sed in nullo istorum ratio quantitatis salvatur ergo proprie species quantitatis non est. Minor probatur: quia in primis sonus quantitatis rationem non habet, tum quia potius qualitas est, tum quia non est impenetrabilis, sed potius penetrabilis cum alio sono. Quatenus autem motus & tempus in eo reperiuntur ex dictis in dubitatione tertia constat, rationem quantitatis sortiri non posse; si namque, vt ibi diximus, motus successivus, quando continue producitur, non habet rationem quantitatis continuæ successivæ, non est cur, quando successive discrete, seu quibusdam morulis interiacentibus fit, habere possit rationem quantitatis successivæ discretæ.

QVÆSTIO V.

De proprietatibus quantitatis.

3600 PRIMA Quantitatis proprietas à Philosopho assignata est non habere contrarium, quæ solum est propria primo modo quantitatis, omni quantitati conveniens, non tamen soli, cum, vt vidimus, etiam substantiæ conveniat. Contra eam tamen obijci solet primo, magnum, & parvum sunt species quantitatis: sed sunt inter se contraria; cum idem magnum & parvum esse non possit: ergo iam quantitatis proprium non est non habere contrarium. Confirmari solet: quia augmentatio, & diminutio sunt motus contrarij: sed alter terminatur ad magnum, ad parvum alter: ergo isti termini contrarietatem, quam motibus communicant habet inter se.

3601. Respondetur tamen primo magnum & parvum non esse duas species quantitatis, sed sub vna contineri, quæ autem contraria rigorose sunt, debent esse diversæ speciei; cum contraria rigorosa definiantur esse, *quæ sub eodem genere maxime distant & ab eodem subiecto mutuo se expellunt*. Secundo respondetur, permissa maiori, negando minorem; nam ad contrarietatem inter magnum, & parvum, non sufficit, quod idem non possit esse magnum, & parvum; cum idem nō possit esse homo & equus, quin tamen ob hoc homo, & equus contrarietatem habeant: requiritur ergo præterea, vt ab eodem se expellant subiecto: quod non habent magnum, & parvum; idem namque subiectum potest esse magnum, & parvum comparatione diversorum; quod autem eiusdem comparatione vtrumque non habeat, non proveniis

fit à mutua expulsione, sed ab oppositione relativa; eodem enim modo idem homo respecta eiusdem non potest esse Pater, & Filius, quâvis possit respecta diversorum, quin interveniat contrarietas, sed sola oppositio relativa. Tertio respondetur parvum secundum positivum, quod includit, nullatenus opponi magno, sed potius viâ esse ad illud: secundum autem quod dicit privationem maioris quantitatis opponitur illi, non tamen contrarie; sed privative. Vnde ad confirmationem dici debet augmentationé, & diminutionem non esse motus contrarios rigorose contrarietate à terminis proveniente; sed aut incompatibiles mere, aut ad summum privative oppositos.

3602 Secundo obijci solet: locus est quantitas: sed vnus locus cõtrariatur alteri, locus, scilicet, sursũ loco deorsum ergo vna quãtitas alteri potest esse contraria. Confirmatur quia Arist. 4. *physic. text.* 4. & *text* 44. ait corpora contraria naturaliter ferri in loca contraria: loca ergo contraria dantur. Respondetur, quod locus, secundum quod rem constituit in determinata distantia, qua ratione ad prædicamentum *vbi* spectat, contrarietatem subit; quatenus autem locus est, scilicet, prout partes habet impenetrabiles secundum latitudinem, nullam continet contrarietatem; illæ enim formaliter, vt partes impenetrabiles, non opponuntur; sed prout habent diversam naturam, secundum quam in diverso situ constituunt; quod materialiter se habet ad rationem quantitatis. Vnde ad confirmationẽ dicendum loca contraria dici secundum distantiam, quam important, & vt spectant ad prædicamentum *vbi*. Vel aliter: loca dici contraria, non quia ipsa contraria sint; sed quia contrarias habent qualitates. Non tamen negamus latam inter quantitates contrarietatem, merito cuius vna quantitas aliam non admittit in eodem subiecto; etsi vim non habeant vna alteram expellendi, cuius ratio esse potest, quod *difficilius reijcitur, quam non admittitur hospes.*

3603 Secunda quantitatis proprietas à Philosopho assignata est non suscipere magis & minus. Ratio est; quia vna quantitas continua, si sit bicubita, & ei aliquid addatur, non fit magis bicubita; sed desinit esse bicubita, & maior quædam fit, nec vna est magis bicubita, quam alia. Similiter etiam discreta; nam numerus vnus quinarius non est magis quinarius alio, & addita, aut ablata vna vnitate, potius, destruitur, quam magis, aut minus quinarius efficiatur.

3604 Tertia quantitatis proprietas à Philosopho assignata est esse æqualem, vel inæqualem alteri, quæ proprietas quarto modo illi convenit, scilicet ei soli, omni, & semper; sic enim tenet cum Arist. & D. Thom. communis sententia. Adversus quam obijcies primo, esse æqualem, vel inæqualem non

non omni quantitati convenit: ergo non est quarto modo proprietas illius. Antecedens probatur: quia quantitas incommuni omnes comprehendit: ergo à nulla distinguitur: ergo nulli æqualis, aut inæqualis dici potest; cum ad has relationes distinctio requiratur. Secundo probatur idem antecedens: si Deus vnam tantum quantitatem crearet, illa esset vera quantitas: & tamen nulli æqualis, aut inæqualis; cum termini existentiam hæ relationes poscant, & non existeret vlla quantitas distincta, ad quam hæ relationes possent terminari.

3605 Respondetur tamen negando antecedens: ad cuius primam probationem respondet Lynceus hinc proprietatem convenire quantitati personaliter, sive singulariter supponenti; non tamen supponenti communiter, cuius oppositum argumentum non probat. Sed adhuc responderi potest quantitati communiter supponenti cõvenire; ad hoc enim non requiritur, quod quantitas in cõmuni sit alteri æqualis, vel inæqualis; sed solum quod talis sit quælibet quantitas in particulari, quia proprietates essentiæ in communi ita conveniunt, vt earum exercitium illis in communi nec conveniat, nec possit convenire; sic enim homo in cõmuni risibilis est, quin in communi vnquam rideat, aut ridere possit. Convenit ergo quantitati in communi æqualitas, & inæqualitas, quatenus omnibus suis inferioribus potest convenire; esse enim æqualem, vel inæqualem in præsenti non pro actuali, sed pro aptitudinali accipitur, saltim si loquamur de quantitate in communi: ei ergo, sensu explicato, convenit.

3606 Ad secundam probationem respondetur primo, quod in illo casu quantitas illa singulis suis partibus esset inæqualis; sufficeret enim ad istam relationẽ distinctio realis inadæquata. Secundo responderi posset talem quantitatem æqualem fore, vel inæqualem comparatione quãtitatum possibilium; quia ad relationem non semper existentia termini est necessario requisita; sed de hoc infra *lisp 6*. Tertio respondetur illam quantitatem esse referibilem ad quãtitates, quas posset Deus creare, & hoc ad istẽtum sufficere, quia quantitatis propria non est relatio actualis æqualitatis, aut inæqualitatis, sed aptitudo ad illam, quæ proculdubio illi quantitati conveniret.

3607 Secundo obijcies esse æqualẽ, vel inæqualẽ convenit alijs à quantitate: ergo non est propriũ quarto modo illius. Antecedẽs probatur: quia differentiæ substantiales dicuntur æquales, vel inæquales in perfectione, duæ qualitates æqualiter, aut inæqualiter intensæ, & similia alia passim inveniuntur: alijs ergo à quantitate, æquale, vel inæquale esse convenit. Resp. negando antecedens, ad cuius probationem resp. in primis plura, quæ æqualia, aut inæqualis dicuntur, potius dicĩ debere similia, ac proinde improprie æqualia, vel inæqualia dici, vt in qualitatibus contingit. Deinde

alia dicuntur æqualia poti⁹, quã similia, ita tamẽ vt æqualia, vel inæqualia dicãtur eo modo, quo quãta, & quia quãta sũt improprie, improprie etiã æqualia, vel inæqualia dicuntur: veluti numerus rerum spiritualiũ, qui propter conveniẽtiam cum numero rerum materialiũ in ratione numeri, licet non in extensione, & impenetrabilitate, quantitas improprie dici potest, eadẽ improprietate æqualis, vel inæqualis potest dici, & idem est de differentijs substantialibus propter æqualem, vel inæqualem numerum perfectionum realiter, vel formaliter distinctarum, vel propter æquivalentiam ad plures pefectiones; proprie autem æquale, vel inæquale dici solum convenit quantitati propriæ, & strictæ; quia ei etiam solum convenit mensura proprie, & stricte dicta.

DISPVTATIO QVINTA.

De Prædicamento qualitatis.

3608 QVALITAS triplicitèr accipi potest: primo namque accipitur pro eo, quod quomodolibet actuat, qua ratione differentiæ qualitates dici possunt. Secundo accipitur pro eo, quod, cum sit extra essentiam rei, eam tamen afficit, qua ratione omnia accidentia qualitates dici possunt, quia extra substantiæ essentiam sunt, & in quale prędicantur. Tertio qualitas accipitur pro speciali accidente constituente vnum ex novem accidentis prædicamentis, quod inter decem prædicamenta ab Aristot. in prædicamentis ponitur quarto loco; in Metaphysica vero loco tertio; ordo autem in Metaphysica asservatus magis modo mihi placet; tum, vt in Metaphysica sequar ordinem à Philosopho in eadem observatum, sicut sequutus tum in Logica eum, quem in prædicamentis observavit: tum quia perfectior est iuxta omnes qualitas, quam relatio, ac proinde priorem sedem debet occupare. Vt ergo, quę circa illam occurrunt, percurramus, sit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit qualitas.

3609 QValitatem, prout hoc prędicamentũ tertiũ, apud alios quartum, constituit definit Arist. *Qua quales esse dicimur*. Contra dedefinitionẽ tamen istam objiciunt non pauci RR. primò eam esse nugatoriam, & idem per idem explicare; cum idẽ sit qualitas, & quo aliquid quale dicitur, sicut albedo, & quo aliquid dicitur albũ. Secundo circularẽ esse eam definitionẽ cum qualitatem per *quale* definiat, & rursus necesse sit, vt fecit Arist. quale per qua-

qualitatem definire. Tertio quod ignotum explicat per æquè ignotum; non enim magis notum eſt, *quo quales dicitur eſſe*, quam *qualitas*: ſicut non magis notũ eſt *quo aliquid eſt album*, quã albedo.

3610 Propter hæc, aut ſimilia argumẽta in varias abiere DD qualitatis definitiones. Arriag. namque eam definit eſſe *accidens abſolutũ diſtinctum à ſubſtantia*. Hurt. eam eſſe dicit *accidens abſolutũ à quantitate diſtinctum*. Suar. vero eſſe *accidens quoddam abſolutum adiunctum ſubſtantiæ creatæ ad complementũ perfectionis eius tã in exiſtendo, quam in agendo*. Aliæ etiam definitiones circunferuntur, quas longum eſſet referre; referam tamen duas alias; prius tamen has impugnando, quas impugno primo: quia non apparet, cur implicet qualitas aliqua eſſẽtialiter ſubiecto alligata: talis autẽ, cum accidens foret modale, non eſſet abſolutũ, conſequenterque ei nulla ex numeratis definitionibus cõveniret. Præterea prima, & ſecũda definitio potius quid non ſit qualitas explicant, quã quid ſit; cum ſolũ dicant à quo diſtinguatur, non tamen quid ſit. Tertia autẽ etiã deficit, quia alijs convenit à definito, quantitati, videlicet, quæ ſubſtantiã cõplet in exiſtendo, & in operando; cum novum eſſe accidẽtale det ſubſtantiæ, illique ad aliquas operationes deſerviat.

3611 Præterea alijs qualitatem definiunt eſſe *accidens abſolutum, quod conſequitur formã*. Quæ definitio colligitur ex explicatione prædicamentorum, quam ſæpius D. Tho. indicat, vbi dicitur aliud eſſe accidens, quod cõſequitur materiã, quod eſt quantitas; aliud, quod conſequitur formam, & eſt qualitas. Vt tamen aliquas difficultates contra hanc definitionẽ evitet Ovied. aliter eam proponit dicens qualitatẽ eſſe *accidens quod ſecundum rationem ſuperiorem prædicamenti, tantum ſequitur actualitatem perfectam*; Vbi per *actualitatem perfectam* intelligit id, quo vltimo conſtituitur totum ſubſtantiale. Contra iſtam tamen definitionẽ, adhuc vt refectam, eſt, quod lux aeris nec formam, nec actualitatẽ vltimã ſequitur; cum neque ab aere toto, neque ab illius forma exigatur: ſed eſt vera illius qualitas: ergo præfata definitio non poteſt omni qualitati convenire, quãvis vt in plurimũ verũ ſit, quod alię qualitates formam conſequantur, quod ſufficit ad fundãdam prædicamẽtorum multiplicitatem, quam D. Tho. & alij intẽdere iudicandi ſunt: dum ſic qualitatem definiunt; non tamen quia eam rigoroſe ſic definiri velint.

3612 Ex tanta definitionum varietate, quæ poſt Ariſt orta eſt, colligitur difficultas definiendi qualitatem: & cum inventa adhuc non fuerit definitio, quæ omnino poſsit qualitati quadrare, potius definitio, Ariſt eſt ſuſtinenda, cui nequaquam opponitur; ſed potius eius eſt explicatio alia definitio, quam D. Tho. tradit; & communiter Thomiſtæ,

quod, scilicet, qualitas *sit modus, seu dispositio substantiæ*. Vbi per modum non intendunt, quod sit accidens modale, sed quod determinet & qualificet substantiam: per dispositionem etiam non intelligunt extensionem, aut ordinationem extensivam partium; quia hæc quantitati tribuitur; sed dispositionem perfectivam substantiæ Hæc autem qualificatio, vt Aristoteles loquitur, aut modificatio, & dispositio substãtię, vt loquuntur Thomistæ, est effectus qualitatis: vnde per suum effectum formalem definitur. Etsi autem iste effectus videatur alijs etiam accidẽtibus convenire, non tamen illis cõvenit, quomodo convenire intendunt Aristotel. & D. Thom. qualitati, scilicet, primario absolutè, & simpliciter; qualitas enim primario subiectum qualificat, & disponit, & ideo absolute, & simpliciter qualificare dicitur; alia vero accidentia, etsi subiectum modificent, qualificent, & disponãt, cum aliud munus præcipuum habeant, non dicuntur simpliciter, & absolute qualificare. Vbi tandem nota, quod definitio, quam, alijs impugnatis novissime sequitur P. Peinado *in Logica tract. 3 disp. 4. sect. 1. num. 8.* ex Carlet. *disp. 10. Metph. sect. 1.* videlicet, quod sit *accidens absolutum distinctum à quantitate, benè, vel malè afficiens substantiam* in sano sensu intellecta, seu sublatis imperfectionibus, cum nostra coincidit; cum aliud esse non possit benè, vel malè afficere substantiam, quam quod nos cum Aristotel. & D. Thom. diximus, qualificare, modificare, sive disponere.

3613 Ad obiectiones autem allatas *num. 3609.* respondetur. Ad primam negando esse definitionem nugatoriam, quia etsi sit idem definitum, & definitio, est idem, diverso, & aliquantulum clariori modo, quod sufficit, vt nugatoria non sit; alias omnes definitiones essent nugatoriæ. Ad secundam nego etiã circularem esse, quia qualitas definitur per *quale*, non quatenus per qualitatem in ratione concreti constituitur; sed quatenus ipsa ei effectum qualificati, seu *qualis* tribuit; dum vero postea ipsum quale definitur, per qualitatem, definitur, vt concretum est, per formam, qua tale constituitur: vnde ob diversas *qualis* acceptiones vitatur circulus. Ad tertiam resp. definitionem datam non explicare ignotum per æquè ignotũ; sed per sũ notum explicat per aliquid, quoad nos, magis per se notum, quia effectus qualificationis, seu modificationis magis nobis notus est, quam qualitas illũ tribuens. Vnde constat sustineri debere dictam definitionẽ, præcipuè, cum rigorosa non sit, propterea que illi parcendum, etsi aliquos haberet defectus; cum genera suprema non stricte definiantur, cum iuxta communem sententiam supra se non habeant genus. Si tamen quis velit *ens* genus esse poterit qualitatem stricte definire, quod sit *ens similitudinẽ, aut dissimilitudinem*

cum

cum alio fundans. Nec mirum si loco differentiæ proprietas ponatur; cum differentia qualitatis tam abdita sit, vt nemo se eam inveniſſe certo præſumat.

3614 Definita qualitate, varias aſsignat Philoſophus illis ſpecies. Primo aſsignat habitum, & diſpoſitionem. Secundo potentiam, & impotentiam. Tertio paſſionem, & paſsibilem qualitatem. Quarto formam, & figuram. Vt habitum, & diſpoſitionẽ definias, nota quod habitus ſumi poteſt primo pro poſſeſsione, quæ acceptio in poſt prædicamentis eſt explicata *diſp. 8. logicæ.* Secundo pro hoc; quod eſt habere veſtẽ, vel arma, quo modo conſtituit vltimum prædicamentũ. Ac tandem accipi poteſt pro quadã ſpecie qualitatis, de qua acceptione in præſenti. Similiter diſpoſitio poteſt accipi primo pro quocumq; ordine partiũ, qua ratione etiã quantitati convenit eſſe diſpoſitionẽ. Secundo pro quacumq; qualitate; omnis enim qualitas modificat, & diſponit ſubſtantiã, modo ſupra explicato. Tertio ſumitur pro particulari qualitate, quæ ob nominũ inopiam, nomẽ generale ſibi apropriavit: ipſam ergo, & ſimul habitum definit Ariſt. in acceptione vltima, de qua in præſenti, quod ſit *qualitas per quã bene, vel male diſponitur diſpoſitum, aut ſecundum ſe, aut ad aliud.*

3615 Dicitur in definitione *bene, vel male* diſponi: quod intelligendũ eſt determinate bene, vel determinate male, vt ſic, inquit N. Ille ephonſus ab Spiritu S. à potẽtia diſtinguitur, quæ non determinate ad bonũ, vel malũ, ſed indifferenter ad vtrumque diſponit. Sed diſplicet modus iſte excludendi potentiam, cum omnes potentiæ neceſſariæ, vel ſaltim plures ad bonum ſint determinatæ; illæ ergo non poterunt excludi per iſtam definitionis partem. Quare dicendum exiſtimo potentias excludi, quia non diſponunt diſpoſitũ, ſicut habitus, & diſpoſitio, quæ cum ſupponant potentias diſponentes ſubiectum, illud diſponunt iam per potentias diſpoſitum, potentiæ vero, cum aliã qualitatem diſponentem nõ ſupponant, non dicuntur diſponere diſpoſitum. Ad hanc autem explicationem conſequenter ſequitur D. Th. cum virtutem definit *in 1. 2.* quod ſit *diſpoſitio perfecti ad optimum*, vbi ly perfecti idem valet, ac per aliam, vel alias qualitates diſpoſiti. Per ly autem *diſpoſitum* intellige diſpoſitione omni ab ipſo exacta, ne potẽtiæ, quę aliã potentiã ſupponit, conveniat, non autem conveniet, ſi ita intelligatur, cum non ſupponat illud diſpoſitum per ſe ipſam, & conſequenter nec diſpoſitum omni diſpoſitione exacta. Dicitur: *Secundum ſe, aut in ordine ad aliud*, vt includantur, tum habitus operativi, vt ſcientiæ, & erroris, tum non operativi, vt pulchritudo, & ſanitas; primi enim diſponunt ſubiectum ad operationem; ſecundi diſponunt ſubiectum ſecundum

se. Vbi tandem notandum est differre habitum à dispositione in eo, quod ille sit difficilè mobilis à subiecto; ista facilè mobilis: vnde definitio posita soli habitui conveniet, si addatur *difficilè mouilis*; soli vero dispositioni, si addatur contraria particula.

3616 Potentia, & impotentia, secundum positæ divisionis membrum, dicitur *qualitas à natura exacta ad operandum*. Per hoc, quod sit exacta à natura excludūtur habitus tam naturales, quam supernaturales; etsi enim ad operandum multi illorum deserviant; non tamen ad id à natura exiguntur. Definuimus autem simul potentiam, & impotentiam; quia hic *impotentia* non sumitur pro carentia potentiæ; sed pro potentia debili: vnde, si qualitas ad operandum exacta sit robusta, & ad perfectas operationes deserviens, dicitur *potentia*: vt intellectus ingeniosus; si vero imbecillis, & non valens ad perfectas operationes, dicitur *impotentia*: vt intellectus hebes, qui non valet ad perfectas operationes, potest tamen aliquid percipere.

3617 Passio, & passibilis qualitas dicuntur omnes qualitates sensibiles, aut quia sunt terminus alterationis, aut quia ab eis sensus pati coguntur. Tales autem qualitates, si diu durent, dicuntur passibiles qualitates: vt color ex complexione resultans; si vero cito transeant, dicuntur passiones, vt rubor ex verecundia causatus. De passione vero in alijs acceptionibus egimus in physica disp. 3.

3618 Forma, & figura (quatum prima hic non accipitur pro actu substantiali, aut accidentali quocumque: nec secunda pro impropria figura rethorica, aut syllogistica, nec etiam prout signo æquivalet) est modus ex terminatione quantitatis resultans, qui modus nō est indivisibile aliquod quantitatem terminans, nec etiam modale accidens à quantitate distinctum ex eius terminatione resultans; sed ipsamet quantitas prout taliter indivisibilibus terminata, vt in globū, quadrū, aut triangulum, aliamvè figuram sit redacta; iam enim sepius diximus eandem entitatem; sub diversa ratione posse ad diversa attinere prædicamenta. Quamvis autem diversimodè assignetur differentia inter formam, & figuram, duplex modus quadrat magis. Primus, quod figura dicatur illa terminatio quantitatis mathematice accepta, nuda, videlicet, ab alijs accidentibus sensibilibus; forma vero dicatur ipsa terminatio physice accepta, id est, sensibilibus accidētibus associata, & pro vt dicit pulchritudinem, & deformitatem. Secunda differentia, quæ etiam probabiliter assignatur, est dici formam terminationem ab ipsa re exactam, quapropter terminatio domus, cathedræ, faciei hominis, & similes possunt dici formæ; quia domus ipsa, cathedra, & facies tales postulant terminationes; figuram vero dici terminationem, quæ

à re

rè terminata non est exacta; sed præter exigentiam data. Quæ differentia placet mihi magis, quam alia satis communis dicens terminationem rerum artificialium dici formã; aliam vero quamcumque esse figuram; nisi enim artificialia ad naturalia extendantur etiam, secundũ quod aliquod artificium in illis relucet, qua ratione cum præcedenti differentia coincidet, mihi falsa erit eo, quod hominis terminationem figuram, & non formam, esse iudicet.

3619 Ex dictis facilè colligi potest divisionem positam qualitatis esse bonam, & adæquatam; cum nulla qualitas reperiatur, quæ ad aliquam ex enumeratis speciebus reduci non possit. Præterea bonitas divisionis communiter à Thomistis ex D. Thom. 1.2. q.49 a.2. sic probatur: qualitas, quæ est modus, vel dispositio subiecti, potest accipi vel in ordine ad naturam subiecti, vel secundum actionem, & passionem, vel secundum quantitatem: si ergo sit modus subiecti secundum eius naturam, benè vtique vel malè eam disponit, & primam speciem constituit: si secundum quantitatem, quartam; si vero secundum actionem secundam & tertiam, nam si sit modus substãtiæ secundum actionem, vt principium actionis, constituit secundam; si vero tanquam terminus actionis, tertiam: divisio ergo qualitatis in quatuor positas species optima est.

3620 Sed obijcies eadem qualitas potest esse in pluribus ex speciebus enumeratis: ergo illæ non habent inter se oppositionem requisitam ad bonam divisionem. Antecedens probatur, quia calor est in tertia specie, cum sit qualitas sensibilis, & terminus alterationis: est etiam in prima; cum malè disponere soleat subiectum, vt calor febris: estque etiam in secunda, cum ad celefactionẽ igni deserviat. Resp. tamen negando consequẽtiam; quia ad rectitudinem divisionis sufficit oppositio formalis inter membra dividentia, vt in summulis notavimus. Nec quod vna entitas sub diversis rationibus sub diversis sit speciebus inconveniens est; cum iuxta communem sententiam eadem entitas possit esse in diversis prædicamentis, quæ proculdubio magis distant. Calor ergo in diversis potest esse speciebus, vt Lerma admittit *lib. 7. Logicæ q.28. n. 6.* sub diversa ratione; non tamen sub eadem.

QVÆSTIO SECVNDA.

Dubia aliqua circa qualitatem resoluuntur.

3621 DVBITABIS Primo, an habitus, & dispositio essentialiter seu specifice inter se distinguantur. Respondetur negative contra Thomistas communiter, quos ex nostris sequuntur, N.P. Franciscus à S. Iuliano, & PP. Iosephus à Iesu Maria, & Ioannes à Conceptione. Resolutio autem nostra probatur ex

D. Thom. *quæst. 7. de malo art. 2.* vbi ait: *Ad quartum dicendum, quod difficilè mouile non est differentia constitutiua habitus; neque enim dispositio & habitus sunt diversæ speciei; alioquin non posset vna & eadem qualitas, quæ prius fuit dispositio postea fieri habitus.* Vbi non solum tradit, sed & probat nostram resolutionem ex eo, quod qualitas, quæ est dispositio, solet fieri habitus, vt febris in principio est dispositio, & postea ita radicatur, vt habitus fiat: si autem specie differrent nequiret fieri transitus de vna in aliam: sicut non fit transitus de homine ad equum, nec de alia quacumque specie in aliam.

3622 Sed obijcies primo: Ratio habitus, aut dispositionis non desumitur ex facili, aut difficili movilitate, vt cumque, sed ex facili, aut difficili movilitate ab habitu exacta: sed qualitas, quæ ex natura sua est facilè movilis, nunquam ex natura sua potest esse difficilè movilis; neque è contra: ergo dispositionem in habitum transire, aut è contra nec potest esse vera doctrina, nec mens D. Thom. & consequenter nostra resolutio, quæ in hoc fundatur, est falsa. Qualitates vtique, quæ non ex natura sua, sed per accidens facilè & difficilè mobiles sunt, esse posse eiusdem speciei; eas vero, quæ id habent ex natura sua, semper esse diversæ doctrina est D. Thom. 1.2 *quæst. 49. art. 2. ad 3.* quæ doctrina solutio potest esse, & explicatio testimonij à nobis adducti.

3623 Respondetur, quod quamvis vere reperiatur duplex modus facilis movilitatis, atque difficilis in argumento attactus: vtroque autem modo facilè movile dispositionem constituit; difficilè vero habitum; quia non est ratio, cur in definitione qualitatis de vna potius, quam de alia sermo sit: & quia neutra ad distinctionem specificam est sufficiens; quod enim qualitas facilè, aut difficilè movilis sit, etsi sit differentia; non tamen est differentia formaliter in ratione qualitatis; quia movilitas, aut immovilitas non est diferentia intra lineã qualitatis. Quod autem fatemur, & est mens D. Thomæ loco nobis obiecto est; quod qualitas facilè movilis ex natura sua, specie differat à qualitate similiter ex natura sua difficile movili; non ratione facilis, & difficilis movilitatis: sed ob aliã differentiam, quæ formaliter se habeat in linea qualitatis.

3624 Sed obijcies secundo, de essentia habitus est, quod sit difficilè movilis, & de essentia dispositionis, quod sit facilè movilis: ergo differunt essentialiter. Antecedens probatur: sine difficultate movilitatis non concipitur habitus: ergo ista est de eius essentia. Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens: sine difficultate movilitatis non cõcipitur qualitas, quæ est habitus, absolutè, nego antecedens: non concipitur qualitas, quæ est habitus cum accidenti requisito, vt habitus deno-

denominetur; concedo antecedens: & distinguo consequens: ergo difficultas mobilitatis est de habitus essentia, si sumatur specificative, nego consequentiam: si reduplicative, & prout habitus denominatur, concedo consequentiam: vnde nihil contra nos; quia etiam homines albi, & nigri sunt eiusdem speciei, & tamen de essentia hominis albi, reduplicative vt albi est albedo.

3625 Ex dictis facilè constat potentiam, & impotentiam: & similiter passionem, & passibilem qualitatem inter se non differre specie; posse enim ad magis, aut posse ad minus, quæ est differentia potentiæ, & impotentiæ, non possunt eas specifice variare; cum magis, & minus non varient speciem. Similiter parum, vel multum durare, quę est differentia passibilis qualitatis, atque passionis, nequit essentialiter eas variare; cum materialiter se habeat ad essentiam cuiuscumque qualitatis. De forma autem, & figura idem dicendum est iuxta secundam differentiam inter vtramque assignatam; quod enim terminatio exigatur à subiecto, vel non exigatur non potest illam essentialiter variare; iuxta primam vero, saltim inadæquate distinguuntur essentialiter, cum forma includat coloris, aliorumque accidentium dispositionem, essentialiter vtique, quæ non includit figura, nequaquam enim iuxta eam explicationem forma, qua homo rectè formatus dicitur, subsisteret, quantitate à reliquis accidentibus denudata cum partim in eis consistat.

3626 Secundo dubitabis, an qualitas hucusque definita, & divisa à substantia rei qualis distinguatur. Respondetur non semper distingui, sed sæpè cum ea identificari. Sic P. Lynceus *lib. 3. Metaph. tract. 5. cap. 2.* etsi contrarium communiter à DD. supponi fateatur. Probatur autem, quia qualitas in Deo reperitur, vt constat ex dictis à nobis *disp. 7. Log. num.* 1053 & 1054. & ex illo Athanasij in Symbolo: *Qualis Pater, talis Filius*; sed in Deo nullum potest dari accidens à substantia distinctum: ergo qualitas aliquando est à substantia realiter indistincta.

3627 Sed obijcies: omne accidens distinguitur realiter à substantia, vt diximus in Logica *disp. 7. quæst. 3. n.* 1059. sed qualitas est verum accidens, vtpote, vnum de novem accidentis prædicamentis: ergo realiter à substantia distinguitur. Respondetur tamen primo negando minorem; nam, si qualitas in tota sua latitudine accipiatur non est accidens; sed à substantia, & accidenti præscindit. Qua tamen ratione, hoc non obstante dicatur accidentis prædicamentum constat ex dictis *citat. disp. 7. Log. n.* 1055. Secundo respondeo distinguendo maiorem: omne accidens distinguitur realiter à substantia, si sit accidens rigorosum, & physicum, concedo maiorem; si sit accidens non ita rigorosum, & metaphysicum, seu

seu logicum, nego maiorem, & distinguo etiam minorem: sed qualitas est verum accidens physicum, aut logicum, concedo minorem; physicum determinate, nego minorem; ideo enim in Deo proprie potest reperiri, quia de ratione ipsius non est esse physicum accidens, & proprie accidere; sed in tota latitudine accepta præscindit ab accidenti physico, & logico: in qua etiam latitudine constituit prædicamentum qualitatis metaphysice sumptum, & hac ratione, præter alias duas *disp. 7 Log. num.* 1055. assignatas vocari potest prædicamentum accidentis.

3628 Tertio dubitabis, quænam sint qualitatis proprietates. Respondeo tres esse, quæ communiter assignantur. Prima est habere contrarium. Secunda posse suscipere magis & minus. Tertia vt res penes eam similes, aut dissimiles dicantur. Circa primam proprietatem nota primo. Eam non omni convenire qualitati; cum intellectui, ac voluntati, quæ qualitas sunt, nihil sit contrarium. Secundo nota soli qualitati hanc proprietatẽ convenire proprie, & primario; actiones enim, si contrariæ solent esse, id convenit illis secundario, quia ad terminos contrarios terminantur: relationes etiam contrariæ tantum dici possunt ob contrarietatem qualitatum, in quibus fundantur. De substantia, iuxta communẽ sententiam non potest esse difficultas, cum eius sit in omni latitudine sumptæ proprium contrarium non habere. Si autem sustineamus substantias incompletas aliquas esse contrarias vt diximus suprà *disp. 3. num.* 3473. dicendum hanc proprietatem inter entia in suo genere completa soli qualitati convenire, cum substantia in suo genere completa, iuxta nullius sententiam, contrarietatem subeat.

3629 Circa secundam proprietatem etiam nota non omni qualitati convenire, quamvis conveniat soli, quia suscipere magis, & minus, quod est intendi, & remitti, nec intellectui convenit, nec voluntati adhuc ex suppositione, quod distinguantur ab anima: nec vnus triangulus magis triangulus dicitur, quam alter. Circa tertiam tandem proprietatem nota eam esse quarto modo propriam qualitatis, eique soli, & omni convenire. Etsi obijcias duas substantias similes dici non raro, ac etiam sæpe dissimiles: ergo non solius qualitatis est ista proprietas. Resp. quod duæ substatię, si vt tales, accipiantur præcise, nõ sunt proprie similes, aut dissimiles, sed improprie. Si tamẽ accipiantur, prout in se habent, aut sibi identificant qualitatem, eas relationes proprie accipiunt: quod contra nos non est. Ex qua solutione vitari poterit quædam in consequentia, quæ ferè clara videbatur in Lynceo *lib. 3. Metaph. tract. 5. num. 5. & 10.*

DISPVTATIO SEXTA.

De Prædicamento Relationis.

3630 RELATIO Eſt quartum entis prædicamentum, & vltimum ex his, quæ in Logica Magna *diſp.7. quæſt.3. num.* 1074. in hunc locum exactius explicanda remiſimus, vt ſuprà *in Proemio diſp.3. huius tractatus* commemoravimus. Et ſanè, ſi ad numerum, & gravitatem difficultatum, quę circa illam examinandæ ſunt, attenderemus, non quartum; ſed primum locum inter prædicamenta eam tenere, poſſemus iudicare. Quia tamen ordo prædicamentorum non deſumitur ex numero, aut gravitate difficultatum, ſed aut ex perfectione eorum, aut ex communi DD. vſu, ideo quartum potius, quam primum locum debet occupare. Vt ergo difficultatibus quæ circa eam occurrunt ſatisfaciamus, ſit.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum dentur aliquæ relationes reales.

3631 SVPPOSITO Ex dictis in Logica Magna *diſp. 7. quæſt.3. nu.* 1065. quod relatio eſt, *cuius totum eſſe eſt eſſe ad aliud.* Nunc primo examinandum eſt, an dentur aliquæ relationes reales. Reſolutorie affirmative reſpondeo. Hæc reſponſio in divinis eſt certiſsima ita vt Cornejo *diſp. 5. de Trinitat. num.* 1. eam putet eſſe de fide. Eam autem etiam in creatis, de quo præcipuè in præſenti eſt quæſtio, eſſe verã, probatur; quia paternitas, filiatio, ſimilitudo, & ſimiles, ſunt relationes in creatis repertæ: ſed iſtæ ſunt reales: ergo in creatis dantur aliquæ relationes reales. Minor probatur, quia in maiori non poteſt eſſe difficultas, in creatis vnus homo realiter dicitur alterius pater, & alter homo alterius filius, & ſimiliter vnum album realiter ſimile dicitur alteri albo; omnes enim heiuſmodi denominationes tribuuntur, nulla intellectus interveniente ad eam communicandam operatione: ſed vnus homo dicitur pater à paternitate filius à filiatione ſimilis à ſimilitudine: ergo paternitas, filiatio, & ſimilitudo ſunt relationes reales. Huius ſyllogiſmi minor eſt manifeſta: maior etiã eſt clara, & inter proponendum eam probata. Conſequentia vero probatur, quia ea forma arguendi vſus eſt D. Thom. *1.p. quæſt.* 28. *art.1. arg.* ſed contra his verbis: *Sed con-*

cõtra est, quod pater non dicitur, nisi à paternitate, & filius à filiatione: si igitur paternitas, & filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter Pater, aut filius; sed secundũ rationem intelligentiæ tantum, quod est hæresis Sabelliana. Vbi D. Thom. ex eo quod Deus sit realiter pater, & hoc habeat à paternitate infert eam esse realem: quod & non aliud, nos increatis inferimus ex eodem fundamento: ex quo nostram resolutionem omnino certam iudico.

3632 Sed dices non esse ita certam nostram resolutionem, vt asseveravimus; si enim in creatis reperiuntur relationes reales, aut debent distingui à fundamento, aut non: sed est probabile nullam dari relationem à fundamento distinctã, & etiam est probabile non dari relationem à fundamento indistinctã: ergo probabile etiam erit nullam dari relationem realem in creatis. Minor, quoad primam partem constat; cum relationem distinctam à fundamento impugnent communiter Iesuitæ, præcipuè R.R. & proculdubio probabiliter. Quoad secundam vero etiam constat; cum Thomistæ, etiam probabiliter, obijciãt Iesuitis illis qui Nominales sequuntur, destrui prædicamentũ relationis, & consequẽter, eoipso, quod relatio à fundamento sit indistincta, nulla dabitur realis relatio; aliàs relationis maneret prædicamentum. Respondetur tamen nobis in præsenti sufficere, quod detur aliquid reale, quo vna res ad aliam referatur, & quod vocetur relatio; si autem illud, ob indistinctionem à fundamento, non constituat speciale prædicamentum, non ideo relatio non erit realis; sed solum fiet, vt relatio, quamvis sit realis, non sit prædicamentum distinctum à reliquis novem, ob distinctionis necessariæ defectum; non vero ob defectum realitatis. Nobis autem in præsenti hoc sufficit, quod id, quod relatio dicitur, sit aliquid reale, sive distinguatur à fundamento, sive non; sive etiam ad speciale prædicamentum attineat, sive per omnia divagetur: hoc autem in quacumque sententia debet admitti. Quid autem, circa distinctionem à fundamento, & constitutionem specialis prædicamenti, sit dicendum, prolixius est infra examinandum.

3633 Et si dicas iterum probabile est relationem consistere in denominatione extrinseca, iterumque probabile est omnem denominationem extrinsecam esse ens rationis: ergo probabile etiam erit, quod ex vtroque sequitur, scilicet, quod omnis relatio creata sit ens rationis. Respondetur denominationes extrinsecas, nec probabiliter entia rationis esse, si proprie ens rationis, & rigorosè sumatur; probabilitas enim adversariæ nobis in hac parte sententiæ, si quæ est, nititur in diversa, & impropria entis rationis acceptione, & si aliter loquitur ei probabilitatem denegamus. Vide dicta

dicta *disputat.* 2. *Logicæ Magnæ quæst.* 2.

3634 Pro sententia autem contraria nostræ citantur Aureolus, ac Nominales, qui forsan solo nomine à nostra recedunt. Qui tamen nostram sequuntur sententiam, adhuc nobis parant litem; est enim vnus, vel alter, qui, quamvis relationes creatas reales admittat; illas tamen esse reales putat secundũ esse *in*; esse autem *ad* illarum semper aliquid rationis esse existimat. Alij autem, inter quos communiter citantur Caiet. & Canariensis 1. *p. quæst.* 28 *art.* 1. esse *ad* relationum existimant non esse aliquid reale, neque etiam aliquid rationis, sed aliquid ab vtroque præscindens: cuius tamen sententiæ diversæ sunt intelligentiæ DD. Primo enim intelligi solent à Iesuitis quasi velint, quod in qualibet relatione etiam reali, conceptus *ad* illius non sit realis, nec rationis, sed ab vtroque præscindat. Secundo intelliguntur à N. Ildephonso ab Spiritu Sancto ita, vt vellint, quod relationes rationis secundum conceptum *ad* ad hoc spectent prædicamentum, & consequenter ratio *ad* generalissima huius prædicamenti præscindat, & sit abstracta à ratione *ad* reperta in relationibus rationis, & ab ea, quæ in realibus solet reperiri. Sed explicatio ista in eo est mihi falsa apertè, quod eam intelligentiam tribui etiã debere iudicat M. Araaujo, cui tamen minime potest aptari; ipse enim & sentit, & explicat tertio Caietanum, quod voluerit conceptũ *ad* relationis prædicamentalis esse realem; talem tamen conceptum reperiri quadam proprietate in relationibus rationis, qua non reperiuntur rationes aliorum prædicamentorum, ita, vt etsi ratio *ad* abstracta à ratione *ad* relationum rationis, & relationum realium sit analoga; tamen est talis analogia proportionalitatis propriæ, quia illa ratio *ad* maiori proprietate reperitur in relationibus rationis, quam reperiantur rationes aliorum prædicamentorum; non tamen ita, vt in relationis prædicamentum eas faciat intrare: quod latè explicat *lib.* 5. *Metaph. q.* 5. *art.* 2.

3635 Vt quid alij in hac rẽ sentiant, & quid nos sentiamus, intelligatur, notandum, quod esse *in* in relatione vocatur conceptus ille, in quo cum alijs accidentibus convenit, & per quem habet esse in subiecto seu illi inhærere; conceptus vero *ad*, seu esse *ad* dicitur conceptus ille, qui relationi specialis est, & ratione cuius habet ad aliud esse, scilicet, ad terminum, illum respiciendo. Dico ergo primo: omnis relatio realis habet esse ad reale. Conclusio ista est contra primam singularem sententiam, & contra secundam Caietani, & Canariensis primo modo intellectam, sive explicatam. Probatur autem clarè, quia esse *ad* est propria differentia constitutiva relationis, & distinctiva illius à reliquis: ergo debet esse realis in relationibus realibus. Patet conse-

consequentia; quia aliquid rationis non potest esse differentia constitutiva entis realis, nec illum ab alio realiter distinctum constituere: ergo si relatio realis constituitur per *ad* tanquam per differentiam, & per id etiam distinguitur à reliquis prædicamentis realiter, debet esse determinate aliquid reale, & nequaquam aliquid rationis, aut à reali, & rationis præscidens.

3636 Dico secundo contra secundum modum explicandi sententiam Caietani: relationes rationis non pertinent ad hoc prædicamentum, & consequenter ratio *ad* huius prædicamenti constitutiva non abstrahit à reali, & rationis. Probatur facilè ista conclusio: quia ens divisum in decem prædicamenta est ens reale: ergo singula membra debent esse realia determinate, aliàs non valeret à singulis ad divisum, vt in divisione totius potentialis, qualis est hæc, valere debet.

3637 Dico tertio contra tertium modum explicandi, & defendendi sententiam Caietani: non datur conceptus relationis præscindens à reali, & rationis magis, aut proprius, quam in prædicamento qualitatis, aut quocumque altero. Probatur conclusio: sicut qualitas realis proprie est qualitas; qualitas vero rationis improprie, & secundum quid, ita relatio realis proprie est relatio; relatio vero rationis improprie, & secundum quid: ergo eo modo, & non alio, quo qualitas abstrahi potest a reali, & rationis, poterit abstrahi relatio: vtraque autem abstrahi poterit eo modo, quo ens à reali, & rationis abstrahi posse diximus *in Log. Magna disp. 6.*

Soluuntur argumenta.

3638 Contra primam ex tribus nuper positis conclusionibus objicies: esse *ad* cuiuscumque relationis nullam includit realitatem: ergo vel erit aliquid rationis, vel à reali, & rationis præscindens. Antecedens probatur: omne esse reale, sive omnis realitas aut habet esse *per se*, aut esse *in alio*: sed esse *ad* relationis nec habet esse *per se*, nec esse *in alio*: ergo quia non includit realitatem. Minor probatur: quia esse *ad* relationis; cum non sit substantia, non potest habere esse *per se*: deinde non habet esse *in alio*; quia esse *in alio* convenit relationi per conceptum *in*, quem communem habet cum alijs accidentibus; ergo conceptus *ad*, præcisse sumptus, nec habet esse *per se*, nec *in alio*.

3639 In primis responderi posset quod conceptus *ad* relationis non potest præscindi ab omni esse *in*: sed necessario aliquod esse *in* includit; non tamen esse *in* commune alijs accidentibus, sed speciale relationis, videlicet, quo sit in subiecto, non vt cumque, sed illud ad terminum referendo, quo salvatur, & quod per esse *ad* differat relatio ab alijs accidentibus, & quod habeat esse *in alio*, ob con-

cep-

ceptum *in* peculiarem sibi, à quo non potest præscindi omnino. Sed quia probabilius iudico esse *ad* relationis posse præscindi ab esse *in*. Respondeo ad argumentum negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: omne esse reale, sive omnis realitas habet esse *per se* aut esse *in alio*, realiter sumpta concedo maiorem; formaliter, & præcisive accepta, nego maiorem, & similiter distinguo minorem: esse *ad* relationis non habet esse *per se*, neque *in alio* præcisive, & formaliter sumptum. concedo minorem; realiter acceptum, nego minorem, & consequentiam. Sicut ergo nullum datur animal, quod non sit rationale, vel irrationale realiter; & tamen præcisum animal per intellectum nec est rationale, nec irrationale: sic, quamvis nullum esse reale detur, quod non sit realiter sumptum *per se* vel *in alio*; aliquod tamen esse reale dari poterit, quod præcisive sumptum nec sit *per se*, nec *in alio*.

3640 Contra secundam autem, & simul tertiam conclusionem obijcies D Thom. 1. *p. quæst.* 28. *art.* 1. aientem: *Quod solum in his, quæ sunt ad aliquid inveniuntur aliqua secundum rem, & aliqua secundum rationem.* Ergo iuxta mentem Angelici D. relationes rationis pertinent ad relationis prædicamentum, vel saltim specialiter continentur sub aliqua communi ratione abstracta relationis. Respondetur tamē ad hanc per dificilem authoritatem. D. Thom. loqui de his, quæ frequenter, & ordinario accidunt; sic enim verum habet eius dictum; frequenter enim conficiuntur relationes rationis, & tamen frequenter non conficiuntur substantiæ, quantitates, & qualitates rationis. Quamvis autem Arauijus hanc frequentiam maiorem in relatione non percipiat, facilè percipi potest cum passim in Logica conficiamus relationes subiecti, prædicati, vniversalis, & alias plures; non ita frequenter substantias, aut qualitates rationis. Quamvis autem relationes numeratæ non sint strictissime relationes rationis in nostra sententia; sunt tamen tales in sententia communi, præcipuè Thomistarum; & quamvis non sint tales rigorosè, aliquomodo, etiā iuxta nostram sententiam tales dici possunt. Vide dicta in Logica Magna *disp. 2. quæst. 3. à num. 458. vsque ad 462.*

QVÆSTIO SECVNDA.

Circa diuisiones relationis aliquæ difficultates resoluuntur.

3641 IN Logica *disp. 7. quæst. 3. à n. 1066. ad 1071.* sex tradidimus diuisiones relationis. Prima illarum est, qua dividitur in relationem realem & relationem rationis. Secunda, qua dividitur in prædicamentalem, & trascendentalem. Tertia in relationem secundum esse, & secundū dici.

dici. Quarta, qua dividitur in mutuam, & non mutuam. Quinta, qua mutua sub dividitur in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Sexta tandem, qua dividitur relatio ex parte fundamenti, sive rationis fundandi in tria genera. Primum, quod fundatur in vnitate, & numero. Secundũ, quod fundatur in actione, & passione. Tertium, quod fundatur in mensura, & mensurabili. Hæ divisiones explicatæ sunt loco citato. Aliqua tamen, quæ difficiliora sunt circa ipsas sunt in præsenti discutienda. Inquires ergo primo, an dictis divisionibus sit alia superaddenda, qua videlicet, relatio dividatur in relationem extrinsecus advenientem, & relationem intrinsecus advenientem. Affirmant Scotistę dicentes relationem intrinsecus advenientem, quæ hoc prædicamentum constituit, esse illam, quæ posito fundamento, & termino, statim resultat; relationem vero advenientem extrinsecus, quæ spectat ad sex vltima prædicamenta, dicunt esse illam, quæ non statim consurgit, posito fundamento, & termino.

3642 Respondeo tamen, cum communi sententia, admittendum non esse prefatam scoticam divisionem. Primo namque ex eo, quod, posito fundamento, & termino statim resultet relatio vna; altera vero non statim, potius sequitur vnam necessariam esse; alterã contingentem, quam intrinsecam vnam, extrinsecam alteram. Nec ratio sufficiens reddi potest, cur relatio Patris intrinseca sit ipsi; relatio vero causæ ad effectum sit illi extrinseca; cum hæc secunda sit transcendentalis, quæ coincidit iuxta Scotum cũ relatione extrinsecus adveniẽte; prima prædicamentalis, quæ cum intrinsecus adveniente, iuxta eundem, coincidit. Secundo etiam: substantia refertur transcendentaliter ad accidens, materia ad formam, vtraque ad plura accidentia absoluta, & illa econtra ad vtramque: relatio ergo transcendentalis, sive, quod idem est apud Scotum, extrinsecus adveniens, non ad sola spectat sex vltima prædicamenta.

3643 Tertio denique præfata divisio impugnatur: quia non magis, posito fundamento, & termino, resultat relatio prædicamentalis Patris ad filium, quam similiter, posito fundamento, & termino, resultet relatio transcẽdentalis causæ ad effectum: ergo posita disparitas non datur inter vtramque. Probatur antecedens: sicut posita entitate causæ, & entitate effectus, non resultat relatio, nisi etiam ponatur actio, ita non resultat, posita entitate Patris, & entitate filij, nisi ponatur actio, qua primus secundũ producat: posita autẽ vbique actione, tam ibi relatio transcendentalis causę, quam inter Patrem, & filiũ prædicamentalis paternitatis, resultat: ergo vbique eadem est ratio, ac non magis vna, quam altera relatio posito fundamento, & termino, consurgit. Confirmatur: quia non

sola

sola causa ad effectum transcendendentaliter refertur, sed etiam actio ipsa: sed, ipsa posita, simul cum suo termino, statim datur inter vtrumque relatio: ergo iam, quod propriũ ait Scotus esse relationis prædicamentalis, alicui transcendentali convenit.

3644 Secundo circa præfatas divisiones inquires, an dẽtur aliquæ relationes non mutuæ. Resp quod, si relatio sit modus, aut realitas à fundamento, & termino distincta, necessario debent dari aliquæ relationes non mutuæ; nam creatura in tempore per realem relationem, quã ad Deum dicit, dicitur creatura, aut creata; Deus autem sine reali relatione, quę modus sit dicitur creator; si enim per relationem, quę esset res, vel modus distinctus, diceretur creator, patereturque mutationem.

3645 In sententia autem asserente relationẽ non esse realiter distinctam à fundamento, & termino, hæc ratio non habet vim, ideoque etiam in Deo reperitur realis relatio ad creaturam. Lynceus tamen asserit dari relationes non mutuas, ne divisionem relationis in mutuam, & non mutuã neget, tanta consensione, receptam, vt non liceat eam in dubium revocare. Eam tamen salvari dicit, non quia sit aliquis terminus relationis, qui aliqua relatione ad suum non referatur fundamentum; sed quia sunt aliqui termini, qui non referuntur ad fundamentum, simili relatione, qua fundamentum ad ipsos: quod sufficit, vt illę relationes dicantur non mutuæ; quia tales non sunt in eodem genere: sicut principia entis naturalis dicuntur ex alijs non fieri quia non fiunt ex alijs in eodem genere, etsi fiant in diverso.

3646 Ego autem existimo sententiam P. Lyncei veram esse in duobus, & in vno fallam. Veram quidẽ primo, quatenus existimat nullam dari relationem, quæ non sit mutua, saltim in diverso genere; in sententia namque non distinguente relationem à fundamẽto, & termino, nullus potest assignari relationis terminus, qui ad suum fundamentum non referatur, saltim diversi generis relatione: vt constabit perpendenti, quam insufficientes sint rationes, quibus Adversarij vtuntur, vt quamvis scientia referatur ad scibile, illud ad scientiam referri negent, quas impugnat Lynceus *lib. 3. Metaph. tract. 6. cap. 1. à num.* 15. Secundo veram existimo sententiam Lyncei, quatenus ait salvari posse divisionẽ relationis in mutuam & non mutuam eo, quod dentur aliquæ, quæ etsi mutuæ sint in diverso genere, non sunt mutuæ in eodem genere: hoc enim suadet ratio ex illo *num. præced.* allata.

3647 Sententiam autem Lyncei fallam esse existimo, quatenus iudicat divisionem communem relationis in non mutuam, & mutuã posse salvari modo quo ipse eas admittit, & quẽ nuper retulimus. Et ratio est quia etsi optimè tradi posset dicta divisio in hoc sensu, quem

admittit Lynceus propterea que ei suffragium dederimus n. præc. tamē cōmunis divisio in eo sensu non est tradita: ergo quamvis sustineat Lynceus divisionē, quæ tradi posset, non sic divisionē, quæ communis est, & hucusque tradita. Minor, in qua est difficultas, est mihi manifesta; quia communis sententia statim, ac dividit relationem in mutuam, & non mutuā, sub dividit mutuam in relationē æquiparantiæ, & disquiparantię; solę autem relationes disquiparātiæ sunt quæ à Lynceo non mutuæ dicuntur: ergo relationes, quas cōmunis sententia appellat mutuas, Lynceus non mutuas dicit: non ergo communem divisionem sustinet; sed aliam, quæ nomine tantum, non sensu, cum ea convenit.

3648 Quia autem solum à Lync. dissentio, quatenus suam sententiam ad communē reduci posse existimat, adverto circa eam primo nostram sententiam non esse authoritate destitutā cum Nominales, qui nondistingunt relationē à fundamēto, & termino, in qua suppositione hāc quæst. decidimus, relationē non mutuā in sensu à nobis negato negant, proculdubio concessuri in sensu à nobis concesso. Quod vero reliqui communiter oppositū sentiāt, non multū nocet; tum quia id evenit ex eo, quod cōmuniter asseratur relatio distincta; tum quia ij, qui eā distinctam negant, aut ad id in hac tradēda divisione non adverrunt, aut si advertunt, non iuxta propriā, sed iuxta communiorē sententiam loquuntur. Quod totum adhuc necessariū nobis non erat; nec enim hæc res est tam gravis, vt multo indigeat authoritatis præsidio. Secundo adverto, quod iuxta hanc nostram, & Lyncei sententiā, quarta, & quinta relationis divisio non est tradēda, vt tradita est suprà *n.* 3641. & in Log. Magn *disp. 7. cit. n.* 1069. & cōmuniter ab alijs traditur; sed ita, vt vtraque divisio sit vna tantum, qua relatio dividatur in mutuam, seu æquiparantię, cui, scilicet ex parte termini similis correspōdet relatio & nō mutuā, seu disquiparantiæ, cui scilicet ex parte termini non similis, sed diversa relatio correspondet.

3649 Vnde colliges in nostra sententia intelligi benè, quomodo tertiū genus relationis ex assignatis in sexta divisione, contineat relationes non mutuas; intelligendū enim ita est, vt relationes illius generis sint non mutuæ; non tamen, vt extra illud aliquæ etiam nō mutuæ reperiri nequeant. Salvatur autē omnes contentas in eo genere esse non mutuas; quia, dum scientia ad scibile dicit relationē mensurari, vel mensurabilis, illud non relatione mēsurabilis refertur ad scientiā; sed mensurantis, aut mensuræ, quæ illi est dissimilis. In contraria autē sententia difficillimè potest intelligi, quomodo tales relationes non mutuæ sint; cum iuxta illā ad hoc sit necessarium, quod terminus, seu obiectū nulla relatione ad scientiā referatur; quod vix percipi posse considerant constabit, præcipuè si videat Lyncitat. n. 3646. Inquis-

3650 Inquires tertio, in quo differat relatio transcendentalis à prædicamentali. Respondetur vtrãque relationem discernere perdifficilè esse ita, vt huius rei difficultas DD. in varias disperserit sententias & vix vlla rem omnino declarat, aut inter vtramque perfectè discernere docet, ideo consulto in vltimum locum hoc distuli quæsitum, vt pro eo solvendo quæstionem instituerem sequentem.

QVÆSTIO TERIA.

In quo differat relatio prædicamentalis à transcendentali.

3651 PRIMA Sententia tenet relationem prædicamentalem à transcendentali differre in eo, quod relatio prædicamẽtalis terminum postulat existentem, illum tamen existere non postulet transcendentalis. Ita sentiunt aliqui apud Suarez, & Hurtadum, & apud Lynceum Baltasar Tellez *in Metaph. disp. 42. sect. 1. conc. 2. n. 21.* Quatenus autem asserit hæc sentia relationẽ prędicamentalem requirere terminum actu existentem, non solum defensatur à citatis DD. sed etiam est inter alios communis, vt videri potest in Lynceo *lib 3. Met. tr. 6 cap. 11. n. 149.* eosq; novissime sequitur M. Aguirre *in sua Met. disp. 10 n. 9 & 40.* Antequam autem hęc sententia examinetur, vt tam ipsa quam aliæ, facilius possint examinari, est sciendũ, quod, vt innuimus in Log. *disp 7 q. 3. n. 1067.* communiũ DD. consensu inter relationes prædicamentales numerãtur illa, qua aliquid simile alteri dicitur, vel dissimile: æquale, vel inæquale alterius Pater; vel etiã, filius & qua scientia ad scibile refertur, aliæque similes. Inter transcendentales autem non minus communiter referuntur, qua substãtia ad accidentia, quibus substat, refertur, atque ei in accidentibus correspondens: itẽ, qua actio ad terminũ productũ, ac etiã ad causam producentẽ refertur, aut vnum eorũ alteri refert: atque etiã passio in ordine ad formã receptã, subiectumque recipiens, necnon vbicatio & duratio ad locũ, & tempus. In his valde DD. consentiunt sicut dissentiunt in assignanda ratione cõmuni vtriusque relationis, quæ omnibus cuiusvis generis numeratis conveniat, similibusque, quæ vel quia non ita notæ, vel ne longior fieret catalogus, sunt omissæ.

3652 His præmissis, posita sententia impugnatur primo: quia plures relationes transcendentales postulant sui termini existentiã: ergo id non est relationis prędicamẽtalis propriũ, aut differentia eam à transcendentali discernens. Conseq. est clara, & anteced certum; actio nãque effectũ ad quẽ refertur transcendẽtaliter existere postulat: similiter passio formã, quã receptã constituit, vnioque extrema quæ vnit: aliquæ ergo relationes transcendentales termini sui postulant existentiam. Si autẽ quis dicat has relatio-

nes poſtulare termini exiſtentiã, nõ quia tranſcendentales ſunt, ſed quia ſũt tales relationes; relatio vero prędicamẽtalis ex eo, pręciſſe quod talis ſit poſtulat termini exiſtentiã. Cõtra eſt quia hac reſpõſione redditur nulla differentia aſsignata; nam poſito, quod vna relatio petat ſui termini exiſtentiã non poterit colligi eam eſſe prædicamentalẽ, niſi etiam conſtet eam exigentiã illi cõpetere, quia prædicamentalis eſt, ad quod neceſſariũ erit aliquo vti principio, vel ſigno, quo ea à tranſcendentali differat, qua ratione ei talis cõpetat exigentia: ea autẽ differentia primo diſtinguet relationem prædicamentalem à tranſcendentali, ac proinde ea eſt, quam inveſtigamus.

3653 Secundo ſolutio nuper impugnata, & ſimul poſitũ diſcrimen impugnatur: quia aliquæ relationes prędicamentales ſui termini non poſtulant exiſtentiã: ruit ergo diſcrimen allatum. Prob. anteced. quia vnum tempus alteri dicitur ſimile, aut diſsimile, æquale, vel inæquale; nam dies hebdomadæ inæqualis eſt, alteri diei æqualis; ſimilis vni diei, alteri diſsimilis: ſed vnum tẽpus alteri nõ coexiſtit, dum enim hic dies qui alteri æqualis, aut ſimilis eſt, exiſtit, ille nõ exiſtit, ſed exiſtit, aut extiturus eſt: ergo ad has relationes termini exiſtentia non poſtulatur.

3654 Sed dices primo Pater, dum orbatur filijs deſinit eſſe Pater: ſed nõ alia ratione, niſi quia termini talis relationis deficit; relatio ergo prædicamentalis poſtulat ſui exiſtentiam termini. Maiorẽ, etiam vulgari ſermone obſervatã teſtis eſt Suarez, eamque multiplici authoritate probat Lync. *cap.* 11. *à n.* 151. Reſp. tamẽ primo, quod, etſi conſequens admitteretur, ſolũ fieret, quod iſta relatio ſui termini poſtularet exiſtentiã; non tamen, quod omnis relatio prædicamentalis eam poſtularet. Secundo reſp. relationẽ paternitatis duplicẽ ſenſum habere poſſe, quorum, etſi vterque ſit proprius, alter tamẽ maiorem quandã habeat proprietatẽ, & rigorem. Igitur Pater aliquis dicitur in ſenſu proprijſsimo, & rigoroſiſsimo, dum terminus paternitatis exiſtit, & non aliter: quod authoritates, & modus cõmunis loquendi convincunt; in alio autem proprio ſenſu relatio paternitatis ſine termini exiſtentia ſalvatur; ſic enim communiter dicta fuit, & exiſtimata B. Virgo Maria Chriſti Mater, adhuc in mortis illius triduo, & duo Apoſtoli dicti fuere filij Zebedei, eo iam defuncto ac omnes dicimur filij Adæ: quæ loquutiones propriæ abſque inconvenienti poſſunt dici.

3655 Ratio autem à priori eſt; quia relatio, cum ſit genus quoddam entis realis, poteſt ſumi & nominaliter, & participialiter: ſicut ergo alia genera entis realis verè realia, & prædicamentalia ſunt, ante exiſtentiam, etſi tantummodo nominaliter ſint entia, cur etiam non ſimiliter continget in relatione prædicamentali?

Quod

Quod autem aliquæ relationes prædicamentales postulent terminii existentiam, ex eo provenit, quod aut ex proprio genio, aut modo communi eas significandi eas actuales esse denotatur. Sic Petrus in albedine dicitur similis Paulo, tantum, dum vterque existit; quia hæc relatio vtrique albedinem convenire, ex proprio petit genio; vtrique autem albedo convenire nequit, nisi vterque existat.

3656 Dices secundo in probabili sententia relatio consistit in fundamento, & termino: ergo termino deficiente, aut non existente, ipsa deficiet. Respondeo hoc argumento convinci non existere adæquate relationem, non existente termino; non tamen, quod non distinguatur à chymæra, seu, quod non sit verum ens, & relatio nominaliter. Potest tamen etiam dici relationem tunc existere, quatenus præcipua eius pars, & quam in recto importat, quę est fundamentum, existit. Et si dicas: ergo etiam referri poterit fundamentum non existēs ad terminum existentem, aut etiam ad non existentem. Respondeo proportione servata, concedendo consequentiam; quia si illa reputatur absurda, aut ij, qui eam talem reputant, in diverso, ac nos, sensu eam intelligunt, aut falluntur. Est tamen advertendum disparitatem esse inter existentiam fundamenti, & termini, quod dum existit fundamētum, potest dici relatio existens, ob existentiam præcipuæ eius partis; dum vero terminus tantum, non ita; quia solum pars minus præcipua eiusdem existit: cum autem nec fundamentum, nec terminus, nulla relationis pars existit; potest tamen dici ens reale, & prædicamentale. Nec dici potest, quod non entibus constituitur, vere enim constituitur entibus; fundamentum enim, & terminus, adhuc dum non existunt, entia sunt nominaliter, quod sufficit, vt eodem modo relatio eis constituta ens dicatur.

3657 Antequam secundam proponam circa quæstionem hanc sententiam, notandum pro eorum, quæ diximus, & in sequentibus dicturi sumus, maiori intelligentia, in relationibus communiter assignari fundamentum, terminum, & rationem fundandi. Fundamentum communiter dicitur id, quod per relationem refertur, vt in relatione Paternitatis persona Patris; terminus vero est illud, ad quod fundamentum per relationem refertur, vt in eadem relatione persona filij: ratio denique fundandi est ratio illa, sine qua relatio non potest consurgere, qualiter se habet actio generativa in eadem relatione Paternitatis. Vbi advertendum est, quod, etsi communis modus loquendi sit iste, aliquando, nomine fundamenti, tolet intelligi ratio fundandi. Præterea aliqui putant fundamentum à subiecto distingui, & subiectum dici id, cui relatio innititur, & quod per relationem refertur; fundamentum vero id, ratione cuius refertur,

& quod fundat relationem. Proculdubio autem iſte modus magis ad veritatem accedit; quia tamen plerumque fundamentum, & ſubiectũ eadem entitas ſunt, ideo ille primus modus eſt vſitatior, iuxta quem etiam nos loquemur; quia verbis contendere nolumus, cum de rebus tot inſtant diſputanda: & quia optimum eſt conſilium cum pluribus loqui.

3658 Secunda ergo ſententia, quam tenet Hurtad. *diſp.* 15. *Metaph. ſect.* 8. & Arriaga *diſp.* 12. *ſect.* 2. & 3. ait relationem tranſcendentalem in eo à prædicamentali differre, quod tranſcendentalis relatio ſit eſſentialis ſuo fundamento; prædicamentalis vero ſuo ſit fundamento accidentalis. Ab hac ſententia non multum diſtat ſententia Oviedi *in Metaph. controv.* 10. *punct.* 1. & Peinadi *in Log. tract* 5. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *num* 7. aſſerentium relationem prædicamentalem eam eſſe, quæ adæquate ſuo fundamento non eſt identificata; relationem vero tranſcendentalem illam, quæ fundamento ſuo adæquate identificatur. Sed vtramque hanc ſententiam ſic impugnat Lynceus *lib.* 3. *Metaph. tract.* 6. *cap.* 2. (relictis alijs, quæ facilè ex Oviedo ſolvi poſſent) actio non ſolum ad effectũ refertur tranſcendentaliter; ſed etiã ad eundem cauſam tranſcendentaliter refert; relatio enim cauſæ ad effectum in tranſcendentalibus cõmuniter numeratur: ſed actio non eſt cauſæ eſſentialis, nec illi adæquate identificatur; immo fiet inadæquate: iam ergo aliqua relatio tranſcendentalis datur, quæ fundamento eſſentialis non ſit, vt Hurtadus, & Arriaga volebant, nec etiam illi adæquate identificetur, vt volebant Oviedus, & Peinado.

3659 Exiſtimo tamen Oviedi, & Peinadi ſententiam veram eſſe, & conſequenter etiam ſententiam Arriagæ, & Hurtadi, ſi ita explicetur, vt eundem, ac ipſa, ſenſum habeat: quod fieri poteſt, ſi dicatur relationem tranſcendentalem eſſe illam, quæ adæquatè eſt eſſentialis ſuo fundamento; prædicamentalem vero eam, quæ ſuo fundamento non eſt adequate eſſentialis. Quæ ſententia non aliter melius conſtare poterit, quam per ſingulas diſcurrendo relationes; ſic enim comperietur, quod nulla ſit relatio tranſcendentalis, quę ſuo fundamento nõ ſit adæquate eſſentialis, vel adequate identificata; nullaque ſimiliter prædicamentalis, quæ ſuo fundamento adæquatè eſſentialis, vel identificata ſit. Communiter enim DD. exiſtimant relationem tranſcendentalem eſſe entitatem quandam, quæ ad prædicamentum aliquod à relatione diſtinctum ſpectat; dicit tamen neceſſario ordinẽ quendam ad aliud ita, vt ſine illo concipi nequeat: iam ergo reſpectus iſte, qui tranſcendentalis dicitur, cum entitate, quam refert, eſt identificatus, ſeu illi eſt eſſentialis; ſiquidem ſine illo concipi nequit. In relatione prædicamentali è contra

con-

contingit ; aut enim DD. eam existimant esse accidens distinctum fundamento superadditum : sicque illi erit accidentalis, aliquo saltem modo, atque ab illo distincta ; vel ponunt eam ita cum fundamento identificatam, vt nullatenus in eo adæquate consistat : verũ ergo semper erit, quod non est adequate identificata, nec essentialis fundamento.

3660 Ad argumentum autem ex Lynceo factum respondetur causam ad effectum posse referri transcendentaliter, vel prædicamentaliter ; non tamen per actionem ; quia si referatur transcendentaliter, refertur ad illum, vt possibilem, per suam essentiã, & non per actionem ; si autem referatur prædicamẽtaliter, non refertur per actionem, sed vel per suam entitatem simul cũ entitate termini, vel per modum, aut realitatem superadditam, actione solum intervenient, vt ratione fundandi. Est præterea hæc sententia cæteris præferenda, quia iuxta illam loquuntur communiter DD. etiam ipse Lynceus, dum disputant, an causæ ad effectus dicant transcendentalem relationem. De qua causæ ad effectus relatione transcẽdẽtali agemus quęstionibus sequentibus, vt magis natura relationis transcendentalis eviscereretur.

3661 Ex his prima sententia ex duabus, quas problematice Lynceus defendit *tract. 6. citato, cap. 3. & 4* facilè impugnari potest : ait enim relationem transcendentalem esse, quæ fundamento suo perfectionem superaddit ; prædicamentalem vero, quæ fundamento suo nullam superaddit perfectionẽ. Cum enim ex dictis constet nullam relationem transcendentalem à fundamento suo distingui inde palam colligitur nullã illi posse superaddere perfectionem ; cum sine distinctione non possit, vt ipse fatetur, fieri superadditio.

3662 Etsi autem tot sint in hac quæstione sententię, vt eas omnes recolere longum esset ; adhuc tamen aliam Lyncei sententiam commemorare non desinam, posteaque de communiori sententia iudicium ferens finem quæstioni imponam. Igitur Lynceus *lib. 3. Metaph. tract. 3. cap. 4* ait relationem transcendentalem, & prædicamentalem differre tantum velut superius, & inferius. Relatio namque prædicamentalis est ratio communis relationis ab omnibus speciebus abstracta ; relatio vero transcendentalis dicitur quævis relatio in specie sumpta : vnde, cum ab inferiori ad superius valeat semper consequentia affirmative ; non tamen à superiori ad inferius, qualibet trãscendentalis relatio est prædicamentalis, & sic actio erit relatio prædicamentalis, & similiter quævis alia ex transcendentalibus ; relatio tamen in communi ab eis abstracta non poterit dici transcendentalis.

3663 Contra hanc sententiam, quam multipliciter probat, multa etiam sibi obijcit Lynceus. Inter ea autem vnum est ex prædicta

sententia fieri, vt in omnibus prædicamentis relatio prædicamentalis reperiatur; si quidem in omnibus transcendentalis reperitur, & nulla est transcendentalis, quæ prædicamentalis non sit. Vnde tam latè patebit, ac ens, relatio prædicamentalis, & locus non erit, vt accidens dividatur in novem prædicamenta; siquidem eorum vnum magis latè patet, quam ipsum accidens. Concedit tamen Lynceus totam consequentiam, quia, cum divisio entis in decem prædicamenta, & accidentis in novē non sit presse accipiēda, nullius est absurdi, quod plura in eis vitia detegantur. Sed certè mihi talis consequentia concedenda non videtur, quia, etsi fatear cum pluribus divisiones appositas rudi fuisse minerva traditas, non ideo in eas omnia vitia, quæ excogitari possunt detrudēda sunt, &, siquidem Lynceus passim in eis alia invenit, hoc, quod in præsenti objicitur, cum sit maximum, & patentissimum, & in quod vix rudissimi cadere solent, admittendū non est, & si admittatur, omnium vitiorum, quæ in divisione aliqua reperiri possunt, cumulum in ea reperiri admitti poterit: quod tam celebri divisioni indignum est. Quapropter, ob hoc argumentum, primo eam sententiam reijcio.

3664 Secundo autem eam defero sententiam, quia me illam non intelligere fateor; nam ratio generica ab aliquibus abstracta speciebus, continet in se omnia illa prædicata, in quibus illæ species, à quibus abstrahitur, conveniunt. Sic animal, quia abstrahitur ab homine & equo, etsi non contineat actualiter inhibilitatē, & rationalitatem, quia in eis differunt; continet tamen esse viventis, & non tantum hoc, sed etiam esse sensibilis, quia homo, & equus non solum conveniunt in ratione viventis, sed etiā in ratione sensibilis: sed species particulares relationis non solum cōveniunt in hoc, quod quælibet sit prædicamentalis; sed etiam in hoc, quod quælibet illarum sit transcendentalis: ergo relatio ab eis abstracta continebit rationem prædicamentalis, atque etiam transcendentalis. Etsi dicas, quod particularitas saltim specifica est de ratione relationis transcendentalis, quam non habet ratio ab omnibus speciebus abstracta. Contra est, quod sim li ratione communitas generica erit de ratione relationis prædicamentalis: ergo sicut relatio in communi non dicitur transcendentalis, quia caret particularitate; particulares species non dicentur prædicamentales, quia generica carent cōmunitate. Ab alijs autem excogitādis evasionibus supersedeo; quia etsi possem aliquas, videtur mihi, quod ex dictis facilius earum impugnationes, quam evasiones ipsæ, excogitari poterunt.

3665 Communior autem differentia inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem est, quod relatio prædicamentalis relpi-

respicit terminum, vt purum terminum: transcendentalis vero non respicit terminum, vt purum terminum; sed vt aliquod munus erga ipsum exercens: veluti causæ, effectus, totius, partis, subiecti, formæ, aut similia. Sed hanc sententiam vehementer impugnant Arriaga, & Lynceus: similitudo namque vera est relatio prædicamentalis: & tamen munus aliquod exercet in terminum, illum, scilicet, assimilando: ergo non omnis relatio prædicamentalis terminum respicit, vt purum terminum. Secundo Pater verè prædicamentaliter refertur ad filium: & tamen munus aliquod erga illum habet, cum illum producat: iterum ergo falsa est posita differentia. Mihi quidem diu visa est difficilis posita differentia; cum enim Pater, media actione causet filium, non minus, quam causa, media sua actione effectum, intelligere non valebam cur Patris ad filium relatio prædicamentalis esset; relatio autē causę ad effectum transcendentalis diceretur.

3666 Sed nunc iudico hanc differentiam aptissimam esse, nam iuxta D. Thom. *1. p. quæst. 13. art. 7. ad 1.* cuius verba refert Lermal *b 7. Logicæ quæst. 17:* quædam relativa sunt imposita, ad significandas ipsas habitudines, vt *Pater, filius, dominus, servus.*, & ista dicuntur relativa secundum esse, sive prædicamentalia; alia vero sunt imposita, ad significandas rationes, quas consequuntur quædam habitudines, & ista sunt relativa secundum dici, sive transcendentalia. Ex quo colligo differentiam relationis, qua Pater ad filium refertur, & eius, qua causa ad effectum, esse stam in diversitate nominis relativi, quia *Pater* impositum est, ad significandum solam habitudinem Patris ad filium; *causa* vero est nomen impositum ad significandum, non solam habitudinem, sed rem, quæ sine habitudine intelligi non potest. Vnde ad secundum argumētum constat solutio; quia, etsi Pater filium causet; hoc tamen nomine ea causalitas non importatur, sed purus ad filium respectus; nomine autem causæ importatur causalitas ipsa, ad quam respectus cōsequitur. Ad primum autem argumentum facilè respondetur cum Oviedo, quod similitudo subiecti non constituit terminum similem, sed præcise ad illum terminatur; quod vero ipse terminus similis sit, provenit ab alia relatione, quam ipse terminus fundat.

3667 Secundo colligo, quæ sit causa cōfusionis inter DD. dum aliquas relationes omnes iudicant prædicamentales; alias autem alij prædicamentales; alij transcendentales esse dicunt. Primum enim provenit ex eo, quod aliqua sint nomina relativa, quæ apud omnes solum respectum, & habitudinem significant. Secundum vero ex eo provenit, quod nomina relativa non ita sunt præcise imposita ad significandum solum respectum, &

sic

sic ab alijs sumuntur pro reipsa, quæ ad aliud spectat prædicamentum, etsi sine respectu sit in intelligibilis, & ideo dicuntur transcendentales; ab alijs vero accipiuntur pro puro, & solo respectu, & habitudine, quam res dicit ad aliud, & ab his dicuntur prædicementales. Vnde nulla reperitur res relativa, quæ vtroque modo dici relativa non possit; si enim accipiatur res ipsa, quæ munus aliquod erga terminum gerit, erit relativa transcendentaliter; si autem consideretur, non ipsa res, nec munus illud quod gerit erga terminum, sed præcisse, quod illum respicit, erit relativa prædicamentaliter: vnde omnis cõfusio hac distinctione tollitur; & præterea per eandem distinctionem facilè solvuntur argumenta, quibus Lynceus secundam suam sententiam probare contendit. Vbi tandem notandum hanc vltimam differentiam non destruere illam, quam supra ex Oviedo tradidimus; sed vtramque subsistere, sine vlla incompatibilitate.

QVÆSTIO IV.

Vtrum causæ essentialiter connectantur cum suorum effectuum possibilitate.

3668 LIBRO Secundo Physicorum disputant communiter Authores de relatione transcendentali causarum ad effectus, sive ad istorum possibilitatem, & similiter de relatione, quam è converso effectuum possibilitas ad causam, sive causæ possibilitatem dicit. Quamvis autem de huiusmodi relationibus disputare conducat valde ad naturam causæ penetrandam, ideoque opportunè eo in loco de ipsis disputetur; tamen non minus opportunè nos cum aliquibus modo de illa disputamus, tum quia melius percipietur natura relationis tam prædicamentalis, quam transcendentalis de vtraque in eadem disputatione agendo; tum quia, non præmissa in Logica notitia exacta relationis prædicamentalis, non benè possent intelligi in Physica, si ibi traderentur, quæ præcipuè de transcendentali differuntur, vt notavimus *disp. 2. Physic. quæst 6. num. 1681.* In hac autem quæstione, & sequenti nos agimus de connexione essentiali, quamvis alij quæstiones inscribant de relatione transcendentali, quia communiter idem intelligunt nomine relationis transcendentalis, ac nomine essentialis connexionis: nos autem aliter sentientes, quæ ipsi de relatione transcendentali dicunt, ad connexionem essentialem accommodamus eorum mentem attendẽtes, *quæstione* autem 6. de relatione transcendentali agemus, videbimusque in quo differant, quidvè discriminis inveniatur inter essentialem connexionem, & relationẽ transcendentalem. Pro præsentis ergo quæstionis resolutione noto tunc vnum dici cum alio connecti essentialiter, cum, deficiente isto, illud deficere necessarium est; & conse-

quen-

quenter cauſam connecti eſſentialiter cum poſsibilitate effectus. erit eam ita cum effectus poſsibilitate concatenari, vt ea deficiente poſsibilitate, cauſa ipſa, immo & eius poſsibilitas deficiat. An ergo talis connexio cauſæ ad effectus poſsibilitatem detur in præſenti inveſtigamus. In qua quæſtione, quæ non minus in Theologia, quam in Philoſophia frequens eſt, nec vtilis minus.

3669 Prima ſententia tenet omnem cauſam tam increatam, quã creatam eſſentialiter connecti cum poſsibilitate ſuorum effectuum. Eã tenet Eximius Doct. P. Suarez *lib. 2. de attributis à cap. 25.* Valentia *1 p. diſp. 1. quæſt. 12. punct. 6.* Salas *tom. 1. in 1. 2. tract. 2 diſp. 4. ſect. 4.* Arriaga *diſp. 7. Phyſic ſect. 2.* Compton. *diſp. 6. Phyſic.* Echalaz *diſp. 12. Phyſic cap. 3. & 4* & alij innumeri, quos noviſsime ſequuntur Antonius Perez *de intelligentia Dei diſp. 5.* Ribadeneira *diſp. 7. de ſcientia Dei.* Quiros *in Phyſica diſp. 52.* & Peinado *lib 2. Phyſic. diſp. 3. ſect. 2.* Secunda ſententia prędictam connexionem admittit in cauſis creatis ſuorum comparatione effectuum; negat tamen in increata. Ita tenent Phenix ingeniorum P. Gabriel Vazq. *1. part. diſp. 104 & 173.* Hurtad. *in Metaph. diſp. 15. ſect. 9 & in Phyſic. diſp. 8. §. 17.* & vt conſtat, eidem quoad alteram partem ſuffragantur primę ſententiæ Patroni; quoad aliã vero Patroni tertiæ. Tertia denique ſententia eandem connexionem negat in omni cauſa tam creata, quam increata. Iſtam tuentur Oviedus *controv. 10. Metaph. punct. 4.* Baſilius *1 p. Variar. quæſt. 8. Schol. cap. 4.* & alij paſsim relati, præſertim Scotiſtæ, & Nominales. Eſt tamen notandum, quod P. Lynceus *tom 2. ſui curſus lib. 4. tract. 2. cap. 3.* circa cauſam increatam negantem ſententiam tuetur cum ſecunda, & tertia ſententia; *cap. tamen 10* circa cauſam creatam vtrãque ſententiam problematice defendit; citat tamen pro ſententia tranſcendentalem relationem admittente Oviedum, non tamen advertens Oviedum diverſo ſenſu admittere illam; cum Lynceus, & communis ſententia pro eodem accipiant relationem tranſcendentalem, & connexionem eſſentialem; Oviedus vero longè aliter: vnde, etſi verum ſit illum talem relationem tueri; potius eam iuxta communem ſenſum negat; cum neget connexionem.

3670 Dico ergo reſolutorie cum Doctoribus tertiæ ſententiæ nullam cauſam nec creatam, nec increatam cum ſuis effectibus poſsibilibus, ſive cum ſuorum effectuũ poſsibilitate eſſentialiter connexam eſſe. Quamvis autem DD. tertiæ ſententię cõcluſionem defendamus; non tamen cum illis in omnibus convenimus. In quo autem à pluribus eorum diſſentiamus ex ſequẽtibus planum fiet. Tertiam ſententiam, quam nos pro concluſione ſtatuimus, probant aliquã quoad cau-

causam increatam primo: quia si divina omnipotentia esset essentialiter connexa cum omnibus, & singulis effectibus possibilibus, quorum in actu primo est causa, ab ijs dependeret; siquidem sine illis esse non posset, vt Adversarij fatentur, & conceptus connexionis exposcit; sed absurdum est dicere Deum à creaturis possibilibus dependere, vt constat ex illo *Psalmi* 15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: ergo divina omnipotétia tali connexione caret. Ad hoc tamen argumentum aliqui respondent concedendo omnipotentiam à posteriori dependere à creaturarum possibilitate, quia in tali dependentia non videtur imperfectio relucere. Alij dependere omnino negant, quia eam à posteriori dependentiam proprie dependentiá non esse, dicunt; sed connexionem. Alij vero dicunt, quod connexio omnipotentiæ cum eo, quod est omnino necessarium, & defectibile; cum eam contingentiæ non exponat, non potest dici, nec est depẽdentia. Nihilominus autem hoc argumentum, etsi nostram sententiá omnino non evincat, ei non parum favet, cum non possit, etsi nomen dependentiæ non mereatur, aliqua indigentia non agnosci in omnipotentia respectu creaturarum possibilium in sententia contraria. Huius autem argumenti alias solutiones impugnat Lynceus *loco citato cap.* 3.

3671 Secundo nostram sententiam probat Lynceus, quia Deus secundum suam entitatem, & prædicata sua non est potens producere res creatas: ergo non connectitur essentialiter cum illis, seu illarum possibilitate. Bonitatem istius consequentiæ sic declaro, nam quĩ Deum ponunt connexum cum possibilitate creaturarum, dicunt ipsam per se esse potentem illas producere, quin expectet aliquid ex parte ipsarum, cumque, eo ipso, quod illas producere possit, ipsæ possibiles intelligantur, dicunt cum illis Deum esse connexum. Vnde ipsi hanc connexionem ponunt collocatam titulo maioris perfectionis, quia, ea posita, Deus per sua prædicata, quin aliquid aliud expectet, est omnipotens, & creaturas potens producere. Si tamen ea connexio non poneretur, vt Deus dicere tur potens producere creaturas, expectandum erat ad earum possibilitatem, & per eam vltimo Deus constitui debebat in ratione potentis eas producere. Vnde clarè constat consequentiam in ipsis Adversariorum principijs esse rectissimam.

3672 Antecedens ergo enthimematis posiri probatur à Lynceo, Si Deus per suam entitatem esset potens producere creaturas, cum Deus sit primum ens, non posset aliud expectare, aut ab alio in potentia eas producendi dependere, & consequenter hæc causalis tunc casus vera esse non posset; *Ideo Deus potest producere creaturas, quia ipse*

ipsæ possibiles sunt: sed hæc causalis vera est: ergo Deus per suam entitatem, & prædicata intrinseca non est potens creaturas producere. Maior, antequam proponeretur, est probata. Probatur minor, quia hæc causalis est vera: *Ideo Deus non potest producere chimæram, quia ipsa repugnat*: ergo etiam ista: *Deus potest producere creaturas possibiles, quia ipsæ non repugnant, seu quia possibiles sunt.* Antecedens probat Lynceus primo, quia est D. Thom. 1. *part. q.* 25 *art.* 3. Secundo, quia Deum non posse producere chymæram non oritur ex defectu virtutis: ergo ex illius repugnantia. Ad hoc argumentum iuxta mentem Spinulæ quid responderi posset, constat ex dictis supra *disput.* 1. *quæst.* 2. Sed quia etiam constat quomodo possit impugnari; & præterea ipse, defectu distinctionis, non agnoscit relationem ad possibilitatem, id omitto. Quid autem alij Recentiores respondeant, & quomodo negent consequentiam vltimam videri potest in Lynceo, qui optime eos impugnat; nos enim in his immorari non indigemus.

3673 Existimo tamen hoc ipsum in re argumentum posse longe aliter proponi ex mente P. Oviedo sic: Deus per suam entitatem potest producere creaturas: ergo non connectitur essentialiter cum illis, seu cum illarum possibilitate, ecce idem consequens à nobis infertur, atque à Lynceo, cum tamen antecedens sit eius antecedenti contradictorium. Vt tamen in re idem esse argumentum cognoscas, & hanc consequentiam bonam etiam esse comperias adverte in duplici sensu intelligi posse Deum per sua prædicata potentem esse producere creaturas, aut enim potest intelligi, quod Deus habeat potentiam, sive virtutem eas producendi, qua dicitur ipse potens eas producere quantum est de se, aut, quod habeat potentiam, qua absolute, & sine restrictione, illa *quantum est de se* dicatur potens producere creaturas: in hoc secundo sensu sumit Lynceus antecedens supra *numero* 3671. & in primo nos huius numeri initio.

3674 Quod autem in re nos cum Lynceo conveniamus, & ipse nobiscum constabit: si advertatur; quod Lynceus, dum ait potentiam Dei, qua creaturas producere possit, constitui per illarum possibilitatem partialiter, loquitur de potentia, qua sine vlla restrictione Deus dicatur potens; de ipsa autem Dei entitate seorsim sumpta fatetur, vel fateri tenetur, quod sit virtus productiva creaturarum: immo, & chimærarum sub conditione, quod non repugnent; hoc autem est tantum, quod nos intendimus, & etiam cum Lynceo convenimus; quia de illa potentia, quæ absolute, & sine restrictione Deum potentem denominat, fatemur com-

ple-

pleri per ipſarum creaturarum poſſibilitatem. An vero virtus illa, quæ in Deo reperitur, & in ipſius prædicatis adæquate conſiſtit, & qua ſolum, quantum eſt de ſe, dicitur potens producere, tum creaturas, tum etiam chimæras, dicenda ſit omnipotentia, vel potius non ſit talis dicenda; vſque dum quaſi compleatur per creaturarum poſſibilitatem, iam quæſtio videtur de nomine, & Lynceus in negantem, nos cum Oviedo in affirmantem partem inclinamur. Noſter autem modus videtur præferendus, quia communiter nomine potentiæ omnes intelligunt virtutem productivam, & contentivam effectus; ſed illa divina virtus eſt omnium effectuum contentiva quamcumvis effectuum poſſibilitas non intelligatur: ergo dici debet omnipotentia. Illa autem virtus, quam nos ponimus, & Lynceus etiam in re, cum non poſsit abſolute producere creaturas, ſed ſolum ex parte ſua, & ſub conditione, quod non repugnent, cum nullius creaturæ connectitur poſſibilitate.

3675 Vnde ſic pro noſtra argumentor concluſione. Si Divina Omnipotentia ponatur, vt nos intendimus duobus numeris præcedentibus, nullam dicit ad creaturarum poſſibilitatem connexionem; ſed ea ſic poni debet: ergo nullam cum tali poſſibilitate connexionem habet. Minor, in qua eſt difficultas, probatur: divina Omnipotentia debet poni modo, quo perfectior ſit: ſed perfectior eſt, vt ponitur à nobis, quam à Doctoribus connexionem eius defendentibus, ergo poni debet, vt à nobis eſt poſita. Minor probatur primo: quia ſi prædicata divina poſsint poni ſine vlla ſpecie indigentiæ, aut dependentiæ à creaturis perfectius ſe habebunt, ac cum illa: ſed nos ſine vlla indigentiæ, aut dependentiæ apparientia ponimus Omnipotentiam, non ſic adverſarij, vt conſtat ex prima probatione communi poſita *num.* 3670. ergo, &c.

3676 Secundo probatur eadem minor: perfectior eſt potentia, quæ neceſſario abſolute exiſtit, & etiam ex aliqua hypotheſi, quam ea quæ ſolum abſolute neceſſario exiſtit, deficeret tamen ex hypotheſi aliqua; ſed Omnipotentia divina connexa cum creaturarum poſſibilitate, & ſi neceſſaria ſit abſolute, deficeret ex hypotheſi, quod quælibet creatura adhuc minima repugnaret; potentia vero non connexa adhuc ex hypotheſi, quod omnium deficeret creaturarum poſſibilitas, non deficeret: ergo talis potentia non connexa perfectior eſt. Minor continet differentiam vtriuſque ſententiæ ab omnibus confeſſam. Maior autem videtur certa, & recta conſequentia, ſi cætera paria ſint; paria autem ſunt cætera, cum nos non minorem virtutem ponamus, nec minus perfecte effectuum con-

ten-

tentivam, quam Adversarij; nisi ergo in nostro modo comperiatur: implicatio, quam non reperiri constabit ex solutione argumentorum; ille admittendus est, vt perfectiorem Deo tribuens omnipotentiam.

3677 Tertio probatur illa minor *num.* 3675. posita: quia perfectior est potentia, quæ plurium effectum est contentiva, quam quæ pauciorum: sed omnipotentia vt à nobis ponitur, plurium est effectuum contentiva; ergo est perfectior. Probatur minor: omnipotentia vt ponitur à contrarijs, solum est virtus creaturarum, quæ modo sunt possibiles, contentiva; sed vt ponitur à nobis est etiam contentiva omnium chymærerum specificative sumptarum, quæ excogitari possunt: ergo plurium est effectuum contentiva. Huic modo philosophandi innixus quidam ex magnis minimis Religiosis Sancti Francisci de Paula me præsente defensavit magna cum ingenij laude in Salmantino Lycæo, quod, etsi Beatus aliquis in divina omnipotentia videret omnes creaturas possibiles, eam adhuc non comprehenderet: rectè quidem; quia tunc casus, vt ipse aiebat, videret Beatus virtutem omnipotentiæ, eiusque omnes formalitates creaturarum possibilium contentivas; restarent tamen illi videndæ infinitæ aliæ continentiæ, seu virtutes contentivæ chymærarum. Vnde rectè concludebat divinam omnipotentiam non comprehendere.

3678 Dices tamen ex Peinado primo: omnipotentia connexa affert secum quidquid requiritur, tum ex parte sui, tum ex parte termini ad creaturarum productionē: inconnexa vero solum, quod requiritur ex parte sui: illud autem prius perfectius esse ex terminis videtur constare. Secundo omnipotentia per seipsam completa in ratione virtutis perfectior est, quam quæ seipsa completa non est; omnipotentia autem connexa est per se completa in ratione virtutis; non sic inconnexa. Respondeo tamen ad replicas istas, ad primā nego quod sit perfectius potentiam secum afferre quod ex parte termini requiritur; nam quod requiritur ex parte termini ad terminum pertinet, & est eius perfectio; ergo non est perfectio potentiæ; ac proinde illam non constituit perfectiorem. Hoc potius quam oppositum ex terminis notum mihi videtur. Ad secundam replicam nego, quod omnipotentia inconnexa non sit completa in ratione virtutis, quia quod effectum non possit producere, nisi sub conditione possibilitatis eius, non est; quia ea possibilitas potentiā compleat; sed quia ad effectus productionem requiruntur duo. Alterum est potentia, & virtus activa completa, quod omnipotentia ex se habet, alterum potentia seu possibilitas passiva termini, quæ non in potentia, sed in termino debet reperiri; nec potest esse imperfectio potentiæ, quod in ea non reperia-

periatur, quod non pertinet ad rationem potentiæ & virtutis, ſed ad terminum vt conſtituatur in ratione producibilis.

3679 Probavimus hucuſque ſententiã noſtram de cauſa increata ſermonem habentes: nunc probanda etiam eſt loquendo de creata. Vnde etiam circa increatam confirmata manebit, tum quia rationes nõ minus forſan in illa habebunt vim, tũ quia, ſi cauſa creata connexionẽ cum poſsibilitate ſuorũ effectuum non ſortitur, eam non ſortituram increatam vix vllus negabit. Igitur cauſam creatam eum ſuorum effectuum poſsibilitate non connecti ſic probo: cõnexio eſſentialis vnius rei cum alia non debet poni, ſine ſpeciali fundamento: ſed ad ponẽdam cauſæ creatæ virtutem cum poſsibilitate effectuum connexam ſpeciale non adeſt fundamentum; ergo talis connexio ponenda non eſt minor, in qua eſt difficultas, ex ſolutione argumentorum conſtabit.

3680 Confirmatur hæc ratio: quia facilè intelligi poteſt etiam in creatis cauſis virtus quantum eſt de ſe, & conditionate effectuum productiva, quæ conſequenter, vt ex dictis ſupra patet, non connecteretur cum effectuum poſsibilitate; ſed difficilè intelligitur virtus creata cum effectuum poſsibilitate eſſentialiter connexa: ergo potius admittenda eſt virtus illa primo modo, quam ſecundo. Maior ſi aliquam continet difficultatem, ex ſolutione argumentorum evaneſcet. Minor vero probatur, quia cõnexio cauſę, aut virtutis eius cum effectus poſsibilitate talẽ affert eiuſmodi virtutis dependentiam à poſsibilitate, vt iſta deficiente nequeat virtus exiſtere; ſed iſta dependentia ægrè, aut nequaquam percipi poteſt; ergo & illa connexio. Minor probatur, quia poſsibilitas effectus abſolutè eſt nihil, & aliquãdo nihil futura eſt per totam æternitatem; ſolumque obiective, & non phyſice habet eſſe, quomodo ergo intelligi poteſt, quod phyſica cauſa dependeat ab ea poſsibilitate.

3681 Sed dices benè intelligitur quod veritas huius actus *Petrus eſt poſsibilis* dependeat à Petri poſsibilitate: ergo ſimiliter intelligi poterit, quod virtus Petri productiva ab eiuſdem Petri dependeat poſsibilitate. Reſpondeo: veritatem illius actus conſiſtere partim in obiecto, quod eſt poſsibilitas, & ſic mirum non eſt, quod ab illo dependeat per identitatem inadæquatam. Vnde etiam nos admittimus, quod poſsibilitas, qua non ſolum cauſa effectum poteſt producere conditionatè, & quantum eſt ex ſe, ſed qua ſimpliciter, & abſolutè dicitur potens illud producere, conſiſtat partim in ipſa poſsibilitate; quod autem negamus, eſt quod ipſa virtus cauſæ, qua quantum eſt ex ſe, eſt potens effectum producere, conſiſtat, aut dependeat à dicta poſsibilitate; res enim, quæ phyſicè eſt, nequit phyſice depen-

pendere à re, quæ physice nihil est: benè tamen res aliquæ inveniuntur, quæ consistunt, partim in aliquo existenti, & partim in aliquo, quod non existit, quæ res, aut poterunt dici morales, aut si physicè, dicentur partim existentes, partimque non existentes; quamvis absolutè dicantur communiter existere; quia existunt, quantum existere sunt aptæ.

Soluuntur argumenta.

3682 Primo objicies contra nostrum dicendi modum, quo à Lynceo discedimus ex ipsius doctrina, quam habet *cap.* 7. illa virtus, quam nos in Deo ponimus, & omnipotentiam dici posse sustinemus, quin compleatur, aut connectatur cum possibilitate creaturarum; est tantum potentia, qua conditionate dicitur Deus potens producere creaturas: sed ista potentia, nec datur in Deo, nec est sufficiens ipsum potentem denominare: ergo melius multo Lynceus in Deo absque creaturis possibilibus tantum cognoscit entitatem, & perfectionem omnipotentiæ, non tamen omnipotentiam, quoad denominationem absolutam, aut conditionatam. Minor quoad primam partem probatur: quia, si in Deo daretur potentia conditionata, etiam daretur relatio transcendentalis, quam Authores nostræ sententiæ evitare contendunt. Quoad secundam vero probatur primo, quia sicut Deus dicitur potens producere creaturas possibiles, & chymeras sub conditione, quod non repugnent; sic eas est impotens producere sub conditione, quod repugnent; sed hoc secundum non denominat eum impotentem: ergo neque illud primum omnipotentem. Secundo, quia alias etiam formica omnipotens esset, cum possit omnia sub conditione, quod ab ea non repugnent produci. Tertio, quia etiam Deus potens mentiri diceretur, cum id possit sub conditione, quod ei non repugnet mendacium.

3683 Respondeo negando minorem: & ad probationem pro prima parte respondeo vrg. reos, qui relationem transcendentalem, & connexionem essentialem idem esse putant: nos autem, quid de hoc sentiamus constabit inferius. Ad secundæ partis primam probationem respondeo diverso modo dici Deum sub conditione posse producere creaturas, ac non posse eas producere; dicitur enim producere posse illas, quia quantum est de se habet quidquid requiritur, vt eas possit producere; quod vero dicatur impotens eas producere sub conditione, quod repugnent, non est, quia habeat defectum potentiæ quantum est de se; cum potius potentiam habeat; sed quia tota ratio impossibilitatis ex earum oritur repug-

nantia ; quæ mihi eſt manifeſta diſparitas. Ad ſecundam probationem reſpondeo Deum omnia poſſe ſub conditione, quod abſolute non repugnent ; formicam vero ſub conditione, quod non repugnent produci ab ea, vel, quod eodem tendit, Deum ita poſſe omnia ſub conditione, vt habeat ex parte ſua quidquid requiritur, vt ea producat, formicam vero non ita: vnde eandem potentiam habet Deus modò, quam haberet implera conditione, non tamen formica. Ad tertiam autem dico repugnantiam mendacij ſe tenere ex parte ipſius Dei ; quia eius repugnat veracitati, ſicut etiam peccatum eius ſanctitati. Vnde non poteſt dici, quod quantum eſt ex ſe habeat potentiam mentiendi, ſicut de potentia producendi Hircocerbum dicitur. Vnde colliges, quod Deus connectitur cum repugnantia mendacij ; ſine imperfectione tamen, quia eſt connexio per identitatem, conſiſtit enim in ipſo Deo partialiter ea repugnantia ; idemque dicendum de repugnantia alterius Dei, quæ in vnitate Dei vnicè, aut præcipuè conſiſtit?

3684 Secundo obijcies: iuxta noſtram ſententiam modumque eam defenſandi ſtare poterit potentia aliqua, non ſolum in Deo ſed etiam in creaturis in ordine ad effectum, qui in ſe repugnet ; ſed hoc eſt falſum ; ergo & noſtra ſententia, aut modus eam ſuſtinendi. Minor probatur : effectus repugnans eſt ens rationis ; ſed repugnat in Deo, & in creaturis virtus proprie, & primario entis rationis productiva, ergo & virtus repugnat, quæ ſit ad effectum in ſe repugnantem. Minor probatur: quia eoipſo, quod virtus, & potentia phyſica aliquid producat, illud eſt ens reale ergo nequit in ſe continere ens rationis ; id enim in ſe continet, quod producit, dato, quod in actum ſecundum progrediatur. Reſpondeo chymæram, ſive effectum repugnantem poſſe ſumi dupliciter, ſpecificative, videlicet, vel reduplicative : tum hæc chymæra *Hircocervus* Sumitur reduplicative, quando accipitur prout repugnans, & contradictionem involvens ; tunc vero ſpecificative ; quando ſumitur ſecundum prædicata Hircocervi præſcindendo à repugnantia, vel non repugnantia. Nos ergo in Deo concedimus potentiam producendi Hircocervum, qui quidem chymæra eſt, non vt chymæra eſt reduplicative, ſed ſpecificative, & ſecundum prædicata in Hircocerbo contenta. Cum ergo Hircocervus non ſit ens rationis, niſi prout repugnans, & chymæricus, non ponimus nos in Deo potentiam ad ens rationis, ſed potentiam: quæ, quantum eſt ex ſe, poſſit producere Hircocerbum realem, non tamen illum producat ; quia ipſe in ſe repugnat.

Simi-

3685 Simili modo in creatis non repugnat virtus contentiva effectus impossibilis; tamen non est compertum, quod de facto detur; & videtur verisimilius eam de facto non dari; quia esset superflua, cum ad effectum nunquam deserviret. In Deo vero superflua non est; quia virtus Dei potius est à se; & propter se, quam propter effectus productionem.

3686 Tertio objicies: essentiale est Deo posse elevare intellectum ad actus supernaturales; & isti elevari posse ad illos: ergo Deus connectitur cum possibilitate intellectus elevabilis, & Deus, & intellectus cum possibilitate actus supernaturalis ad quem elevatur. Respondeo Deo solum essentiale esse posse intellectum elevare, quantum est de se, & sub conditione, quod non repugnet elevatio ipsa: similiterque intellectui essentiale esse posse elevari ad illos actus, quantum de se est, & sub conditione, quod illi actus non repugnent: ex quo nulla sequitur connexio essentialis, vt ex dictis patet.

3687 Quarto objicies: dominium divinum, divinaque libertas non possunt exerceri nisi erga creaturas possibiles; ergo vel supponunt omnipotentiam, cum earum possibilitate connexam; vel ipsæ cum illa connectuntur. Respondeo, quod, sicut omnipotentia nihil de facto produceret, si creaturæ impossibiles essent, quin propterea minus virtutis tunc haberet, aut perfectionis, quia ea solum petit posse producere, quantum est de se, seu sub conditione non repugnantiæ, & possibilitatis rerum; sic libertas, & dominium non exercerentur; si nullæ essent creaturæ possibiles; tamen non eis deficeret perfectio aliqua, quia adhuc tunc esset Deus liber, & Dominus quantum est de se, seu sub conditione, quod non repugnarent illæ.

3688 Quinto objicies: si aliqua creatura possibilis repugnaret, deficeret omnipotentia, ac repugnaret: ergo connectitur cum possibilitate creaturarum. Probatur antecedens: si lapis exemp grat. repugnaret, Deo convenirent duo contradictoria: ergo repugnaret. Probo antecedens: si lapis repugnaret Deus coexisteret possibilitati lapidis, illique non coexisteret; ergo ei convenirent duo contradictoria. Probatur antecedens: lapis eoipso, quod repugnaret esset impossibilis: ergo non possibilis: ergo in eo casu non daretur possibilitas lapidis; alias simul daretur lapidis possibilitas, quia ista est ei essentialis: ergo Deus possibilitati lapidis coexisteret, & non coexisteret. Patet ista consequentia: quia cum Deus necessario existat dicitur coexistere rei existenti, & non coexistere non existenti: sed tunc daretur possibilitas, & non

ergo ei Deus coexisteret, & non coexisteret.

3689 Hoc argumentum æquè probat vt Oviedo, & Lynceus rectè animadvertunt, cuiuslibet creaturæ cum qualibet alia mundi connexionem essentialem, ac Dei cum qualibet creatura; cum qualibet creatura implicante æquè posset probari, quod omnes aliæ existentes duplici contradictorio coexistant, ac quod Deus. Respondeo ergo primo, negando primum antecedens, & secundum, quo illud probatur, ac tertium, quo probatur secundum. Ad cuius probationē, concedo in casu posito lapidem non futurum posibilem, nego tamē simul posibilem futurum: fateor autem lapidē esse essentialiter posibilem, tamen sicut in illa hypothesi, qua fieret impossibilis, acquireret impossibilitatem ei essentialiter repugnantem, sic amitteret posibilitatem ei essentialem; cum enim illud, quod quidem absolute est impossibile hypothesis admittit, cur secundum, etsi etiam impossibile sit, in hypothesim non caderet, aut saltim cur non potest ita hypothesis fieri, vt cadat: si autem ita fieri posit, sufficiet nobis, quia si Deus connecteretur cum posibilitate, in nulla hypothesi posset ista deficeret, quia deficeret Deus.

3690 Secundo respondeo, admittendo hypothesim, quod lapis ita impossibilis fiat, vt simul maneat posibilis, negando primum antecedens, ad cuius probationem concesso antecedenti, negandā est consequētia, quia Deo de facto repugnant prędicata contradictoria etiam extrinseca tamen in hypothesi impossibili, quod prædicata intrinseca contradictoria alicui conveniant, nequaquam Deo extrinseca repugnant, quia istorum repugnantia in eo erat fundata, quod nulli intrinseca contradictoria possent convenire; eatenus enim Deus mihi, & mei carentiæ non potest coexistere, quatenus ego, & mea carentia non possumus simul existere. Vnde hypothesis, quæ hanc tollit repugnantiam, tollit repugnantiam repertam in eo, quod Deus, aut quęvis creatura mihi, & mei carentiæ coexistat.

3691 Hic tamen adverte, quod ex hyporhesi data intellecta in sensu secundo numero præcedenti posito, quam tamen in eo sensu nos gratis admisimus occasionem desumunt Adversarij varias replicas conficiendi; sed potius tacendi occasionem desumere debuissent; cum enim ea hypothesis contradictoria admittat destruit arguendi principia: *Quodlibet est, vel non est: non potest idem simul esse, & non esse*: quomodo ergo, destructis principijs arguendi, audent arguere? Ridiculum vtique est, quod ipsi admittant cō-

tra-

dictoria, & ex ea admissione velint, vt absurdum inferre, quod alia sequantur contradictoria, aut quod Deus cognoscat contradictoria, & quod ea simul vera sint. Hæc vtique absurda absolutè sunt non tamen ex hypothesi æquè, aut magis absurda. Vnde vt hypothesis vtilis sit ad arguendum debet ea sumi in primo sensu; sic enim non destruit principia, & passim vtiliter à Philosophis, & Theologis vsurpatur.

3692. Sexto objicies: Deus est connexus cum hoc actu sui intellectus: si Petrus existat non inferetur contradictio vlla; sed iste est connexus essentialiter cum possibilitate Petri; ergo Deus est connexus cum ea. Respondeo tamen distinguendo maiorem: Deus est connexus cum actu illo ex suppositione obiecti; concedo maiorem: absolutè; nego maiorem: sicut enim scientia visionis non videt Petrum futurum necessario, nisi ex suppositione, quod sit futurus, sic etiã scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit Petrum possibilem; nisi ipse sit possibilis. Sicut autem, si Petrus non esset futurus, scientia visionis non deficeret, quoad entitatem & perfectionem suam, sed solum quoad denominationem, aut terminationem, sic contingeret, si deficeret possibilitas, & sola in eo est differentia, quod ista non potest deficere sicut futuritio: ex quo solum infertur, quod scientia possibilitatis, sit necessaria, & scientia visionis libera; non tamen quod diverso modo respectu obiecti se habeat.

3693. Septimo objicies: Deus connectitur essentialiter cum possibilitate, vel impossibilitate creaturarum vagè sumpta: ergo etiam poterit cum possibilitate determinatè; cum rationes, quæ hoc secundum impugnant contra primum militent etiam. Probatur antecedens: quia Deus, nec de potentia absoluta potest existere; quin creaturæ possibiles sint, aut impossibiles: ergo connectitur cum illis. Respondeo ad hoc argumentum & simul præcedenti; atque aliis quæ fieri possunt maior lux adhibetur; negando antecedens: ad cuius probationem distinguo antecedẽs: Deus nequit existere sine possibilitate, aut impossibilitate creaturarum, impotentia antecedenti orta ab ipso Deo; nego antecedens; impotentia consequenti orta à necessitate illius coniuncti: concedo antecedens, & nego consequentiam. Sic etiam nos fatemur, quod Deus nequit existere de potentia absoluta sine possibilitate creaturarum: dicimus tamen non connecti, quia ista impotentia non oritur à Deo, sed à necessitate earum. Signum autem, quod ea inseparabilitas non oriatur à Deo, est quod, si, per impossibile deficeret creaturarum possibilitas, non deficeret Deus: hoc autem signum etiam respectu illius collectionis reperitur: adhuc enim si creaturæ, nec possi-

les, nec impossibiles essent, Deus existeret.

3694 Et si dicas: quid tunc essent creaturæ? Respondeo nec possibiles, nec impossibiles, & si dicas: ergo tunc esset impossibile, quod possibiles, vel impossibiles essent, nego consequentiam. Et si inferas: ergo esset possibile: videtur Lynceus hanc concedere consequentiam *numero 60* sed ego eam etiam nego: licet enim necessarium esset, quod tunc etiam vnum eorum esset, videlicet, aut possibilitas, aut impossibilitas possibilitatis, aut impossibilitatis, potest hypothesis poni, in qua neutra ipsarum detur, quia data, & quacumque simili hypothesi, Deus maneret; quod est signum Deum cum neutro extremo, adhuc simul disiunctive sumpto, connecti. Sed etiam advertе consequentiam primum argumenti, dato antecedenti, vim multam habere non posse: instari enim sic potest: Deus connectitur cum existentia, vel non existentia creaturarum: ergo etiam cum existentia poterit connecti. Cum tamen antecedens instantiæ debeat ab Adversarijs admitti, & negari consequentia.

3695 Vnde colliges: quod etsi repugnet cognitio essentialiter vera affirmans Deum non esse, Deus adhuc cum eius repugnantia non connectitur; quia licet verum sit, quod Deus non existeret posita eius cognitionis possibilitate; tamen posset existere deficiente repugnantia non per conversionem in possibilitatem eius cognitionis; sed per meram defitionem impossibilitatis; ita, vt ea cognitio, nec esset possibilis, nec impossibilis. Et si dicas: ergo talium Deus connectitur cum negatione possibilitatis, & impossibilitatis eius cognitionis: nego adhuc consequentiam, quia facta adhuc hypothesi, quod ea negatio deficeret sine conversione in oppositum positivum, maneret Deus; solum in hac re est difficilè hypothesim intelligere; tamen non ideo omittenda est; quia non est aliud medium ad connexionem colligendam.

3696 Contra inconnexionem causæ creatæ cum suis effectibus argumenta specialia si quæ sunt facilè ex tradita doctrina solventur: quapropter tantum obijcio contra eam fundamenta cuiusdam recent. nostri, qui oppositam sententiam defendit, & vt brevius, & prius ea percipiantur eius apponoverba: nam si impossibile foret compositum (inquit) quæ possibilitas esset causę materialis? quod idem dicendum de forma, præterea vnumquodque est propter operari; si enim impossibile est operari, qualiter erit vnumquodque? si impossibilis est actus visionis, vtique lumen naturæ indicat impossibilem potentiam vitivam esse, nec in hoc immorandum, hucusque prædictus.

3697 Sed nec etiam in responsione immorandum multum

ad

ad primam interrogationem respõdeo causam materialem esse materiam cum ea perfectione, & virtute, quam modo habet, quæ si compositum, & etiam forma implicaret, connaturaliter non esset, sicut modo, cum forma est privata; tamen esse posset, etsi inconnaturaliter, cum eadem perfectione, & virtute. Similiter ad reliqua dico omnia principia cum eadem perfectione, & virtute existere posse, adhuc operatione implicante; quod enim ad operationem ordinentur; tantum arguit de facto non dari illis virtutem ad impossibile, & non sine violentia permansura, si operatio impossibilitaretur. Inspiciantur rectè fundamenta, & hoc solum, quod illis damus evincere ad summum comperietur.

3698 Si tamen ex Lynceo, qui vtramque circa causas creatas sentẽtiam problematice defendit, replices materiam implicaturam, implicante forma, quia, eo ipso, quod tunc daretur, ei contradictoria convenirent, videlicet, quod appeteret formam, quia ei, vt enti incompleto, est iste appetitus essentialis; & eam non appeteret, quia esset impossibilis. Respondeo tunc materiam non appeturam formam; quia appetitus materiæ est ipsi essentialis non tamen adæquate, sed inadæquate, quia partim consistit in existentia, aut possibilitate termini appetitus; & sic implicante forma maneret appetitus, non absolute: sed qua parte cum materia identificatus est, eique essentialis.

QVÆSTIO V.

An effectus possibilitas cum suæ causæ possibilitate connexionem habeat essentialem.

3699 POSSIBILITATEM Effectus à possibilitate causæ verè, & propriè non dependere cõstat ex dictis *disp. 1 huius tractatus q. 2.* cum enim effectus possibilitas nihil sit absolutè non potest proprie dici dependens, sicut nec proprie esse dici; vnde nec etiam proprie independens dici debet; ad propriam enim independentiam etiam proprie aliquid esse, quod independens est, supponitur. Quapropter quæstio hæc de propria dependentia non procedit, sed de impropria; an videlicet possibilitas effectus eo modo, quo esse dici potest, etiam dici debeat dependens à causæ possibilitate; quam quæstionem hic appono, quia plurimum conducit ad maiorem præcedentis quæstionis intelligentiam.

3700 In hac ergo quæstione prima sententia tenet possibilitatem cuiuscumque effectus cum nullius eius principij possibilitate connexam essentialiter esse, ita sentiunt apud Oviedo *citat. contr.* 10 *Meriph punct* 5. *n.* 2. aliqui Recentiores secuti Basilium Legionensem Secunda sententia tenet ita extremè effectus possibilitatẽ cum

posſibilitate cauſę connecti, vt non ſolum omnẽ effectum ita cum cauſa connecti iudicet, ſed etiam illum, qui à pluribus produci diſiunctiue valet cum ſingularum posſibilitate ita connecti, vt vna earum repugnante omnino repugnaret effectus. Ita tener expreſſe Spinula *diſput. 5. Phyſic. ſect. 3. art. 2. concluſione* 3 eandemque iam ſequitur Peinado *lib. 2. Phyſic. diſp. 3. ſect. 3. num. 61. & ſect. 4. num 69.*

2701 Tetia ſententia ait omnium actionum posſibilitatem à cauſa eſſentialiter dependere; effectum vero posſibilitatem ſimiliter dependere, ſi ſint eorum, qui ſine actione intermedia immediate à cauſis producuntur, ſi vero ſint eorum, qui per actionem diſtinctam producuntur, nullatenus eorum posſibilitatem à cauſæ dependere posſibilitate, aut cum ea eſſentialiter connecti. Hanc tenent apud Oviedo Sapientiſsimi Magiſtri Societatis Ieſu. Quarta ſententia tenet omnem effectus posſibilitatem connecti eſſentialiter, cum principio illo, à quo, dum exiſtit effectus, eſſentialiter dependet ita vt de potentia abſoluta non poſſit non dependere ab illo; non tamen cum illo, à quo, etſi defacto in ſtatu exiſtentię dependeat, potuit tamen in eo ſaltim de potentia abſoluta non dependere. Ita ſentit Ovied *contr. & punct. cit à n. 3.*

3702 Dico ergo reſolutorie nullius effectus posſibilitatem intrinſecam omnis ſuę cauſę posſibilitate connexam eſſe. Hanc cõcluſionem iudico conſequentem valde ad doctrinam traditam quæſt. præced. Sic autem eam probo, quantumvis cauſa conſtituatur abſolutè potens producere effectum partialiter per ipſius effectus posſibilitatem: tamen potens quantum eſt de ſe, & conditionate, ſi, videlicet, effectus non repugnet, conſtituitur per ſua intrinſeca prædicata: ergo ſimiliter, quamvis effectus abſolute posſibilis conſtituatur partialiter per posſibilitatem cauſæ: tamen posſibilis quantum eſt de ſe, & conditionatè, ſi, videlicet, detur cauſa habens potentiam ad illum, conſtituetur per ſua prædicata, & intrinſecam non repugnantiam; ſed quia potentia cauſæ, qua dicitur potens quantum eſt de ſe, ſolum eſt potentia ad effectum ſub conditione, quod ſit posſibilis, non connectitur eſſentialiter cum effectu: ergo ſimiliter posſibilitas illa intrinſeca effectus, qua quantum eſt de ſe dicitur posſibilis à cauſa ſub conditione, quod ea habeat potentiam eius productiuam, non dicetur cum illa eſſentialiter connecti.

3703 Confirmatur: ad hoc, vt cauſa poſsit producere abſolute effectũ, & ſine conditione, aut reſtrictione, non poteſt deſiderari aliud, quam quod cauſa habeat, quod requiritur ex parte cauſæ ad eam productionem; & quod effectus habeat, quod ex parte effectus eſt requiſitum; iunc ſic, potentia

cauſa

causæ est requisitum ex parte causæ: ergo effectus absque tali potentia potest habere quidquid requiritur ex parte sua Patet consequentia. Quia causa habet, quod requiritur ex parte sua; quin habeat aliquid, quod requiritur ex parte effectus: ergo similiter effectus habebit, quod ex parte sua requiritur; quin habeat quod requiritur ex parte causæ; ergo si ex parte causæ requiritur potentia, sine illa intelligi debet quidquid ex parte effectus requiritur; sed id, quod requiritur, ex parte effectus, vt ipse possit produci, dicitur possibilitas intrinseca: ergo sicut potestas, seu potentia intrinseca causæ tantum est ad effectum conditionate, ideoque cum eius possibilitate essentialiter non connectitur; sic intrinseca possibilitas effectus tantum est conditionate ad causæ potentiam, & cum eius possibilitate est similiter inconnexa.

Soluuntur argumenta.

3704 Obijcies primo: Petrus, & quævis alia creatura per suam essentiam habet esse produci bilem à Deo & non à chimæra ergo per suam essentiam infert Deum distingui à chimæra: sed distingui à chimæra est esse possibilem: ergo infert Dei possibilitatem, cum eaque connectitur. Secundo obijcies: deficiente Deo Petrus v.g. esset impossibilis: ergo Petri possibilitas connectitur cum possibilitate, imò & cum existentia Dei: probatur antecedens: id est impossibile, deficiente Deo, quod, si in eo casu existeret; existeret, & non existeret; sed si Petrus existeret, deficiente Deo, existeret simul, & non existeret: ergo esset impossibilis. Minor probatur: quia existeret Petrus in eo casu, vt supponitur; deindeque non existeret; quia nec existeret à se, vt pote creatura, nec ab alio, quia non esset à quo.

3705 Ad duo ista argumenta ex Peinado desumpta respondeo: ad primum negando antecedens: Petrus namque per suam essentiam solum habet, quod ipsius prædicata contradictionem non involvant, in quo eius possibilitas intrinseca consistit; quod vero possit produci ab hac, vel illa causa, nõ est prædicatum Petri adhuc vt possibilis possibilitate intrinseca: sed prædicatum est causæ illum potentis producere. Vnde possibilitas intrinseca Petri cum nullius causæ possibilitate connectitur. Ad secundum argumentum respondeo distinguendo antecedens: deficiente Deo, Petrus esset impossibilis, impossibilitate intrinseca; nego antecedens: impossibilitate extrinseca, concedo antecedens. Vnde solum sequitur, quod possibilitas extrinseca Petri connectatur, aut identificetur cum Deo, non verò quod intrinseca Petri possibilitas cum ipso connectatur. Probatio autem antecedentis solum convincit illud in sensu à nobis concesso; quia non existeret Petrus in casu hypothesis, quam-

quamquam alias existeret, quia non esset à quo existeret, ac proinde, quia deficeret possibilitas extrinseca; non vero, quia in suis prædicatis intrinsecis, contradictionem involueret, quod pertinet ad possibilitatem intrinsecam.

3706 Objicies tertio: aliqui effectus in statu existentiæ dependent ab existentia suæ causæ: ergo ipsi in statu possibilitatis dependebunt essentialiter à suæ causæ possibilitate. Probatur consequentia; quia effectus in statu possibilitatis dicit objective entitatem cum eisdem prædicatis, & affectionibus, quibus gaudet in statu existentiæ: ergo etiam dicet eandem dependentiam, quam habet in eo statu: ergo si dantur effectus, qui in statu existentiæ, dependent essentialiter à causæ existentia, eam dependentiam habere debent in statu possibilitatis à possibilitate causæ.

3707 Respondeo ad hoc argumentum; quod est Achilles Patris Oviedo: negando consequentiam. Ad cuius probationem distinguo antecedens. Effectus in statu possibilitatis dicit objective entitatem cum eisdem prædicatis, & affectionibus, quibus gaudet in statu existentiæ: si sint prædicata intrinseca, & essentialia, concedo antecedens: si non sint intrinseca, & essentialia, nego antecedens; & nego consequentiam: quia dependentia quam habet effectus in statu existentiæ à sua causa, non dicitur essentialis; quia sit essentialis proprie, quod est esse constitutivam essentiæ, sed dicitur essentialis; quia est indispensabilis adhuc per potentiam Dei absolutam; sic enim omnes creaturæ essentialiter dependent à Deo; quia indispensabiliter ab ipso producuntur: tamen earum essentia potest sine Deo intelligi; cum essentia hominis sit *animal rationale*: quod sine Deo intelligi potest, quâvis sine illo nequeat existere: id ergo solum, quod in esse essentiale, vt sit essentiæ rei constitutivum; est quod debeo objective reperiri in statu possibilitatis modo eodem, quo physice reperitur in existentiæ statu.

3708 Sed dices: actio, vt prædicatum essentiale sui constitutivum, habet, quod sit causæ determinatio ergo iuxta datam solutionem debet cum eo intelligi in statu possibilitatis; sed causæ determinatio essentialiter cum causa connectitur: ergo actionis possibilitas connectitur essentialiter cũ causæ possibilitate consequenterque effectus, qui essentialiter dependent à determinata causa, cum eius possibilitate possibilitatem suã debent habere connexam.

3709 Respondeo concessis omnibus vsque ad vltimam etiam consequentiam, negando tamen id, quod consequenter dici debere profert argumentum, videlicet, quod omnis effectus qui essentialiter dependet à determinata causa debeat habere possibilitatem suam intrinsecam cum eius causæ possi-

bi-

bilitate connexam. Ratio est, quia possibilitatis actionis connexio cū possibilitate causæ non oritur ex eo, quod essentialiter pendeat ab ea produci, sed ex eo, quod habeat specialem essentiam connexam essentialiter cum causa, nos autem in præsenti solum investigamus connexionem, quam habet effectus possibilitas cum possibilitate causæ provenientem ex eo præcisse, quod ab ea indispensabiliter produci debeat.

3710 Quarto obijcies: pro sententia Spinulæ: effectus qui à pluribus causis potest produci essentialiter habet, quod ab eis omnibus produci possit: ergo qualibet causa earum, à quibus produci potest, impossibilitata, tollitur prædicatum essentiale effectus, & consequenter impossibilitatur. Respondeo ex dictis, quod, quando effectus potest à pluribus produci causis, ipsi dicitur essentiale, quod possit ab omnibus produci, quia indispensabiliter ei id convenit: re tamen vera id non est ei essentiale; quia consistit partim in non repugnantia ex parte sua & partim in eo, quod plures causæ habeant potentiam eius productivam: vnde qualibet causa deficiente, deficeret effectui posse ab illa produci, non qua parte consistebat in ipso, sed qua parte in potentia illius causæ consistebat. Vnde nihil ipsi intrinsecum, & essentiale deficeret.

3711 Ex dictis inferes: quod possibilitas intrinseca rerum non est à Deo, sed à se: si enim esset à Deo ab ipso penderet, cum ipsoque connecteretur: cum ergo diximus quod possibilitas rerum intrinseca à nulla causa dependet, nec cum vlla connectitur, fit, vt nec ab eo, nec ab vlla alia causa dependeat, aut cum illis connectatur, & consequenter, quod sit à se. Confirmatur primo, quia absolute nihil magis habet de entitate possibilitas rerum quam impossibilitas chimærarum, sed istarum impossibilitas debet dici esse à se: ergo & rerum possibilitas. Minor probatur: si impossibilitas chimærarū esset à Deo, potius quam à se, Deo deficiente, deficeret chimærarum impossibilitas: sed ex hypothesi, quod deficeret Deus, non deficeret chimærarum impossibilitas: ergo quia non est, nec dependet à Deo. Minor videtur clara; quid enim accederet chimæræ ex defectu Dei, vt eius deficeret impossibilitas? Certe nihil apparet, sed potius ratio eam augēdi impossibilitatem. Secundo confirmatur ex dictis *in hoc tractatu disp. 1. quæst 2. præsertim à num.* 3583. vbi qualiter iuxta Lyncei sententiam dici non possit, quod rerum possibilitas sit à se neque à Deo ab æterno, bene tamen iuxta nostrum, declaratum est.

(?)

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrùm causa, & effectus transcendentaliter mutuo referantur.

3712 HANC Quæstionem, quæ non parum vtilis est ad omnino penetrandam doctrinam quæstionum præcedentium, tribus resolvo conclusionibus. Sit prima: Omnis causa creata, ad omnem effectum, quem in sua virtute continet transcendentalem dicit relationem. Probatur conclusio. Relatio transcendentalis in eo consistit, quod res aliqua, quæ extra prædicamentum relationis sit, cognosci nequeat, nisi alteram in obliquo cognoscendo; sic enim sentit de relatione transcendentali Oviedo, & apud ipsum P. Didacus Ruiz de Montoya, nosque obiter in eo ipsam consistere ex communi sententia referebamus supra *num.* 3659. sed causa quælibet creata, cum sit virtus suorum effectuum productiva, nequit cognosci, quin cognoscantur effectus, quorum est productiva; aut contentiva: ergo quælibet creata causa ad suos quoscumque effectus refertur transcendentaliter. Minor, in qua est difficultas, probatur. Virtus cuiuslibet effectus productiva per se ipsam est virtus contentiva, & quantum est de se productiva talis effectus: ergo nequit perfectè cognosci, quin ipse effectus aliquomodo cognoscatur: sicut enim virtus productiva caloris à virtute frigiditatis productiva, non potest distingui nisi in eo, quod sit caloris productiva, sic nequit, vt distincta, concipi, nisi vt caloris productiva cognoscatur, in qua cognitione iam saltim apprehensiva caloris cognitio intercedit.

3713 Dico secundo: effectuum possibilitas ad nullius causæ possibilitatem dicit transcendentalem relationem probatur conclusio ista: possibilitas effectus cognosci valet optimè sine vllius causæ possibilitate: ergo ad nullius possibilitatē transcendentaliter refertur. Antecedens probatur, quia si possibilitas effectus non posset cognosci sine causæ possibilitate; maximè: quia causæ possibilitas necessario cognosceretur cognita effectus possibilitate; sed hoc est falsum: ergo effectus possibilitas cognosci valet sine causæ possibilitate. Probo minorem: possibilitas effectus non potest cogere, immo nec conducere ad causæ possibilitatem cognoscendam; nisi quatenus effectus possibilitas dicit in causa contineri; sed effectus possibilitas intrinseca (de qua semper loquimur) non dicit contineri in causa; sed tantum non repugnantiam prædicatorum: ergo non cogit, nec cōducit ad causæ cognitionē. Minor, in qua est difficultas constat ex dictis in questione præcedenti; si enim effectus possibilitas intrinseca diceret ipsum includi in causa iam

cum

cum ea connecteretur, cuius oppositum ibi probavimus.

3714 Dico tertio: etiam causa increata, seu divina Omnipotentia ad omnes effectus, quos continet transcendentaliter refertur, hæc conclusio est contra Oviedum *punct. cit. §. 2.* alia autem probatione, non eget, quam ea, quæ pro prima conclusione est adducta; si enim aliqua disparitas, aut absurdum excogitari potest ex solutione argumentorum evanescet.

Soluuntur argumenta.

3715 Objcies contra primam conclusionem connexio essentialis, & transcendentalis relatio idem sunt; sed nos non admittimus causas creatas cum effectuum possibilitate connexas: ergo neque ad illam referri transcendentaliter debemus admittere. Respondeo tamen negando maiorem: etsi enim ea communis sit: negatur tamen à P. Suarez dicente, quod non omnis connexio essentialis sit trãscendentalis relatio, ad hanc enim præter connexionem requiri ait, quod terminus connexionis se habeat vt finis rei connexæ: qua ratione, etsi Deus admitteretur connexus cum creaturarum possibilitate, transcendentaliter referri negandum est. Deinde Fassolus, & Erize apud Oviedum *punct. 6 num. 1.* eandem negant maiorem dicentes etiam nõ omnem connexionem essentialem transcendentalem relationem dicendam; dicunt enim, ad hanc requiri, præter connexionem, quod res connexa respiciat aliam vt sui perfectibile, seu perfectivũ. Quamvis autem isti DD. placeant nobis maiorem argumenti negantes; non placet nobis modus eam negandi, & discrimen quod inter connexionẽ, ac relationem ponunt, in primis namque, quod Suarez ait, requiri ad relationem, quod terminus respiciatur vt finis, displicet: quia causa creata iuxta ipsum ad omnes suos effectus transcendentaliter refertur; & tamen non omnes respicit vt finem: quis enim credet, quod finis hominis sit quilibet eius motus aut opus quodlibet etiam pravum? Similiter actio non solum ad effectũ, sed etiam ad causam transcendentaliter refertur, quin tamen causam, vt finem respiciat. Displicet etiã Fassoli ratio; quia causa creata ad actionem, atque etiam ad omnes suos effectus refertur transcendentaliter: sed nec actio, nec effectus transeuntes producti causam perficiunt: ergo non est de ratione relationis transcendentalis, vt terminũ respiciat, vt perfectivum, seu perfectibile sui.

3716 Discrimen ergo, quod ego cum Oviedo invenio inter connexionem essentialem, & transcendentalem relationem in eo consistit, quod relatio transcendentalis latius pateat, ita vt omnis connexio essentialis sit relatio, non tamen omnis relatio transcendentalis sit connexio essentialis. Primum qui-

quidem, videlicet, quod omnis connexio eſſentialis ſit tranſcendentalis relatio, probatur: quia connexio nequit cognoſci, quin cognoſcatur extremum connexionis; ſed res, eſſentialiter cum alia connexa, nequit ſine connexione cognoſci, cum iſta ſit de eſſentia illius: ergo neque ſine extremo connexionis, quod eſt res, cum qua connectitur: ergo ad illam tranſcendentaliter refertur, cũ ad relationem tranſcendentalẽ ſufficiat, quod vnum nequeat ſine eo, ad quod ſic referri dicitur, cognoſci. Conſequentiæ omnes ſunt bonæ, & minor, dum proponeretur eſt probata: maior autem etiã conſtat: non enim eſt minus difficile cognoſcere connexionem ſine extremo connexo, quam vnionem ſine extremo vnito: ſed eſt conſtans, quod vnio ſine extremo vnito cognoſci nequeat: ergo &, quod connexio nequeat cognoſci ſine extremo connexo. Deinde ſecundum, quod, videlicet, non omnis relatio tranſcendentalis ſit connexio eſſentialis, probatur ex eo, quod cauſæ non habent connexionem eſſentialem cum ſuis effectibus, vt *quæſt.* 4. probavimus; & tamen ad illos relationem dicunt tranſcendentalem, vt etiam non leviter in prima huius quæſtionis concluſione probavimus.

3717 Sed dices: ſi cauſæ ad effectum detur tranſcendentalis relatio, nequit non dari connexio: ergo male nos ponimus dari relationem, & connexionem non dari, probatur antecedens: tunc datur connexio vnius cum alio, quando illud ſine hoc reperiri nequit, ſed eo ipſo, quod cauſa tranſcendentaliter reſpiciat effectum, nequit dari cauſa, nec eius poſsibilitas ſine effectus poſsibilitate: ergo eo ipſo, quod cauſa ad effectus referatur, nequit nõ cum illis connecti. Minor, in qua ſola eſt difficultas, probatur: ille reſpectus tranſcendentalis nequit dari ſine effectus poſsibilitate: ergo nec cauſa, ſi talem reſpectum dicit. Patet conſequentia; quia eo ipſo, quod talis reſpectus in cauſa detur eſt cum illa identificatus. Antecedens probatur: terminus illius reſpectus eſt effectus: ſed relatio tranſcendentalis, nequit eſſe ſine ſui termini poſsibilitate: ergo ille reſpectus tranſcendentalis nequit dari ſine effectus poſsibilitate. Minor probatur: tum quia communis ſententia eam differentiam aſsignat inter relationem prædicamentalem, & tranſcendentalem; quod iſta petat terminum ſaltim poſsibilem; illa vero exiſtentem. Tum; quia terminus, qui non eſt poſsibilis nihil eſt actu, aut poſsibiliter: ergo non valet relationem tranſcendentalem terminare.

3718 Reſpondeo tamen negando antecedens: ad cuius probationem nego minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens, & ad huius probationem iterum, nego minorem, ad cuius primam probationem reſpondeo, quod ſicut eam ſententiam ſupra *quæſt.* 3. non ad-

admissimus, quatenus relationem omnem prædicamentalem terminū existentem postulare asserebat, sic nec eam modo admittimus; quatenus omnem transcendentalem relationem terminum possibilem postulare contendit: quod enim talem possibilitatem nō semper postulet; primo constat ex eo, quod cum, vt probavimus *quæst.* 4 causæ cū suorum effectuum possibilitate non connectantur; sæpe tamē continent, aut saltim continere possunt in sua virtute effectus impossibiles: tunc autem ad illos transcendentaliter referri, necessarium est, vt constat ex ratione nostræ primæ conclusionis: iam ergo relatio transcendentalis terminum impossibilē habebit. Secundo id ipsum constat in cognitione, quæ ad Hircocervum terminatur, quæ cum cognosci nequeat vt *disp.* 2. *log. q.* 5. *n.* 481. dicebamus, Hircocervo non cognito, ad illum proculdubio transcendentaliter refertur; cumque Hircocervus sit impossibilis; iam aliqua relatio transcendentalis ad terminū impossibilem terminatur: nec dici potest talem cognitionem non referri ad suum obiectum impossibile; tum, quia eodem modo respicit illud; ac cæteræ cognitiones obiecta sua: tum, quia non facile reddi potest disparitas, cur cognitionem realem terminare possit, quod est impossibile, & nihil, & id ipsum non possit terminare relationem transcendentalem.

3712 Vnde ad secundam probationē respondendū est distinguendo antecedens: quod est impossibile nihil est actu, aut possibiliter physice, & in se, concedo antecedens: terminative, nego antecedens. Sicut enim, impossibilitate nō obstante, terminat cognitionem, cur similiter relationem non terminabit? Etsi dicatur de cognitione, aut eius relatione esse diversam rationem, ac de causa; quia Hircocervus potest in cognitione existere sicut in imagine; non sic effectus impossibilis in causa. Contra est, quia, & si effectus non sit in causa, vt in imagine, potest esse in illa, vt in virtute quantum est de se illius productiva, & vt terminus in relatione, quæ sine illo nequit cognosci. Vbi nota, quod, vt in simili dicebamus de virtute causæ *num.* 3684. quamvis iam cognitio, quam relatio transcendentalis terminetur ad impossibile, non terminatur ad illud reduplicative; sed specificative. Vnde cognitio terminata ad Hircocervum, eadem maneret si Hircocervus, per impossibile fieret possibilis; quia ipsa non ad possibilitatem, vel impossibilitatem terminatur, sed ad Hircocervi prædicata, sive eis adiungatur repugnantia, sive non.

3720 Nota præterea, vt magis in elligas doctrinam primæ conclusionis, immo & aliquarum quæstionum præcedentium, causas omnes transcendentaliter referri nō solum ad omnes effectus, in communi, sed ad singulos in particula-

ri, nec ad eorum possibilitatem puram, sed ad eorum existentiã quoad vtramque partem comitat assumptũ, quia iuxta dicta causa refertur ad effectus quatenus illos in sua continet virtute, illorumque est, quantum est de se, productiva; sed est productiva singulorum effectuum in particulari; & eorum existentiã in virtute continet, eamque quantum est de se est potens producere, ad singulos ergo in particulari refertur, nonque ad possibilitatem nudam, sed ad eorum existentiam.

3721 Contra secundam conclusionem, si quid obijci potest ex dictis quæstione præcedenti solvendum est. Contra tertiam autem obijcies ex Oviedo; primo ex ea se qui Deum transcendentaliter referri ad omnes chimæras excogitabiles, Cum Deus eas omnes sit, quantum est de se, potens producere, sequelam autem sibi absurdam in auditamque pronuntiat. Secundo nam cum omnipotentia sit infinita non minus potens, quantum est de se ad has, quam ad illas creaturas, vel etiam chimæras, ad nullam transcendentaliter refertur; quod enim causa creata ad effectus, quos producere potest referatur provenit, ex eo, quod diverso modo se habeat respectu illorum, ac respectu eorum quos producere non valet: vnde ad omnipotentiæ cognitionem sufficit cognoscere esse potentiam infinitam, quin sit necessarium aliquem effectum cognoscere; ex illa tamen cognitione infertur, quolibet assignato effectu ipsum posse produci, si ex parte sua non repugnet.

3722 Respondeo tamen ad primum concedendo sequelam, negando tamen eam esse absurdam; si termini explicentur, vt ipse Oviedo eos explicat, antequam absurdã sibi esse dicat; dicere enim, quod omnipotentia ad chimæras transcendentaliter refertur, nihil aliud est, quam dicere, quod est virtus, quantum est de se illarum productiva, & contentiva, & simul quod virtus alicuius effectus contentiva nõ potest perfecte cognosci, sine illius effectus cognitione: primum autẽ dici posse, & debere sustinet nobiscum Oviedo. Secundum etiam verum esse suadet ratio, & paritas virtutis creatæ; quin in oppositum aliquid absurditatem probans adduci possit, nisi ex eo, quod ab aliquo sit inaudita, ei absurda videatur; quod contra rationem erit; sæpe enim nunquam audita dum primo audiuntur bene sonantia videntur præterea nimis mihi inaudita non est sequela illa, quia evidenter in re (quidquid de nominibus sit) sequitur ex sententia quam supra *numero* 3677. defensatam dixi in Salmantino Lycæo.

3723 Ad secundam obiectionem respondeo ex illa disparitate virtutis creatæ, & increatæ potius omnipotentiam referri debere inferri, quam oppositum; nam, si increata causa eodem modo se

has

habet comparatione omnium effectuum, causa vero creata se habet diversimode ad eos, quos potest, & ad illos, quos non potest producere; inquiro aut causa increata comparatione omnium effectuum se habet eo modo, quo creata comparatione illorum, quos potest producere, aut modo, quo causa creata comparatione effectuum, quos producere non valet, secundum dici non potest: ergo primum. Tunc sic: causa creata comparatione effectuum, quos potest producere, ita se habet, vt ad eos referatur: ergo & increata ita refertur ad omnes. Ad illud autem, quod additur ad cognitionem omnipotentiæ sufficere, quod cognoscatur, eam esse virtutem infinitam. Respondeo, eo ipso, quod id de omnipotentia cognoscatur, debere infinitos effectus in communi saltim, & in confuso cognosci, & tunc adhuc omnipotentiam non omnino, ac perfecte penetrari, vsque dum omnes effectus, quos valet, quantum est de se, producere, cognoscantur, quod consonum est modo discurrendi Oviedi circa virtutem creatam, & eius disparitas hoc numero est dilutaj id ipsum etiam consonat communiori modo discurrendi Theologorum circa creaturarum cognitionem in omnipotentia; sed quia de his fusius Theologi eorum modo meminisse suf-

ficiat.

(?)

QVÆSTIO VII.

De fundamento, siue ratione fundandi relationum prædicamentalium.

3724 ASSIGNATA *quæst.* 3. differentia inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem, tribus quæstionibus, quæ ipsam subsequutæ sunt, & hanc immediate præcedunt egimus, quæ ad relationem transcendentalem pertinere poterant, aut illius occasione disputari solent. Quapropter modo regredimur ad relationem prædicamentalem, vt, quæ circa illam restant, absolvamus. In hac ergo quæstione de ratione fundandi relationum prædicamentalium loquuturi sumus. Quia tamen in tribus relationis generibus commemoratis in sexta relationis divisione supra *quæst.* 2. *n.* 3641. eam Aristoteles vocat fundamentum, ideo hoc nomen solet aliquoties vsurpare, proprie tamen nomine rationis fundãdi insignitur, hocque nomine plura de ea disputantur: sicut etiam, quamvis fundamentum, & subiectum aliquam sortiantur diversitatem, quia tamen nullum est fundamentum, quod aliqua ratione nõ sit subiectum, nec subiectum, quod aliqua ratione non fundet, ideo nomine fundamenti subiectum ipsum, cum communi modoloquendi nos intelligimus, vt prænotavimus

Ee iam

iam supra *quæstione* 3. *numero* 3657.

3725 Igitur rationem fundandi relationum primi generis diximus esse vnitatem, & numerum. Vbi primo notandum est idem esse numerum, ac diversitatem; sicut enim convenientia vnitas dicitur, sic disconvenientia numerus potest appellari, & ideo ab aliis dicitur ratio fundandi relationum primi generis vnitas, & diversitas: sed explicatione posita cum Aristotele concordantur. Secundo nota vnitatem in substantia fundare relationem identitatis; diversitatem vero relationem diversitatis: vnitatem deinde in qualitate relationem similitudinis; diversitatem vero dissimilitudinis: vnitatem denique in quantitate relationem æqualitatis; diversitatem vero in eidem, in æqualitatis. Circa quod adhuc nota tertio, quod cum dicitur vnitatem in substantia fundare relationem identitatis, nomine substantiæ intelligitur essentia: vnde cum duæ qualitates in essentia conveniant, & similiter duæ quantitates, habent inter se relationem identitatis. Cum tamen respectu subiecti, in quo sunt, non sint essentiales, fundabunt respectu illius similitudinem, aut æqualitatem. Vt autem inter se qualitates fundent similitudinem, attendendi est, non vnitas essentiæ ipsius qualitatis, sed graduum, ex quibus componitur; sicut in quantitate ad æqualitatem partium, ex quibus constat.

3726 Sed dices: aut vnitas, in qua fundantur realationes primi generis, est formalis, aut numeralis: neutra istarum potest esse: ergo non potest vnitas esse relationis fundamentum. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia in primis numeralis nequit esse, cum ista non sit ratio convenienti, sed potius in ea fundamentum, & terminus disconvenientiam habeant. Deinde nequit esse formalis; quia nulla vnitas formalis reperitur à parte rei, & ante intellectus operationē. Ad hanc obiectionem respondet Lynceus *lib. 3. metaph. tract. 6 cap. 10. à num. 136.* probabiliter dici posse vnitatē numeralem esse conditionem, sive rationem fundandi relationum primi generis; quia conditio est ad relationem, quod extremum quodlibet sit in se vnum, quod præstat vnitas numeralis. Sed id defendere, vel impugnare plus cōtinet laboris, quam vtilitatis, quapropter eo omisso. Respondeo relationes primi generis fundari in vnitate formali, non formaliter sumpta, sed fundamentaliter, sic enim à parte rei reperitur.

3727 Sed replicabis: vnitas formalis fundamentaliter sumpta nihil est aliud, quam convenientia extremorum; sed ista convenientia non est conditio, seu ratio fundandi relationes: ergo nec vnitas explicata. Minor probatur: ea convenientia est ipsa relatio, quia simi-

similitudo nihil aliud est, quam convenientia in qualitate: ergo non potest esse ratio fundandi. Respondetur tamen negando minorem, & ad probationem distinguo antecedens, illudque concedo de convenientia formali; & nego de fundamentali. Alia ergo est convenientia impropria, & fundamentalis cõsistens in ipsis entitatibus convenientibus; alia vero est convenientia formalis in eis resultãs, realiter, aut formaliter ab eis distincta iuxta diversum modum sentiendi de distinctione relationis à fundamento, quæ convenientia formalis, est similitudo, identitas, aut æqualitas; non tamen prima.

3728 Ratio fundandi relationum secũdi generis est actio, & passio, circa quam non est parva contentio inter DD. ea tamen, teste N. P. Ildephonso ab Spiritu Sancto, de nomine est tota. Alij enim actionẽ non solum conditionem esse volunt ad relationem; sed etiam fundamentum. Alij fundamentum in potentia proxima collocant. Alij vero in istarum neutra; sed in potentia radicali, seu remota. Hi vltimi fundantur in eo, quod, actione transacta, & præterea potentia proxima deficiente, adhuc potest manere relatio: ergo eius fundamentum sola est potentia remota; proxima vero, atque actio conditio solum. Prædictus N. P. Ildephonsus rem componit dicendo in fieri esse fundamentũ non solum potentiam remotam, sed etiam proximam, & actionem ipsam; postquam vero relatio resultavit, fundamentũ consistit solum in potentia remota. Ego autem existimo semper solam potentiam remotam esse fundamentũ; quia non video, quid amplius habeat relatio in primo sui esse, cur petat maius fundamentum, vel diversum: & ideo, quod requiratur actio, solũ contingit, quia est conditio; non tamen, quia sit fundamẽtum. Fateor tamen illam esse ita strictam conditionem, vt quandam speciem fundamenti habeat, qua ratione non conditio, sed ratio fundãdi appellatur, & ab Aristotele, ac D. Thom. fundementum est appellata. Inde etiam provenit, quod sæpe dicatur aliquem esse Patrem, quia generavit: cuius ratio est, tum quod hæc conditio habeat, vt dixi, quandam speciem, & similitudinem fundamenti: tum, quod in communi loquendi modo causales aliquoties non in omni rigore sumantur, & sic conditionibus possint applicari.

3729 Circa tertij generis relationum rationem fundandi, quæ est mensura, & mensurabile, notandum est, quod relationes, quas continet, mutuæ sunt, in diverso saltim genere, iuxta à nobis dicta superius *q.* 2 *à n.* 3644. tamen in eodẽ genere non sunt mutuæ, id tamen non est ita huius generis proprium, vt relationibus secundi generis non competat, vt considerans invenier. Colliges autẽ ex dictis supra *q.* 3 quod, etiãsi relationes huius ter-

tij generis negent alij esse prædicamentales, alij affirment, à nobis facile dicitur eas esse transcendentales, & simul prædicamentales, nõ quia eadẽ relatio vtrumque habeat conceptum; sed quia, vbi datur respectus transcendentalis, quia consideratur res aliqua, vt aliquod munus erga aliam exercens, datur relatio prædicamentalis, si pure consideretur ille respectus, sive respicientia; quia tamen familiarius est illum respectum parum non considerare, & nomina relativa, exceptis paucis, non sunt imposita ad purum respectum significandum, ideo, etsi nulla sint extrema, inter quæ vna relatio ex dictis versetur, & non alia, plures communiter vocantur transcendentales, & solum aliquæ paucæ prædicamentales; si tamen recte considerentur, semper vterque respectus poterit inveniri, vt dicebamus *cit. q. 3. n. 3666. & 3667.*

3730 Hic assignari solent aliquæ conditiones pro relationibus prædicamentalibus. Prima potest esse, quod relatio prędicamentalis petat terminũ existentẽ. Sed eam non requiri ad omnes relationes prædicamentales probavimus *supra à n 3651.* Secũda potest esse, quod relatio etiam secundũ conceptum *ad* dicat realitatẽ, quæ, etsi ab aliquibus negetur, probata iã est à nobis *q. 1. huius disp.* Tertia tandẽ, relictis alijs, de quibus ex nunc, & alijs in locis dictis constare potest, est quod fundamentum, & terminus realiter distinguantur. Constat autem ista conditio; quia, cum relatio sit, qua vnum, scilicet, fundamentum, refertur ad aliud, scilicet, ad terminum, si realiter non distinguerentur, non vere vnum ad aliud referri diceretur; cum vere terminus non esset aliud: vnde non relatio realis esset dicenda; sed rationis, vt dicebamus in logica *disp. 7. q. 3. n. 1066.* explicando primam divisionem relationis.

3731 Sed inquires, an requiratur ad relationem prædicamentalem distinctio realis adæquata inter fundamentum, & terminum; vel sufficiat inadæquata. Respondetur inadæquatam sufficere; sic enim, & non amplius mensis ab anno distinguitur, & tamen ei inæqualis dicitur, & est. Præterea materia est vera causa materialis totius, & consequenter ad illud refertur, similiterque forma: & tamen earum quævis à toto inadæquate tantum distingnitur. Vnde si Deus vnam albedinem in duobus subiectis poneret, vere similitudo in eis resultaret. Et si dicas non posse tunc resultare similitudinem, cum non possit inter subiecta reperiri secundum se, cum in eis non sit convenientia, sed disconvenientia forsan: nec in albedine; cum sit indistincta albedo, quæ est fundamentum, ab ea, quæ terminus. Respondetur, quod, quamvis nec

in-

inter subiecta, nec inter formas similitudo resultet, ea resultat inter concreta; nam sæpe denominatio aliqua toti convenire solet, quæ nulli ex eius partibus eorsim competit. Ex hac doctrina penetrabibitur amplius ea, quam tradidimus in logica magna *disp. 1. quæst. 9.* dicentes relationes subiecti, prædicati, generis aliasque similes logicales esse reales, quia, quamvis prædicatum v. g. à subiecto pro materiali realiter non distinguatur; pro formali tamen, cum includat diversum actum intellectus, realiter distinguitur: vnde concretum totum prædicati à concreto subiecti, & concretum generis à concreto speciei realiter inadæquate distinguitur, quæ distinctio vt diximus nunc, sufficit ad relationem realem.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm relatio prædicamentalis distinguatur realiter à fundamento, & termino.

3732 PRIMA In hac celebri quæstione sententia tenet relationem esse accidens fundamento inhærens, & ab ipso realiter distinctum, illique intrinsecum omnino. Hanc sententiam tenent Thomistæ communiter, paucis exceptis, & ex Iesuitis non pauci, & communiter etiã Scotistæ; hi tamen cum quadã limitatione, de qua quæstione sequenti. AA. in particulari non refero eo quod fieri permulti non pauci videri possint in Lynceo *in hoc tractatu c. 19.* & in M. Aguirre *disp. 12. metaph sect. 1. n. 2.* quos etiam ipse sequitur *sect. 2. & sequentibus* Huius autem sententiæ DD. triplici incedunt via; alij namque relationẽ à fundamento, & termino distingunt realiter absolute, seu tãquam rem à re; alij realiter modaliter, seu tanquã rem à modo: atque alij quandoque realiter absolute distingui putant, quandoque vero realiter modaliter.

3733 Secunda sententia tenet relationem non esse accidens fundamẽto inhærens, illique superadditum; sed consistere in solo fundamento, termino tantummodo cõnotato: vnde, etsi adæquate in fundamento consistat, ita tamen essentialiter terminum connotat, vt, eo non existente, fundamentum nequaquam referatur. Hanc sententiã novissime tenet Echalaz *disp. 26. logicæ cap. 2. n. 18.* pro ea citans Suarez Arriagam Hurtadum & Franciscum Alphonsum. Sed in primis de mente Suarez dubitat Lynceus, & oppositam sententiã probabilius eĩ censet adscribendam. De alijs vero dubitari nequit, quod oppositam tueantur; quia acerrime impugnant connotatores; sic enim appellantur à Neotericis Societatis huius opinionis Doctores. Supresso tamen nomine, citantur pro sententia ista ab Arriaga aliqui neoterici, expresse vero à Lynceo Lu-

dovicus Meratius *disput. 3. de Deo:* eamque vt veram supponit Theophilus Raynaudus *in disciplina morali dist. 4. q. 1. art. 2. n. 20.* Vnde constat paucissimos esse qui hanc tueantur sententiam, cum multi sint, qui eam insequantur, & impugnent.

3734 Tertia sententia tenet relationem realiter extrinsece solum à fundamento, & termino distingui. Pro hac sententia citat Lynceus *lib. 3. metaph tract. 6. cap. 21. num. 298.* Aureolum, Gerardum Senensem, & Averroem. Existimo tamen hanc sententiã obscure prædictis terminis proponi, ideoque aliter eam proponam, etsi menti eam tuentium, & impugnantium omnino conformiter. Igitur hæc sententia asserit relationem non esse accidens fundamento, aut termino intrinsecum; esse vero accidens ipsis extrinsecum; est enim intellectus comparatio. Hæc mens est DD. huius sententiæ iuxta Lynceum cum eam in hoc impugnet sensu: vnde constat obscure eam fuisse propositam; extrinsece enim distingui sonat realiter identificari, & solum per actus intellectus distingui, vt constat ex à nobis dictis *in logica magna disp. 1. & 3.* cum ergo illa comparatio intellectus non identificetur fundamento, & termino; sed realiter sit ab eis distincta, intrinsece dicenda est distingui, quamvis illis sit extrinseca: sicut visio realiter intrinsece à pariete distinguitur, quamvis ei extrinseca sit. Sed, quidquid de hoc sit, hanc sententiam, vt à nobis intelligitur tuetur quidam R. ex nostris pro se, præter citatos à Lynceo referens Basilium Legionensem *part. 1. Variar. disput. 8. Scholastica*, ipsum ex parte sequitur Spinula *disp. 2. metaph. sect. 3.* asserens relationes secundi generis, & eis similes alias esse reales consistereque in modo superaddito, in ipsa, nimirum actione, vnione aliove modo simili; alias autem relationes existimat esse relationes rationis consistereque in sola comparatione intellectus. Sed sane minus consequenter procedit Spinula quã Recentior noster; cum enim iuxta Aristotelem similitudinis relatio fundetur in vnitate, & relatio paternitatis in actione, cur in ipsa actione essentia relationis poterit consistere, & non consistet in vnitate. Præterea cur etiam, si ante intellectum detur similitudo inter duo alba, & ipsa sint similia, non tamen relata, quia deficit comparatio, non similiter dicemus, quod inter Patrem & Filium mediat actio, qua vere vnus pater, & alius filius est; tamen non datur relatio, vsque dum vtrumque intellectus comparet.

3735 Quarta sententia tenet relationem à fundamento, & termino realiter non distingui, etsi à quocumque eorum seorsim realiter inadæquate distinguatur; consistere enim existimat in vtriusque complexo. Ita Hurtadus, Arriaga,

Alphonsus, Lyncæus, & communiter Societatis Recentiores sequuti Okamum, ac cæteros nominales. Ex Thomistis autem eam sequuntur apud M. Aguirre *disput. 12. citata num. 4.* Herveus *in 1. dist. 30. quæst. 2.* Silvester *in conflato quæst. 28. dub. 1.* Soncinas *3. metaph. quæst. 28.* Iabellus *3. metphys. quæst. 22.* Zumel *1. part. quæst. 28. articul. 2.* & alij RR. ex eadem Schola. Tertigi veritate, & proprietate, qua potui sententiarum varietatem, quia non apud omnes ista exacte referuntur, quamvis in maiori abundantia DD. referantur. Nunc ad decisionem procedendo.

3736 Sit nostra conclusio: Relatio non consistit in fundamento solo, etiam termino connotato, sed in utrinsque coniuncto. Conclusio ista est quartæ sententiæ conformis. Probatur autem contra secundam sententiam prior illius pars, videlicet, quod relatio in solo fundamento non consistat. Fundamentum potest existere, non existente relatione: ergo relatio distinguitur à fundamento. Antecedens constat; quia relatio non potest existere, non existente termino relationis (quod iuxta adversariorum, & communem sententiam in omni relatione est verum; iuxta nostram vero, etiam in omni, si de existentia adæquata sermo sit; in aliquibus vero, etiamsi de inadæquata sit sermo) sed potest existere fundamentum relationis, quin existat terminus: ergo potest existere fundamentum relationis, quin relatio existat. Primi autem entimematis consequentia non minus constans est; cum distinctionis realis nullum signum maius dari possit, quam separabilitas realis.

3737 Sed dices non consistere relationem in fundamento utcumque; sed in eo ut terminum connotante, quo pacto nunquam sine relatione potest inveniri. Sed contra est, nam fundamentum, ut connotans terminum, præter entitatem fundamenti, vel addit aliquid, vel nihil. Si nihil, nihil conducere potest. Si aliquid, vel illud est fundamento intrinsecum, vel extrinsecum? Si intrinsecum, nec poterit esse ipsum fundamentum, cum ei superadditur, & quod alicui superadditur ab eo debeat distingui: nec terminus, cum iste sit fundamento extrinsecus: ergo erit entitas à fundamento & termino distincta, quam AA. quos nunc impugnamus abhorrent, atque nobiscum impugnant. Si autem sit aliquid extrinsecum, vel illud est terminus ipse, vel actus intellectus comparans fundamentum ad terminum, nihil enim aliud potest assignari: sed neutrum istorum potest à DD. quos nunc impugnamus, admitti: ergo nec dicere possunt connotationem esse aliquid fundamento superadditum Minor, in qua est difficultas, quoad

vtramquē partem singillatim probatur.

3738 Namque in primis, quod illud superadditum non possint dicere, quod est terminus, probatur sic; nam si relatio non consistit in fundamento solo, sed præterea requirit connotationem, & hæc non solum est fundamentum, sed terminus ei superadditus: ergo relatio consistet in fundamento, & termino simul: cum ergo DD. quos nunc impugnamus, hoc recusent dicentes consistere in solo fundamento, dicere nequeunt, quod illud superadditum fundamento nudo, vt salvetur relatio, sit terminus ipse. Sed dices verum esse, quod connotatio nihil addit fundamento nisi terminum; tamen terminum ipsum non requiri, vt in eo consistat, adhuc partialiter relatio; sed, vt possit salvari in fundamento. Sic enim actus, quo Deus cognoscit, aut vult Petrum futurū, Petri futuritionem connotat, iuxta communiorem Theologorum sententiam: quin tamen ea in futuritione, adhuc partialiter divinus actus liber consistat. Vnde ad argumentum nostrum ex doctrina, quam Theologi circa actus liberos Dei tradunt, dici potest, quod, existente fundamento, relatio non potest non existere, quoad entitatem, quia tota consistit in entitate fundamenti; potest tamen non existere, quoad denominationem, quia sicut Deus, vt denominetur volens Petrum futurum, eius exigit futuritionem, etsi tota divinæ volitionis entitas consistat in divina entitate; sic relatio, vt fundamentum referat ad terminum, huius petit connotare existentiam, etsi tota eius entitas in entitate fundamenti consistat, seu ab ea non distinguatur.

3739 Sed contra est, quia si semel fundamentum relationis à relatione ipsa non distinguitur, non stat, quod aliquid sit conditio, vt sit vel existat illorum vnum, quin similiter sit conditio ad alterum; sed terminus nequaquam est conditio, vt existat fundamentum: ergo neque potest esse conditio, vt existat relatio ab ipso indistincta fundamento. Nec valet quidquā, quod dicitur, existente fundamento, existere relationem, quoad entitatem, non tamen quoad denominationē; nam hic denominatio non sumitur pro nominis impositione, hoc enim ad rem non facit; sed pro effectu formali relationis: cum autem iste sit omnino intrinsecus fundamento, vt ipsimet fatentur aduersarij, variari neutiquam potest per variationem illius quod præcisse extrinsecum est: ergo, cum terminus sit extrinsecus, non potest, per eius positionem, aut ablationem, poni, aut auferri talis denominatio; quid enim conferre potest, quod omnino extrinsecū est, vt in me denominatio intrinseca resulter, vel nō resultet. Nec refugium est exemplum, ad quod aduersarij confugiunt; in primis enim tanta est mysterij diuinæ libertatis difficultas, vt aliqui

gra-

graves Authores iudicium de illo ferre ausi non sint. Præterea alij illam declarant ita, vt actus liber, seu eius denominatio non sit omnino, sed partim tantum intrinseca Deo, & partim extrinseca, & alij modis alijs, quibus nullus favor præstatur Adversarijs. Ac tandem qui dictum divinæ libertatis mysterium ita declarant, vt Adversarijs placet, adhuc non favent ipsis; id enim faciunt in Deo ex fide Trinitatis agnoscentes, quod ea, quæ in creatis inveniri non possunt, nec concipi, in divinis, merito infinitatis, solent inveniri. Vnde ad summum possemus fateri, quod si fides in creatis aliquid doceret simile mystrio Trinitatis, ratio naturalis probabilitate aliqua posset admittere simile aliquid mysterio divinæ libertatis.

3740 Quod autem illud extrinsecum, quod fundamento superaddit connotatio, non sit actus intellectus comparans fundamentum ad terminum, fatentur DD. quos nunc impugnamus; quia tamen id repugnant. DD. tertiæ sententiæ existimantes relationes prædicamentales in tali comparatione consistere, probatur: quamvis aliquæ relationes consistant in comparatione intellectus aliquæ, immo perplures antecedenter ad omnem intellectus actum existunt: ergo talis comparatio intellectus nullo modo requiritur ad tales relationes, & consequenter relationes illæ, nec tanquam aliquid extrinsecum à fundamento, & termino distinguntur. Antecedens probatur: nam à parte rei ante omnem intellectus considerationem Petrus est Francisci pater, & iste illius filius; similiter hic paries illi similis, illeque isti: ergo à parte rei ante omnem intellectus actum datur Paternitas, filiatio, & similitudo: sed istę sunt formaliter relationes prædicamentales: ergo à parte rei ante intellectum dantur plures relationes prædicamentales. Minor, quæ sola ab Adversarijs negatur, probatur primo: quia D. Thom. à nobis relatus *q. 1. huius disp.* vt probet relationes divinas esse reales, tantum concludit eius argumentatio, quod Paternitas, & filiatio sunt reales: ergo sentit quod istę formaliter sunt relationes, alias assumptum relinqueret improbatum. Secundo etiam: Paternitas Patrem ordinat ad filium, & similitudo vnum extremum ad aliud: ergo sunt formaliter relationes. Consequentia ipsis est placitura Adversarijs; cum, quia extrema sine actu intellectus non comparantur, aut ordinem inter se non dicunt, ideo sine illo referri posse nō credant. Antecedens autem probatur: si Paternitas, & similitudo non ordinarent vnū extremum ad aliud, posset vtraque concipi sine eo, quod conciperetur ordo; quæl bet enim res concipi potest sine eo quod ibi nec essentialiter est, nec essentialiter connexum, sed, experientia teste, nunquam concipitur Pater, aut Paternitas sine ordine ad filium nec simi-

similitudo, nisi duo extrema concipiantur: ergo quia talis ordo est ipsis aliquid essentiale, quod enim connexum non sit, ex suppositione, quod essentiale non sit, constat, quia actus intellectus, in quo iuxta hos DD. consistit relatio, quam connexionem potest habere cum reali vnitate qualitatum?

3741 Secunda nostræ conclusionis pars, quæ asserit relationem consistere in coniuncto fundamenti, & termini, quin aliquid ab eis distinctum requirat, probari communiter solet; quia vnum album, vt quatuor alteri, vt quatuor, album per seipsum est simile: ergo nulla entitas superaddita est relatio similitudinis, sed coniunctum ex fundamento, & termino. Antecedens probatur, quia similia sunt quorum qualitas est vna: sed illorum alborum, absque vlla entitate superaddita, est vna qualitas: ergo absque additione entitatis sunt similia. Sed ex dictis supra *quæst. 7. n.* 3727. facilè respondeti potest ad probationem istam vnitatem, seu convenientiam, quæ pro eodem in præsenti sumuntur aliam esse fundamentalem, & hanc non esse relationem similitudinis, sed fundamentum illius aliam vero formalem, & in hac relationem consistere similitudinis: vnde dicendum primam vnitatem, sive convenientiam non distingui à fundamento, & termino; secundam vero distingui, vel saltim argumento isto non probari, quod non distinguatur. Hinc conciliari potest Philosophus, dum semel vnitatem ponit pro relationis fundamento; & iterum dicit similia esse *quorum qualitas est vna*; indicans in ea vnitate consistere relationem; vtrumque enim verum erit, si in primo testimonio loquatur de convenientia, & vnitate fundamentali, in secundo de formali.

3742 Secundo efficacius probatur ea secunda nostræ conclusionis pars: relatio non consistit in solo fundamento: sed nec consistit in aliqua entitate distincta: ergo in solo fundamento, & termino. Maior probata est *à num.* 3736. Minor probatur: in primis namque non consistit in entitate superaddita distincta à fundamento, & termino, quæ vtrique sit extrinseca, vt probatum manet *num.* 3740. sed nec in entitate intrinseca superaddita: ergo in nulla superaddita entitate consistit. Minor, quæ huius probationis est cardo, probatur primo: quia entitas illa superaddita esset producta, & improducta: ergo implicat. Prima pars contradictionis constat, quia proculdubio ea entitas esset aliquid creatum, & non increatum. Secunda probatur: illa entitas, si producta esset, vel produceretur à fundamento, vel à termino, vel à solo Deo: sed à nullo istorum potest produci: ergo esset improducta. Minor probatur; in primis enim non potest produci à termino; cum ita distare soleat, vt nulli causæ creatæ ad operandum in tanta distantia virtus tribui possit.

sit. Nec à fundamento ; nam istud ante quã terminus existat non producit illam entitatem sibi intrinsecam: ergo nec posito termino ; nihil enim advenit fundamento , vt aliquid nunc potius , quam antea, sibi intrinsecum producat ex eo, quod terminus ponatur, qui illi intrinsecus non est. Si dicas non advenire virtutem intrinsecam , sed eam præhaberi in fundamento ; expectare tamen positionem termini, vt conditionem , vt eam entitatem producat. Contra est : quia adhuc intelligi nequit , quomodo terminus existens Romæ possit esse conditio, vt fundamentum hic existens determinetur ad novę entitatis productionem ; si autem hoc intelligatur , facilè etiam intelligi poterit, quod vt ignis hic comburat lignum sibi applicatum , non ea applicatione , vt conditione sit contentus, sed aliam etiam requirat , quod , scilicet, alius ignis existat Romæ ; nec enim magis illa, quam ista conditio conducens potest probari , vel requisita. Tandem, quod à Deo solo non producatur talis entitas , constat ; quia si eam produceret, maximè ad exigentiam fundamenti, posito termino: id autem dici nequit; potius enim Deus fundamẽto communicaret virtutem ad illam producendam , quam se solo eam vellet producere : sicuti potius igni contulit virtutem ad producendum ignem , applicato ligno , quam solus ad conspectum ipsius eum producere decreverit.

3743 Secundò probatur minor illa huius secundę probationis cardo : quia , si relatio esset entitas realis à fundamento , & termino distincta, sive modus esset, sive res, aliquam mutationem induceret fundamento : vnde & sequeretur innumeras mutationes Petrum quolibet instanti subire propter res innumeras, quæ passim pereunt, passimque producuntur, quarum primis similis , aut dissimilis esse desinit; secundis vero incipit : & cum similiter alijs rebus contingãt relationes, omnes res similes paterentur mutationes ita , vt vniversi res singulæ ad productionem formicæ mutationẽ paterentur : cumque hæc , & similia , quæ sequuntur , incredibilia sint; credendum non est relationem esse entitatem à fundamento, & termino realiter distinctam. Etsi dicas relationem non cõtinere perfectionem , & consequenter non immutare fundamentum , nihil valet perfectio namque sequitur entitatem, & cum relatio verè sit entitas realis, verè continere debet perfectionem aliquam , quantumvis minimam.

3744 Tertio probatur minor illa: nam si, vt Petrus sit similis Paulo , requiritur modus , talis modus dissimilis erit Petro : non sine modo alio : ergo cum illo : ille autem etiam erit Petro dissimilis itidem per alium , & cum istius sit eadem ratio , dabitur processus in infinitum ita, vt inter Petrum, & Paulum infinitus modorum cumulus intercedat : sed hoc est absurdum : ergo pul-

nullus est admittendus modus, aut realitas distincta. Primi syllogismi minor, scilicet, quod Petrus sit dissimilis modo illi, quo ad Paulum refertur, non sine modo distincto, probatur, quia non potest esse dissimilis illi per ipsum modum: ergo per superadditum. Probatur antecedens, tum quia, si per illum esset dissimilis, iam aliqua relatio constitueretur per terminum, relatio, scilicet, Petri ad eum modum per ipsum modum: hoc autem renuunt omnino Thomistæ, contra quos nunc militamus. Tum etiam, quia ille modus est similitudo: ergo non potest esse dissimilitudo; quod enim actio sit ratio producendi alterum, & productionis sue provenit ex eo, quod & sui, & alterius est actio: si ergo ille modus non sic; sed opposito se habet modo, nequit, nisi per alium modum ad Petrum referri.

3745 Sed dices non esse absurdum processum infinitum modorum, sicut non est absurda infinitas indivisibilium, aut etiam partium continui. Sed contra est, quia, etsi absurdus non sit infinitus modorum numerus inter infinita extrema ita, vt termini, vel fundamenta sint infinita in numero; tamen in vno fundamento respectu vnius termini infinitas illa modorum improbabilis est. Cur enim vt referatur fundamentum vnum ad terminum non sufficiat vnus modus, sed requirantur infiniti, & non si niliter infinitæ requirentur vniones, vt materia formæ vniatur, & corpus loco? Cum ergo in his nullus admittat infinitatem modorum, nec admittenda est in casu nostro.

Soluuntur argumenta.

3746 Sed contra nostram conclusionem obijcies primo: terminus à relatione debet distingui realiter; ergo non potest relatio adhuc partialiter in termino consistere. Antecedens probatur: quia relatio est *cuius totum esse est ad aliud*: sed illud aliud est terminus: ergo terminus debet realiter à relatione distingui. Respondetur tamen negando antecedens: ad cuius probationem dico, quod, si relatio dicitur, *cuius totum esse est ad aliud*, intelligitur vt *quo*, quia est ratio, quare fundamentum est ad terminum, vnde ex eo concluditur distinctio termini à fundamento; non tamen à relatione. Dices tamen cum Spinula relatio non minus est ad aliud, quam fundamentum: ergo non minus, quã illud, debet distingui à termino. Probatur antecedens, quia fundamentum est ad aliud propter relationem; ergo ipsa relatio est magis ad aliud; quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem nego consequentiam, & ad proloquium, quo illa probatur, dico, quod, vt teneat, præter alia, quæ commemoravimus *in Logica parva disp. 2. quæst. 3. num.* 1225 requiritur, quod vtrũque extremum eiusdem sit denomi-

nationis

nationis capax, & cum relatio ipsa non possit dici ad alterum, sicut fundamentum, non potest dici magis ad alterum, sicut non dicitur albedo magis alba, quam paries, etsi propter illam paries sit albus; quia in communi sententia albedo non est capax denominationis albæ.

3747 Secundo obijcies, si æqualitas reperta inter duas quantitates consisteret in vtraque, earum altera crescente, creseeret æqualitas: sed non crescit, sed potius destruitur; ergo non consistit relatio in quantitate termini, & fundamenti. Respõdetur non consistere relationem æqualitatis in vtraque illa quãtitate, vt cumque; sed secundum quod est fundamentum proximum æqualitatis; huius autem fundamẽtum est prout habet has partes, & negationem aliarum, quibus aliam superet, & sub hac ratione non crescit, additis novis partibus; sed potius destruitur. Vnde cum dicimus relationem consistere in fundamento, & termino, intelligendum est de fundamento proximo; vnde Petrus, & Franciscus, qui nunc est filius eius, potuerunt existere, quin ille esset huius Pater; quia paternitatis relatio non consistit præcisse in entitate vtriusque; sed in illis, præsupposita actione generativa, qua ratione proxime relationem fundant.

3748 Tertio obijcies, relatio Patris in divinis non consistit in fundamento, & termino: ergo neque etiam in creatris; in hoc enim nulla videtur adesse disparitatis ratio. Respondeo, alijs relictis ad materiam de Trinitate, relationem Patris in divinis posse considerari prout primam divinarum personarum constituit cum ordine tamen ad secundam; vel aliter non sic, sed prout dicit purum respectũ ad secundam personam: & primo modo est relatio transcendentalis; secundo vero modo sumpta prædicamentalis. Vnde antecedens distinguo: in divinis relatio Patris nõ consistit in fundamento, & termino, relatio transcendentalis, concedo antecedens; relatio prædicamentalis, nego antecedens, & cõsequentiam; quia in creatis relatio Patris semper accipitur pro prædicamentali; quia hoc nomen *Pater* est impositum ad significandum purum respectum Patris ad filium creatum, etsi in divinis sic, & etiam aliter ob materiæ diversitatem, accipi soleat. Consonat autem huius solutionis doctrina ei, quam ex D. Thom. tradidimus sup rà *quæst. 3. num. 3666. & 3667.*

3749 Quarto obijcies, esse duo alba in intellectu non est ea esse intellectualiter relata: ergo esse, sive existere in re duo alba non est ea esse realiter relata. Probatur antecedens: quia potest intellectus duo alba apprehendere, quin ea comparet inter se: tunc autem vtrũque existet in intellectu, quin eorum existat comparatio. Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis in argumento assignatur;

natur; nam duo alba possunt separari ab intellectuali vtriusque comparatione; tamen existentia realis illorum non potest separari à mutua comparatione, seu relatione, quam vnum habet respectu alterius: quid ergo mirum quod comparatio ab extremis separabilis distinguatur ab eis, etiamsi ea, quæ inseparabilis est sit indistincta.

3750 Quinto obijcies: postquam causa produxit effectum, nequit, naturaliter saltim, illum reproducere: ergo ei aliquid intrinsecum advenit, ratione cuius illum non possit reproducere: *Nam idem manens idem semper est natum facere idem*, sed illud intrinsecum, quod additur, est relatio Paternitatis, vel similis alia: ergo ista est aliquid intrinsece fundamento superadditum. Respondetur, omisso antecedenti, negando consequentiam; potest enim reddi impossibilis reproductio, ratione alicuius extrinseci. Imo, etsi ratione alicuius intrinseci redderetur impossibilis, nihil ineptius assignari posset, quam relatio; cum aliæ causæ, quæ ipsum non produxerunt, talem relationem non habeant; & tamen habeant eandem impotentiam. Quid autem sit eius impotentiæ causa diximus supra in hoc tractatu *disp.* 2. *quæst.* 3. *num.* 3438.

3751 Sexto obijcies: si relatio non sit entitas distincta, sed consistat in fundamento, & termino, erit ens per accidens; cum constet ex pluribus rebus non vnitis: sed hoc dicendum non est, nec relatio à prædicamento excludatur: ergo relatio erit entitas à fundamento, & termino distincta. Respondetur iuxta dicta supra *disp.* 4. *q.* 4. *à n.* 3595. relationem esse ens per se, quamvis infimo perfectionis gradu; quod autem constet ex rebus non vnitis solum infert, quod non sit per se aliqua perfectione maiori; non tamen, quod tale non sit infima perfectione, quę sufficit, vt aliquid in prædicamento ponatur; alias plura prædicamenta perirent.

3752 Septimo obijcies: vna ex speciebus oppositionis, quas in Logica *disp.* 8. *quæst.* 1. assignavimus, est relativa, sed ista non esset vera oppositio, si relatio non distingueretur realiter à fundamento, & termino: ergo ab eis debet realiter distingui. Minor probatur; nam iuxta definitionem oppositionis in communi ibidem traditam, opposita debent circa idem subiectum pugnare: sed suppositis indistinctione relationis à fundamento, & termino, hoc non competit oppositis relative: ergo in ea suppositione oppositio relativa non esset vera oppositio. Minor probatur primo quia ea suppositis indistinctione, relationes in substantia fundatæ ab ea non distinguerentur, ac proinde subiectum non haberent: ergo non possent circa idem versari subiectum. Secundo probatur eadem minor: suppositis indistinctione relationis à fundamento, & termino, relatio Paternitatis, & relatio filiationis

tionis realiter non distinguuntur, cum vtraque realiter identificetur cum coniuncto Patris, & filij: ergo non possunt pugnare circa idem subiectum; pugna enim, & repugnantia debet esse inter realiter distincta.

3753 Respondetur negando maiorem: ad cuius probationem distinguo maiorem: opposita debent circa idem subiectum pugnare, quod sit subiectum realiter in omni rigore, nego maiorem quod tale sit formaliter, aut virtualiter, concedo maiorem: & in hoc sensu nego etiam minorem, & consequentiam. Ad primam autem minoris probationem ex data distinctione constat solutio. Ad secundam autem respondetur, quod, quamvis relatio Paternitatis, & filiationis identificentur cum coniuncto Patris, & filij, & inde sequatur, quod adæquate sumptæ realiter identificentur inter se; adest tamen locus, vt sumatur inadæquate, & sic sumptæ distinguantur realiter inter se, & hac ratione oppositionem exerceãt. Itaque relationes Paternitatis, & filiationis, si vtraque sumatur adæquate prout consistit in vna formalitate relativa se tenente ex parte subiecti, & altera se tenente ex parte termini, realiter identificantur. Si vero sumantur inadæquatè, Paternitas, videlicet, qua parte consistit in fundamento suo, & filiatio similiter, realiter distinguntur, vt constat; sicut etiam si quævis etiam inadæquate sumatur, ea, scilicet, parte, qua in termino suo, quævis consistit. Quia relatio Paternitatis, qua parte in fundamento consistit, identificatur cum Patre realiter; relatio vero filij cum filio. Qua parte vero consistunt in termino, è contra relatio filij identificatur cum Patre; relatio vero Patris cum filio.

3754 Hinc tandem est notandum, quod, etsi in sententia distinguente relationem à fundamento, & termino facilius explicetur, quod communiter dicitur, fundamentum esse relationis subiectum, & similiter causam; tamen etiam in nostra sententia id potest commodè explicari; cum enim fundamentum ad terminum referatur, nõ tamen terminus, vt talis, ad fundamentum, logice, & nostro modo concipiendi fundamentum, potius quam terminus, subiectum esse dicitur; cum enim neutrum verè relationem recipiat, fundamentum denominatur, eodem modo, ac si reciperet illam; cum tamen ita non denominetur terminus. Similiter inquirenti, cur Petrus sit similis in albedine, v.g. Ioanni, non respondetur: *Quia vterque est albus*, aut, *quia Ioannes est albus, sicut Petrus*; sed, *quia Petrus est albus, sicut Ioannes*. Si enim prima responsio redderetur, non tam ratio similitudinis Petri, quam vtriusque redderetur; si secunda similitudinis Ioannis tantummodo, & non Petri, rederetur ratio: quod sufficiens, est fundamentum, vt Logicè loquendo, fundamentum, potius quam

quam terminus, causa relationis dicatur.

QVÆSTIO IX.

Vtrum relatio prædicamentalis distinguatur formaliter à fundamento & termino

3755 INTER Doctores, qui relationem realiter non distinguunt à fundamẽto, & termino, locum habet hæc quæstio. In ea autem nostra resolutio est affirmativa. Huic resolutioni contradicere Nominales videntur compertum; cum enim ipsi non admittant distinctionem formalem ex natura rei, nec virtualem, imo, nec distinctionem rationis, vbi distinctionem realem negant, nullam formalem admittere posse videntur. Eidem tamẽ resolutioni nostræ cæteri, qui distinctionem realem relationis à fundamento, & termino negant, favere videntur. In primis enim Scotistæ apud Merinero *in Logica cap. 7. Categor. disp 2. q. 5.* cum aliquas relationes realiter ponant distinctas à fundamento, alias realiter indistinctas, has formaliter ex natura rei ab illo distingui sustinent idemque proculdubio de omnibus sustinerent, si omnes realiter indistinctas esse existimarẽt. Deinde alij communiter, etsi distinctionem formalem ex natura rei relationis à fundamento, & termino negent; concedunt tamen aliquam distinctionẽ; Linceus quidem virtualem; reliqui vero distinctionem rationis. Quamvis autem nos de distinctione virtuali loquamur, cũ Scotistę communiter suam formalem ex natura rei distinctionem ponant vbi nos ponimus virtualem: & similiter, qui distinctionem tam formalem ex natura rei, quam virtualem intrinsecam negant, solam distinctionem rationis cõcedentes, eam etiam applicent extremis, quibus nos virtualem applicamus, in præsenti non possunt à nobis dissentire in re huius quæstionis propria; sed in modo philosophandi circa distinctiones, de quo egimus *in Logica disp 3. præsertim à quæst. 9.* Vnde cum prædictis DD. non est modo litigandum, sed potius cum eis consentiendum ita, vt cum eis, qui distinctionem formalem ex natura rei concedant, de hac distinctione formali loquamur; cum eis vero, qui illam negant, concedunt tamen nobiscum in creatis distinctionem virtualem, de distinctione virtuali est nostra resolutio accipienda: tandemque eadem resolutio nostra accipienda erit de distinctione rationis, si loquamur cum eis, qui distinctionem tam formalem ex natura rei, quam virtualem in creatis negant inter extrema realiter identificata, solam rationis distinctionem inter ea possibilem admittentes. Hoc supposito.

3756 Probatur resolutio nostra primo: relatio Patris, & relatio filij distinguntur formaliter à coniuncto Patris, & filij: ergo simi-

similiter reliquæ; cum non sit maior ratio vnius, quam alterius. Antecedens probatur: quia relatio Patris, seu Paternitatis distinguitur formaliter à relatione filij seu filiationis: ergo simili distinctione à cõiuncto distingũtur: patet conseq. nã si cõiuncto formaliter idẽtificarentur, necesse esset formaliter identificari inter se: cum ergo non sic idẽtificentur, sed potius formaliter distinguantur, à coniuncto formaliter distingui necessarium est. Secundo prob. nostra resolutio, quia, si relatio nõ distinguatur formaliter saltim à fundamẽto, & termino; cum fundamentũ, & terminus ad alia spectent prędicamenta, non poterit ad prędicamentũ relationis spectare, cum, vt aliqua res in duobus ponatur prędicamẽtis, necessaria sit distinctio, etsi non realis formalis tamen: ne ergo prædicamentũ relationis contra cõmunem consensum auferatur, ea distinctio relationis à coniuncto est admittenda.

3757 Tertio prob. eadem nostra resolutio ex de quibus prędicatis cõtradictoria verificantur, formaliter interse distinguntur: sed de relatione, & cõiuncto verificantur cõtradictoria: ergo distingũtur formaliter. Min. prob. de relatione identitatis inter duos homines, & relatione identitatis inter duos equos verificatur, quod sint æquales, cum non sit minor idẽtitas inter duos equos, quã inter duos homines: sed de coniuncto duorũ hominũ, & coniuncto duorũ equorũ nõ verificatur æqualia esse, sed inæqualia: ergo de relationibus ex vna parte, & coniunctis ex alia verificantur prædicata cõtradictoria, cõsequenterque inter illa est admittenda formalis distinctio. Vide plura in Lynceo *lib 3. Metaph. tract. 6. cap. 17. 18. & 23.*

Soluuntur argumenta.

3758 Obijcies primo contra resolutionẽ nostrã: si relatio consisteret in formalitate vna formaliter distincta à fundamento, & altera formaliter distincta à termino, vel formalitas illa à fundamento formaliter distincta esset absoluta, vel relativa: neutrum dici potest: ergo non consistit in eis formalitatibus. Min. probatur: quia in primis nequit dici, quod formalitas virtualiter distincta à fundamẽto sit relativa; quia sic iam in vna formalitate salvaretur relatio contra quã volumus, & præterea illa formalitas realiter cũ fundamento identificata, posset adhuc ab illo separari; destructo nãque termino deficeret, utpotè relativa; cum tamẽ fundamentũ permaneret. Deinde talis formalitas neqnit esse absoluta; tum quia, si ipsa est absoluta, absoluta etiã erit formalitas correspõdens ex parte termini vnde relatio ex duabus absolutis formalitatibus constabit, quod est impossibile, sicut, quod ex rebus spiritualibus tãtum constet res corporea, aut ex accidentibus substãtia. Præterea, si ex illis formalitatibus, etiamsi absolutę sint, constat relatio, cur etiam dici non poterit, quod constet ex fundamento, & termino, etiãsi vtrũque sit quid absolutum.

3759 Resp. ad argumentum negando minorẽ, nam vtraque illa formalitas esset absoluta, nec inconveniens est, quod obijcitur: quamvis enim aliquando in toto non possit relucere aliquid, quod in partib⁹ nõ reperiatur; potest aliquando id evenire. Vnde aliquando prædicatũ in toto repertũ debet in singulis reperiri partibus, sicut vt totũ substantiale sit omnes eius partes debent esse substantia; aliquando autẽ debet reperiri in aliqua parte illius, vt ratio corporei, quæ reperitur in homine, non quia anima, & corpus sint corporea; sed quia corpus solũ eam habet rationẽ: aliquando etiã ratio in toto reperta in nulla ex eius partib⁹ reperitur, vt in acervo lapidum constat, quod est ens per accidens, quãvis nulla illius pars sit ens per accidens, sed quælibet ens per se. Hoc autẽ vltimũ speciali ratione in relatione contingit; quia, cum hæc sit ad alterũ, necessario, vt salvetur eius ratio, duo saltim requiruntur, vt sit vnũ, & alterum: vnde mirũ non est, quod in nulla simplici parte salvari possit. Vnde paritates in contrariũ adductę nihil adversarijs prosunt; cũ solum probent rationẽ, quæ reperitur in toto, debere in partibus etiã inveniri aliquando, quod nos fatemur; semper vero ita contingere nõ persuadeant, quod negamus. Quod denique additur inde fieri, vt relatio possit cõsistere in fundamento ipso, & termino, vim non habet, cum nos non negemus in eis consistere, quia absoluta sunt; sed ob rationes alias n. 3756. & 3757. adductas.

3760 Secundo obijcies fundamentum nõ potest ad terminum referri relatione similitudinis per id, quod termino est dissimilius, quam fundamentum: sed illæ duę formalitates formaliter distinctæ, in quibus à nobis ponitur relatio, quid dissimilius sunt termino, quã ipsum fundamentum: ergo nequit per illas referri ad terminum Min. prob. fundamentum non solum realiter, sed formaliter est qualitas, sicut terminus; seu, sicut ille, habet qualitatem; sed illæ formalitates realiter tãtum, & non formaliter, sunt qualitas: ergo illæ formalitates quid dissimili⁹ termino sunt, quã ipsum fundamẽtum. Resp. contra id, quod supponere videtur Lync. existimãs *lib. 3. Suæ Met. c. 18 n. 260.* hoc argumẽtum vim habere contra Thom. negando maior. cum enim albedo reddat subiectum formaliter album, etiãsi ipsa, iuxta communiorẽ sententiãnon sit alba formaliter, nisi tantum, vt *quo*, cur similiter eriã relatio, sive sit entitas simplex, sive complexum sit ex duabus entitatibus non poterit esse forma, qua fundamentum sit formaliter termino simile, etiãsi ipsa termino formaliter similis non sit? Ego nullã disparitatis rationẽ invenio. Doctrina autẽ, quam pro solutione affert Lync. *cit. n. 260.* in præsenti non est nobis necessaria, etsi ipsa in materia de Trinitate Theologis sit familiaris.

3761 Tertio obijcies: sciti ad scientiam datur relatio prædicamẽtalis: sed hæc non cõsistit in formalitatibus à fundamento, & termino dis-

distinctis: ergo ab eis relatio nec formaliter est distincta. Min. prob. quia ad relationē sciti nihil videtur desiderari, adhuc formaliter distinctum, nisi obiectū, & sciētia, seu cognitio quę ad ipsum terminatur: sed obiectum est fundametum relationis sciti, cognitio vero terminus: ergo ista relatio formalissime cōsistit in fundamēto, & termino. Resp. distingui formaliter relationem sciti à fundamento, & termino; quia, etsi relatio consistat in obiecto, quod est fundamentum, & cognitione, quæ est terminus, vtrumque extremum est duplex formaliter, & sub vna formalitate sunt fundamētum, & terminus, & sub alia in eis cōsistit relatio; nā obiectum est fundamentum sumptū primo intētionaliter, secundū quod homo est, vel equus; pars vero relationis, secundum, quod sumitur secundo intentionaliter, id est, prout subest cognitioni: terminus similiter est cognitio, prout activa, seu actio est intellectū denominās cognoscentem; partialis vero relatio est cognitio, prout passiva, seu passio, qua reditur cognitum obiectum, sic autem sumpta formaliter à seipsa priori modo sumpta distinguitur.

QVÆSTIO X.

A quo relatio sumat Vnitatem.

3762 RESP. Relationē vnitatē tam specificā, quā numericam à sua inrinseca entitate desumere; per suamque prędicata quęlibet relatio, sicut & aliæ entitates ab alijs rebus distinguntur, numerice quidem per numerica; specifice vero per specifica: quod ita certū existimo, vt quæstio hæc, quam modo examinamus, si de specificativo intrinseco procederet omnino mihi videretur omittēda; quare eam examinare decerno, quia in illa loquuntur DD. aut loqui debent de specificativo extrinseco. Omittam autē aliorum sententias, & dicendi modos; quia ea, quæ dicturus sum, ita clara mihi videntur, vt quidquid oppositum poterit in alijs inveniri, ex eis facile, citoque evanescat.

3763 Igitur dico primo: si relatio, nec realiter, nec formaliter distinguatur à fundamento, & termino ab ipsis intrinsece specificatur, à nullo tamen extrinsece. Prima pars conclusionis constat; quia specificativum intrinsecū sunt rei ipsius entitas, sive intrinseca prędicata: sed, iuxta eam sententiā entitas relationis nulla alia est, quā entitas fundamēti, & termini: ergo nullum aliud est eius specificativum: ab illis ergo, secundum prędicat spacifica eorum, accipit specificam vnitatē, seu specificationem; secundum individualia vero vnitatem numericam, vtramque tamen intrinsece. Secunda deinde cōclusionis pars constat, quia specificativum extrinsecum est illud, quod, cum sit extra specificatum, terminat illius connexionem essentialem, qua ratione ab eo tanquā à signo cognoscitur illius spe-

cies, sed in sententia non distinguente vllo modo relationem à fundamento, & termino, nihil potest assignari extrinsecũ, cum quo connectatur relatio: ergo in ea sententia relatio non potest habere specificativũ extrinsecum. Minor, in qua sola potest esse difficultas, probatur quia relatio solum cennexa esse potest cum fundamenro, termino, & ratione fundandi: sed omnia ista ei extrinseca non sunt: sed intrinseca per identitatẽ: ergo nihil habet extrinsecum, cum quo essentialiter connectatur, suppositа, vt diximus prædicta sententia.

3764 Dico secundo: si relatio distinguatur realiter à fundamento, & termino, habet specificativum extrinsecum realiter; si vero formaliter distinguatur, habet formaliter quoque specificativum extrinsecum. Hæc conclusio, quoad vtramque partẽ, facile probatur: quia specificativũ extrinsecum est, cum quo res essentialiter connectitur, & extra ipsam est: sed relatio connectitur essentialiter cum fundamento, & termino, etsi ab illis formaliter distinguatur, ea formaliter sent ipsi per identitatem extrinseca; cum intrinseca non sint per formalẽ identitatem: &, si distinguatur realiter, realiter etiam sunr ei per identitatẽ extrinseca; cum intrinseca non sint per realem identitatem: ergo si realiter distinguatur à fundamento, & termino, aliquid erit, quod sit eius specificativum extrinsecum realiter; si vero formaliter, aliquid, quod sit formaliter tale.

3765 Dico ergo tertio, specificativum extrinsecum relationis eo modo, quo illud habere potest, non est solum fundamentum, aut sola ratio fundandi, aut solus terminus; sed hæc tria simul, ita tamen, vt à trium istorum vnitate numerica, una numero dicatur relatio, & ab eorundem vnitate specifica eadem, sive vna specifice relatio consurgat. Vnde vt duæ relationes specie inter se conveniant, debet vtriusque fundamentum, ratio fundandi, & terminus specifice convenire; vt autem differant, sufficit si vnius fundamentum, aut terminus, aut etiam ratio fundandi ab alterius fundamento, termino, aut ratione fundandi specie differat. Hæc conclvsio ita mihi clara est, & philosophicis principijs consentanea, vt aliqua non egeat probatione; sed quod quisque plures examinando relationes eam experiatur; inveniet enim quilibet, quod vbicumque in duabus relationibus invenitur prædictorum trium vnitas specifica, ipsæ sint eiusdem speciei, & vbi alicuius illorum diversitas, sint diversæ: vbicumque omnium illorũ individualis vnitas, vna numero invenietur relatio; vbicumque alicuius illorum numerica multiplicatio, numerice invenietur relatio multiplicata. Sic quia relatio Patris ad primum, & secundum filium habent terminum, & rationem fundandi diversam numerice, etsi idem sit fundamentum, numerice ipsæ differunt, & quod magis

est

est, quamvis idem, non solum specifice, sed etiã numerice sint fundamentum, & terminus relationis, qua Petrus dicitur Francisci Pater, & eius, qua dicitur Francisco similis, ob diversitatem genericam rationis fundandi vtriusque relationis, vtraque generice distinguitur.

3766 Hinc colliges, quod, qui dicunt fundamentum, & terminum esse specificativa; si tamen formaliter accipiantur, si intendant per formalem acceptionẽ, quod debeant sumi, vt vestiti relatione ipsa, extra rem loquuntur; sic enim potius pertinebunt ad specificativũ intrinsecum, de quo, si res benè intelligitur, non potest esse quæstio, quã ad extrinsecum, de quo debebant loqui. Si tamen per ly *formaliter* intelligant vtrumque accipi debere, vt fundamentum proximum vnũ; alius vero vt proxime potens terminare, in re nobiscũ sentiunt; fundamentũ enim proximũ, est ipsum remotũ, adiuncte ratione fundãdi. & similiter terminus, vt proximè sit potens terminare eandẽ fundandi rationẽ tantũ potest expectare: vnde noster modus ab eo non differt, clarius tamen procedit, & facilius ex eo quilibet discernet relationes, earumque vnitatem, ac diversitatem, ac argumenta oppposita dissolvet.

3767 Sed dices: cognitio, quæ refertur transcendentaliter ad rem cognitam, potest etiã iuxta nostrum relationis transcendentalis, & prædicamentalis discrimen, prædicamẽtaliter ad eam referri, illã respiciendo, vt purum terminum: vel quamvis hoc non admittatur, saltim eadem est ratio, ac in prædicamentali relatione, vt à termino extrinseco specificetur. Tunc sic: sed talis relatio à termino nõ specificatur: ergo terminus non habet specificare relationẽ. Minor probatur: nam, iuxta nostram conclusionẽ tertiam, ita terminus specificat relationẽ, vt ex termini multiplicitate numerica, & specifica, similis in relatione multiplicitas colligatur: sed ex multiplicatione adhuc specifica termini cognitionis cognitio, nec specificã, nec numericã accipit multiplicitatẽ: ergo terminus cognitionẽ non specificat modo à nobis assignato. Min. prob. nam vna non solũ specie, sed etiã numero cognitio angelica cognoscere potest plures res specie diversas: sed illæ sunt termini talis cognitionis: ergo datur multiplicitas etiam specifica in terminis, quin in cognitione adhuc numerica, multiplicitas sequatur: cumque eadẽ sit aliarum relationum ratio, dicendum est eas à termino non specificari, modo à nobis assignato.

3768 Respondetur tamen, admittendo quidquid pro maiori apponitur, & negando minorem, ad cuius probationem distinguo, sive explico maiorẽ: iuxta nostram sententiam ita terminus specificat relationem, vt ex termini multiplicitate &c. ex multiplicitate termini totalis, & adequati, cõcedo maiorem; ex multiplicitate termini partialis, & inadæquati, nego maiorẽ, & di-

stinguo minorem : sed ex multiplicitate adhuc specifica termini cognitionis cognitio, nec specificã, nec numericã accipit multiplicitatẽ, ex tali multiplicitate in termino partiali, & inadæquato, cõcedo minor. si talis multiplicitas termini totalis, & adæquati inveniatur, nego min. & nego conseq. Ad probationem minoris, resp. concedendo maiorẽ, & distinguendo minor. sed illæ res sunt termini cognitionis, ita, vt quælibet sit terminus inadæquatus, concedo minorem ; ita, vt aliquæ, vel aliqua sit terminus adæquatus illius, nego minorem, & distinguo consequens : ergo datur multiplicitas specifica in terminis, quin in cognitione detur adhuc numerica, in terminis inadæquatis, concedo consequentiam ; in adæquatis nego consequentiã : ab horum ergo multiplicitate, & vnitate sive specifica, sive numerica nos vnitatem, ac diversitatem relationis desumi solere statuimus.

3769 Ex dictis in hac quæstione colliges à nobis facilè resolvi posse quæstionẽ, qua inquiri solet an idem num subiectum possit plures relationes solo num. distinctas recipere ob terminorum multiplicationẽ. In primis enim, si quæstio procedat iuxta sententiã nostrã q. 8. defensatã non distinguentẽ realiter relationẽ à fundamento, & termino, evanescit quæstio; nam cum multiplicãrur numero termini, multiplicari dicũtur relationes subiecti nõ quia aliquid ipsi intrinsecũ multiplicetur, sed quia multiplicãtur termini extrinseci, quorũ quilibet cum fundamento constituit relationẽ ab ea, quã constituit alter inadæquate distinctã, videlicet, distinctã ex parte termini; non tamen qua parte in fundamento cõsistit. Iuxta sententiã autẽ, quæ asserit relationẽ esse accidens distinctum à fundamento, & termino, est quæstio cõtroversa: alij namque existimãtes non posse multiplicari numero relationes in eodẽ subiecto, existimant, Patrẽ relatione eadẽ, qua refertur ad primum filiũ, absque novę relationis additione referri ad cæteros, qui postea nascuntur. Alij ad singulos diversa numero relatione referri existimantes consequenter admittunt in eodem subiecto plures numero relationes recipi posse ob numericam diversitatem terminorum.

3770 Sed adhuc in data hypothesi, quod relatio à fundamento, & termino distinguatur, facilis est quæstionis prędictæ resolutio in favorẽ secundæ sententiæ; primo nãque ex dictis in tota hac quæstione relatio ita vnitatẽ, non solum specificam, sed etiã numericam, accipit à fundamento, ratione fundandi, & termino, vt cuiuslibet istorũ variatio, aut multiplicatio numerica sufficiat relationem numerice variare, aut multiplicare : sed in casu huius quæstionis supponitur numerica multiplicatio, terminorum saltim: ergo numericam multiplicationem relationis inferre debet. Præterea relatio, qua Pater refertur ad secundũ filium,

filium; non est ea; qua refertur ad primum: ergo alia numero diversa. Antecedens probatur: quia relatio, qua refertur ad primum filium est separabilis à relatione, qua ad secũdum refertur, vtpotè, quia secundus potuit non nasci, aut mori potuit: non ergo est eadem, sed distincta, sicuti in sententia, quam nunc supponimus, relatio à fundamento est distincta, quia ab eo potest separari.

3771 Neque obstare potest contra rationem istam triplex responsio ei apud Lyncеum assignata. Prima namque dicens, quod, quando Pater adquirit secundũ filium perit relatio, qua referebatur ad primũ, & resultat alia indivisibilis, qua simul refertur ad duos: & similiter de hac contingere, dum nascitur tertius, & deinceps, incredibilis omnino est; tum quia prima relatio cur peribit, non pereunte eius fundamẽto, ratione fundãdi, nec termino. Tum etiã, quia, vno producto albo, incredibile est in omnibus albis mundi relationes perire, & alias denuo nasci, quæ est huius solutionis doctrina. Tum denique, quia eadem libertate dici poterit, adveniente relatione diversæ speciei, non esse duas; sed perire eam, quæ antea existebat, & denuo advenire vnam simplicem, qua terminos diversæ speciei subiectum respiciat.

3772 Secunda etiam responsio dicens eam relationẽ esse, qua Pater refertur ad primũ filium addita tantum extensione ad secundum, quin nova relatione opus sit: hæc, inquã responsio valere non potest, nam illa nova extẽsio facit, vt Pater respiciat de novo filiũ secundum, quem antea non respiciebat: ergo est novus respectus, seu nova relatio. Denique tertia responsio dicens in Patre habente plures filios dari plures relationes, partiales tamen, & ita vnitas, vt vnã totalẽ constituant: nihil valere potest; tum quia non potest sufficiẽs reddi ratio, cur relationes eiusdẽ speciei vniantur ad constituendã vnam totalẽ, & non vniãtur similiter diversæ speciei relationes; eterogeneitatẽ namque istarum nihil vnioni obstare non pauci sentiunt. Præterea vnio illarũ relationũ informativa nequit esse; cum non sit ratio, cur hæc respectu illius sit forma, potius quã materia: nec continuativa; cum ista in sententia Arist. communique Thomist. vniat partes in infinitum divisibiles, paternitas autẽ quælibet partialis indivisibilis sit. Deinde, ea admissa doctrina, absolutè verũ esset dari plures relationes, quamvis non plura relata: sicut quãdo plures gradus albedinis vniũtur in eodem subiecto, verè plures sunt albedines, quamvis non plura alba. Tandẽ DD sententiæ contrariæ intendunt subiectũ non mutari per adventũ novi termini, quod nec hic nec prima responsione consequuntur; cum, sive adveniat nova relatio, quamvis partialis; sive etiam nova amplior, prima destructa, hęc clara sit mutatio.

3773 Sed objicies duo accidentia solo numero diversa non possunt

esse in eodē subiecto: ergo nec duæ relationes; cum istæ sint accidentia, præcipuè in sensu, quem nunc supponimus. Anteced. prob. primo: quia accidētia individuantur à subiecto: ergo vbi vnū est subiectū vnū erit accidens numero. Secundo probatur idem antecedens: in eodem subiecto nequeunt esse duæ quantitates, duo intellectus, duę vbitates: similiter ergo continget, in alijs accidentibus. Resp. tamen negando antec. ad cuius primā probationē nego ant. nam accidentia à seipsis individuantur, & non à subiectis, vt vidimus suprà *disp. 2. q. 3.* Ad secūdam probationem nego consequentiam; nam, etsi aliqua accidentia non possint numerice multiplicari in eodem subiecto; alia tamen sic multiplicari possunt: quæ autē vno modo, quæve altero se habeant à posteriori colligendū est. Fateor tamen quòd in nostra sentētia circa distinctionē relationis à fundamēto; cum relatio, secundū intrinsecum, quod importat, non distinguatur à subiecto, potest dici ab eo individuari, & etiā, vt dicebamus n. 3769. in eo nō multiplicari: & hæc, secundū quod attinet ad præsentē quæstionē, potest esse mens D. Tho. cuius authoritates videri possunt in Gallego *controv. 30. Log. concl. 1.*

3774 Ex dictis in quatuor numeris immediatè præcedētibus colliges relationem, quā filius dicit ad Patrem, & quā ad matrem dicit esse distinctas relationes saltim numerice, in sententia relationem à fundamento, & termino distinguentē; cū non minus contingat separari filiationē ad Patrē ab ea, qua ad matrē refertur, per alterius mortē. quā relatio, qua Pater ad vnum refertur filium ab ea, qua refertur ad aliū: & adhuc existere potuit relatio ad matrem, quin relatio ad Patrē extitisset si, videlicet, potētia Dei absoluta interveniente à sola matre fuisset genitus, qualiter de facto fuit genitus Christus D. Maior difficultas est, an prædictę relationes non solū numero, sed etiā specie differant. Affirmat enim Lynceus contra communem sententiā ex eo, quod rationes fundandi vtriusque sint specie diversæ. Fateor ego diversitatē rationis fundandi esse sufficientē refundere diversitatem in relationem eo, quod, etsi conditio sit, est tamen talis, vt eam essentialiter relatio respiciat, & consequēter eam possit essentialiter variare non minus, quā fundamentum, & terminus; an tamen diversitas sufficiens reperiatur in ratione fundandi Paternitatis, & maternitatis ad distinctionem specificam, definiri facilè non potest, vt constat ex dictis *p. 2. tr. 2. disp. 1. q. 4. a n.* 2428.

QVÆSTIO XI.

An relatio prædicamentalis terminetur formaliter ad relatiuum, an vero ad absolutum.

3775 IN Hac quæstionē prima sententia tenet omnem relationem, sive mu-

tua

sui sit, sive non mutua, terminari ad relativum. Hanc sententiam tenet Lerma *lib. 7. log. q. 23.* illam communem Thomistarum dicens. Eandem tuetur M. Aguirre *in præsenti disp. 11. sect. 3.* plures in particulari pro ea referens Thomistas, & inter eos M. Ioannē à S. Thoma *eadem q. 17. log.* qua eundem pro opposita *sect. antecedenti* citaverat. Secunda autem sententia tenet relationes mutuas ad relativum terminari, relationes vero non mutuas ad absolutum. Pro hac Lerma citatus aliquos Thomistas, suppresso nomine, vt assolet, refert, inter eos autem sunt Ioannes à S. Thom. & Prado ille *q. 17. art. 5.* iste vero *q. 24.* Pro qua etiam sunt Arriaga, Valencia, Rubius, & alij quos refert M. Aguirre *in præsenti disp. 11. sect. 2. n. 16.* Tertia sententia tenet omnem relationem ad absolutum terminari ita communiter Scotistæ, estque sententia ista valde communis inter Iesuitas RR. quos novissime sequitur Peynado *tract. 5. log. disp. & sect. etiam 5. n. 73.* Quarta sententia tenet relationem omnem, sive mutuam sive non mutuam ad absolutum, simulque ad relativum terminari. Ita P. Lynceus *lib. 3. met. tract. 6 cap. 14.*

3776 Ego autem, adhuc per sententiam Lyncei tribus communiter relatis superadditam, rem hanc inexplicatam esse iudico, hancque fuisse occasionem discordantiæ inter DD. ita, vt forsan plerumq; in re huius quæstionis omnes verum dicere iudicarentur, si sensus, in quo ipsi loquuntur, innotesceret. Sed quidquid sit, an ita se res habeat (id enim parum mihi refert) claritate, qua potuero meam sententiam aperiam. Pro quo noto, quod, cum inquiritur, an relatio terminetur formaliter ad relativum, vel an terminus relationis sit formaliter relativus, ly *formaliter* duplicem potest habere sensum. Primus enim sensus esse potest, an id, quod est terminus relationis, non solum realiter sit relativum, sed etiā formaliter. Secundus vero, an forma, qua terminus constituitur in ratione terminantis relationem, sit aliquid absolutum, an vero aliquid relativum. Pro resolutione ergo.

3777 Dico primo, id, quod communiter nomine terminī intelligitur, & quod tale absolute denominatur, realiter est aliquid relativum; formaliter tamen distinguitur à relativo, & consequenter formaliter in primo sensu, ex relatis *num. præced.* debet dici absolutum. Probatur autem conclusio ista: id, quod dicitur communiter, & est fundamentum relationis, etsi iuxta nostram sententiam, non distinguatur realiter adæquate à relatione, distinguitur tamen formaliter adæquate ab illa, & consequenter formaliter loquendo est aliquid pure absolutum: ergo similiter se habet, quod communiter terminus denominatur, & est. Antecedens apud omnes, qui aliquo modo distinguūt relationem à fundamento solo, &

ab

ab illo, & termino, debet esse certum. Consequentia autem probatur: in relationibus mutuis (in quibus maior poterat esse difficultas) fundamentum, & terminus mutuo se respiciunt: ergo eodem modo est respectivus terminus, ac fundamentum, & consequenter, si fundamentum est, vt tale, pure absolutum terminus, vt talis pure absolutus erit. De antecedenti non potest esse dubitatio; cum illæ relationes eo dicantur mutuæ, quia terminus, & fundamentum illarum se se mutuo respiciunt. Consequentia autē probatur: eo ipso, quod se mutuo fundamentum, & terminus respiciant, id, quod est terminus relationis Paternitatis, est fundamentum relationis filiationis, &, quod huius secundæ est terminus, illius primæ est fundamentum: ergo eo ipso, quod vtriusque fundamentum absolutum sit, erit similiter absolutus terminus vtriusque; cum sint ijdem, sola distributione diversa.

3778 Confirmatur: nam ex positione fundamenti, & termini, consurgit, sive resultat relatio, iuxta communem præmiam: ergo eo modo resultat, sive consurgit ex termino, quo ex fundamento: sed ex hoc resultat, vt distinctum aliquid ab eo realiter, vel saltim formaliter: ergo similiter ex termino, & consequenter terminus relationis, formaliter saltim ab omni relatione est distinctus in communi modo intelligendi, consequenterque est formaliter absolutus. Confirmatur iterum: ille dicitur terminus relationis, ad quem relatio refert fundamentum: sed relatio refert fundamentum ad aliquid absolutum; Paternitas enim non refert personam Patris ad aliam Paternitatem aut ad filiationem: nec similitudo refert hoc album ad similitudinem aliquam: sed illa refert personam Patris ad personam Filij, quam dicitur proprie genuisse; ista vero refert hoc album ad illud, cui, & non relationi similitudinis, simile est.

3779 Dico secundo forma, qua terminus constituitur terminans in actu secundo relationē, aliquid relativum est. Vnde, quamvis terminus relationis, *vt quod* sit absolutus; terminus tamen, qui se habet, vt forma, & *vt quo*, & proprius ratio terminandi, quam terminus, dici debet, est aliquid relativum. Probatur nostra conclusio: nam terminus, vt actu terminet relationem, determinatur per formalitatem aliquam à se formaliter distinctam: sed ista est relativa: ergo actualis terminationis ratio, sive forma est in termino aliqua formalitas relativa. Maior probatur: nam, posito termino, sive intellecto, si in ipso non intelligatur formalitas aliqua ab ipso distincta, non intelligitur relatio; cum ista consistat in duplici formalitate altera à fundamento, altera à termino formaliter distincta: ergo nec potest intelligi actualis terminatio relationis; quod enim actu non est, non potest actu

ad

ad aliquid terminari. Minor autem primi syllogismi etiam probatur: nam, si in termino requiritur, vt ratio terminandi formalitas ab ipso distincta, nulla est aptior, quam illa, quæ in ipso reperitur, in qua, & simul in altera, quæ in fundamento datur constitit relatio: sed ista, prout committata per formalitatẽ in fundamento repertam est relativa, vtpote partialis relatio: ergo formalitas relativa est ratio formalis terminationis actualis.

3780 Ex dictis colliges, primo, quod, quamvis nostra sententia videatur affinis sententiæ P. Lyncei, vix in aliquo cũ ea cõvenit; quamvis enim *cap. 15. n. 218.* cõtentus esse Lynceus videatur, si admittatur, quod relativum aliquid sit terminus *vt quo* relationis, quod consonat dictis à nobis, dissidet tamen à nobis primo, quia inter suã confirmandam sententiã existimat Paternitatem non solum Patris personam referre ad personam Filij: sed etiam ad ipsam filiationem; nos autem huiusmodi referendi modũ, nec admittimus, nec eo vllatenus indigemus; ad quid enim Paternitas referet Patrem ad filiationem, cuius genitor non est, nec ei similis: &, si dissimilis est, refertur ad eam per dissimilitudinis relationem; cur autem per Paternitatẽ? Secundo Lynceus à nobis differt, quia id, quod in Filio ponit, vt sit ratio terminãdi, seu terminus *vt quo* est filiatio; nos autem existimamus, quod neguaquam sit filiatio, sed inadæquata Paternitas. Quod autem verius existimemus nos, constat, quia filiatio consistit in duplici formalitate, altera residente in Filio, altera in Patre: Paternitas autem in duplici alia formalitate diversa formaliter à duplici, in qua filiatio consistit, & quarum vna etiam sit in Patre, altera in Filio: ergo, cum possit intelligi duplex formalitas Paternitatis, non intellectis formalitatibus filiationis, dicendũ, quod formalitas Paternitatis in Filio existens deseruit, vt ipse Paternitatem terminet; tum quia alias nullũ munus habebit in illo; tum quia, ea intellecta superflue aliquid poni potest ad terminandam Patris relationem: ac tandem quia, cum relatio per terminum compleatur, aptius dicitur Paternitatem completi per id, quod est inadæquata Paternitas, quam per id, quod est filiatio.

3781 Secundo colliges, quod diximus in hac quæstione omnino verum esse iuxta nostram sententiam de distinctione relationis à fundamento, & termino; iuxta sententiam vero quæ nec formaliter illam à fundamento, & termino distinguit, communiter dicitur hanc quæstionem non habere locũ. Dici tamen potest tam fundamentum, quam terminum, si accipiantur seorsim, esse quid absolutum, si coniunctim, esse quid relativum. Iuxta sententiam vero, quæ relationem à fundamento solo asserit indistinctam, terminus semper absolu-

lutus erit. Tandem in Thomistarũ sententia nostra secunda conclusio locum non habet, iuxta dicta *num. præced.* in fine; nam si relatio est modus, vel realitas simplex fundamento inhærens, inquiro, quæ relatio est forma ratione cuius Paternitas terminatur à Filio? Non filiatio; quia optime potest intelligi Paternitas terminata, non intellecta filiatione; imò, iuxta aduersarios, ipsa non posita. Non etiam Paternitas, quia ista non est in Filio, sed in solo Patre. ergo non potest esse forma, ratione cuius Filius relationem Patris terminet.

3782 Sed dicunt aduersarij: quando non correspondet Paternitati filiatio in Filio, & similiter quando, etsi correspondeat, non intelligitur, adhuc locum esse, vt terminet ratione alicuius relativi: tum quia dici potest primo eam terminare per relationem rationis, vel secundo, quod terminet eam per Paternitatem ipsi extrinsecã. Sed contra est. Primum istorum dici non potest, quia terminus à parte rei terminat relationem: ergo ratio eam terminandi à parte rei reperiri debet, consequenterque non erit relatio rationis. Et, si dicant, quod saltim erit eius fundamentum, vel relatio rationis fundamentalis. Contra est: quia fundamentum cuiusvis relationis, sive relatio fundamentalis, quid absolutum est vere, & proprie: ergo ista solutio intentum largitur. Secundum etiam, quod dicitur, parum prodest; si enim Paternitas Filio est omnino extrinseca, quamvis sit requisita, vt Filius eam terminet, nullum adest fundamentum, vt requiratur veluti forma, & ratio, qua Filius eam terminat; sed potius, vt res terminata. Quod robur accipit ex eo, quod aduersarij, si possunt invenire filiationem, vt sit ratio terminandi, ad Paternitatem non recurrunt; sed ad ipsam: vnde constat etiam apud ipsos hanc doctrinam esse difficilem, & consequenter eam etiam apud illos esse suspectam. Recursus autem ille ad filiationem ex dictis supra, etiam vanus est. Tandem, quamvis huius solutionis doctrina à nobis admitteretur, nihil inde fieret contra nos; solum enim sequeretur nostram huius quæstionis doctrinam, etiã iuxta aliorum principia, verã esse, quod nobis potius prodest, quam obsit; ista dicta sunt veritatis semper nobis optatæ inquirendæ gratia.

3783 Tertio colliges, quod, quamvis fundamentum, & terminus relationis specificative sumpti sint absoluti, tamen sumpti reduplicative, secundum quod illud actu fundat relationem, & iste actu, terminat illam sunt relativum quid, & sic communiter appellantur. Vnde cum dicitur: *Relativa sunt simul, natura, & cognitione*: etsi communiter explicetur ita contingere, quia, cum fundamentum vnius relationis sit terminus alterius, & ècontra non potest consurgere relatio in vno extremo, quin similiter in alio contingat; multo me-

lius

lius in nostra explicatur sententia, quia, iuxta positam explicationem, difficile intelligi potest, quomodo relativa sint simul cognitione; si enim, iuxta plures, dari potest relatio in vno extremo, quin in altero simul alia respondeat, quanto melius, etsi talis detur correspondentia, poterit intelligi relatio fundamenti, quin termini relatio simul intelligatur? Nos autem sic explicamus axioma: eadem Paternitate Pater refertur ad filium, & filius terminat relationem Patris: ergo cum Paternitas intelligi nequeat, Paternitate non intellecta, nequit intelligi forma, per quam Pater dicitur relativus, quin intelligatur ea, per quam Filius relativus etiam constituitur, quamvis enim Paternitas, qua parte est intrinseca Patri, distinguatur à se ipsa, qua parte Filio est intrinseca; tamen, cum, si concipiatur altera ex istis Paternitatibus partialibus, sine alia; iam relativa non sit, fit, quod, vt, tanquam quid relativum, concipiatur, debeat simul cõcipi Paternitas, qua parte Patrem relativum denominat, & qua parte Filium etiam denominat relativum: quo rigorose verificatur axioma.

3784 Quarto colliges, quod, quamvis relatio cum termimino essentialiter connectatur, inde non fit, quod Paternitas ad filiationem terminetur; sed solum, quod terminetur ad Filium, secundum, quod per Paternitatem constituitur in ratione relativi, modo dicto *numero antecedenti*. Quamvis autem Paternitas cum filiatione connectatur, ista connexio contingit, non quia vna sit terminus alterius; sed quia fundamentum, & terminus vtriusque inseparabiles sunt, ita vt semper, quod est terminus Paternitatis sit fundamentum filiationis, & quod illius est fundamentum huius sit terminus, ac viceversa.

3785 Quinto colliges, quod quamvis partialis Paternitas in Filio à nobis constituatur, tanquam forma, qua ipse terminat relationem Patris; non tamen intendimus, quod rigorose sit forma; sed, cum sit requisitum indispensabile ad terminationem actualem, &, quamvis non informet terminum, cum illo identificetur realiter, & se habeat formaliter, veluti forma, nullo alio modo aptius explicatur necessitas illius ad terminationem actualem, quam dicendo esse formam, sive formalem rationem terminandi, quamvis in rigore physico forma termini non sit.

3786 Vltimo colliges, quod, cum nostra sententia sit oppositæ conciliatio, si non, vt eas intelligunt sui AA. saltim, vt eas intelligere debebant, solutio argumentorum nobis necessaria non est cum argumenta contra nostras conclusiones ex diversis sententijs desumpta vnam vel alteram illarum confirment, alteram minime lædentes. Quia vero aliqua argumẽta aliquid amplius vrgere videntur cõtra prædictas nostras conclusiones, ea hic subij-

subijciam. Obijcies ergo primo contra primam conclusionem: in divinis terminus relationis non solum realiter; sed formaliter est relativus: ergo similiter in relationibus creatis. Et si respondeas in divinis ita contingere, quia non datur aliquid absolutum distinctum realiter, ad quod possit relatio terminari. Insurgit Lerma dicens, quod relatio in divinis, si terminaretur ad absolutum, iam daretur aliquid absolutum realiter distinctum; quia tamen relatio, ex conceptu relationis, petit terminari ad relativum, in divinis nec datur aliquid absolutū, quod sit terminus, nec, quod sit distinctum à relativo.

3787 Respondeo tamen primo solutione assignata: & ad replicam dico relationem in divinis terminari ad aliquid relativum, quia solum relativum est realiter distinctum; non tamen quia relatio id petat; quod enim in divinis terminetur ad relativum non ex conceptu communi relationis, sed aliūde, omnes tenentur fateri; nam relatio increatis semper habet pro fundamento aliquid absolutum, & tamen in divinis nihil absolutum habet pro fundamento: ergo similiter, quamvis in creatis relationis terminus sit absolutus, in divinus, ob rationem specialem erit relativus: ea ergo necessario erit, quæ in solutione *num. præced.* fuit assignata; cum solidior sit, quam ratio, quæ, etsi non possit reijci manifeste, manifestam, vt vidimus patitur instantiam,

3788 Secundo respondeo terminum relationis in divinis etiā esse aliquid absolutum; nam, vt superius diximus *num.* 3748. Pater æternus ad suum Filium refertur, & transcendentaliter, & prædicamentaliter; terminus ergo relationis prædicamentalis Patris, prout talis est absolutus à relatione prædicamentali, & vt sic eam terminat, vt *quod*; quamvis, vt *quo*, & vt ratio terminandi in eo relatio prædicamentalis includatur. Aliter etiam posset salvari distinctio formalis inter terminum, vt *quod* relationū divinarum, & formalitatem relativam, dicendo divinas personas originibus potius, quam relationibus constitui. Sed hoc omitto, quia in materia de Trinitate non parvam continet difficultatem.

3789 Contra secundam autem conclusionem obijcies primo: relativum quodvis est essentialiter cum termino connexum: ergo per illum debet definiri: sed non potest definiri per terminum, secundum quod continet formalitatē relativam: ergo nec ille secundum eam formaliter est terminus; sed secundum aliquid absolutum ita, vt ratio terminandi omnino absoluta sit. Prima consequentia constat, quia quælibet res per connotata essentialia sibi definitur: veluti homo per sensiones, & discursus, quia ea connotat. Minor vero subsumpta probatur; quia, si Pater, v.g. definiretur per Filium, vt est quid relativum, iterum Filius per Patrem, co-

eodem iure, definiretur, & sic vterque inexplicatus maneret, & circulus vitiosus committeretur. Respondeo tamen distinguendo primũ antecedens, quod, vt certum, supponitur: relativum est connexum cum termino secundũ formale, quod includit, vt actu terminans, nego antecedens; secundum materiale, quod dicit, & vt *quod* acceptum, concedo antecedens: ex quo solum sequitur, quod per terminum, secundum absolutum, quod dicit, definiri debeat relativum. Quod autem relativũ nõ connectatur cum termino formali, & vt *quo*, constat; quia relativum formaliter, non dicit fundamentũ, sed relationem ipsi realiter identificatam: ea autem non connectitur cum formalitate relativa se tenente ex parte termini, veluti cum termino; sed veluti cum comparte, quæ simul cum ipsa vnum componat relationem; absolutum autem, quod est in termino, respicit tanquam terminum, vtpote realiter inadæquate, & formaliter adæquate à relatione distinctum & à quo, ipsa specificatur.

3790 Secundo contra secundam conclusionem obijcies: in relationibus non mutuis non datur ex parte termini relatio: ergo non potest in illis aliquid relativum esse forma, aut ratio terminandi. Respondetur primo, quod, vt constat ex dictis supra *quæst. 2. à num.* 3644. iuxta nostram sententiam nullæ dantur relationes non mutuæ, nisi per non mutuas intelligas eas, quæ mutuæ in eodem genere non sunt, quamvis mutuæ sint in diverso: quo posito argumentum corruit. Cum autem in sententia admittente relationes in omni genere non mutuas difficilè hoc argumentum solvi possit, vt constabit perpendenti dicta à nobis supra *num.* 3782. fit inde, quod sententia negans prædictum relationum genus, hoc argumento confirmetur. Quibus nunc addo, quod si in Deo vera relatio Domini, & creatoris non est cum tamen vere creator, & Dominus sit, & dicatur, nullo cum fundamento dici poterit, quod Pater, vt talis dicatur vera aliqua relatione indigeat, sed quod hic, sicut ibi, aliquid extrinsecum, vel rationis sufficiat ad eam denominationem.

3791 Secundo etiam potest responderi, dato, quod relationes aliquæ dentur omnino non mutuæ, dari adhuc in termino formalitatem relativam, quæ possit esse ratio terminandi; nam relatio creaturæ ad creatorem, vt sit omnino non mutua, non petit nisi, quod in creatore nõ inveniatur relatio creatoris, qua ad creaturam ipse referatur: nos autem non dicimus Deum terminare relationem creaturæ per formalitatem, quæ sit relatio creatoris; sed per formalitatem, quæ sit partialis relatio creaturæ, vtpote, qui asserimus relationem creaturæ fiam esse in duplici formalitate, altera à creatura formaliter distincta, altera formaliter distincta à creatore,

re,

re, quæ ipſum non denominat creatorem; ſed terminum, ſive terminátem relationem creaturæ.

QVÆSTIO XII.

Aliqua, quæ reſtant, dubia de relatione reſolvuntur.

3792 PRO Huius diſputationis complemento aliqua in hac quæſtione dubia breviter reſolvenda ſunt. Dubitabis ergo primo, an vnius relationis vnum eſſe poſsit ſubiectum. Non deſunt ex his, qui relationem aiunt eſſe entitatem diſtinctam, qui dicant illam, cum ſit vna, & ſimplex, ſubiectari ſimul in fundamẽto, & termino: quod ita eſt incredibile, quod, adhuc ea admiſſa entitate, potius in ſolo fundamento ſubiectari dicendum ſit. In noſtra tamen ſententia difficultas iſta evaneſcit, quia aut relatio eſt ſubſtantia realiter, & ſic non ſubiectatur in alio; aut eſt realiter accidens, & ſic, cum non ſit accidens ſolius fundamenti, ſed etiam termini, conſtat duobus accidentibus, & conſequenter non eſt vna omnino, & ideo nil mirum, quod in duobus ſit ſubiectis inadæquate in quolibet.

3793 Secundo dubitabis, an vna relatio prædicamentalis poſsit alterius prædicamentalis relationis eſſe fundamentum. Reſpõderur afirmative cũ pluribus, quos refert, & ſequitur Lynceus *lib. 3. metaph. tract. 6. cap. 9. n. 123.* contra non paucos ab eodẽ *num. 126.* relatos. Probatur autem reſponſio noſtra: nam inter duas Paternitates, & duas ſimilitudines non minor reperitur vnitas, quam inter duas qualitates, nec etiam inter Paternitatem, & filiationem minor diverſitas, quam inter diverſæ ſpeciei qualitates: relatio ergo identitatis, & diverſitatis non minus fundari poteſt inter duas relationes, quam inter duas qualitates. Vbi etiã adverte (vt hoc obiter ſcias) hanc rationem etiam ſubſtantiæ applicari poſſe, vt ipſa poſsit immediate relationem fundare. Prꝛterea Ariſmethici non ſolum habitudinẽ inveniunt in vno numero ad alterum, ſed etiam in vna habitudine numeri ad numerum habitudinem cognoſcunt ad habitudinẽ alterius numeri ad alterum numerum: vnde vt eas diſtinguant habitudines, primã, quæ eſt numeri ad numerum, vocant communiter *proportionem*. ſecundam vero, quæ vnam proportionem ad aliam comparat, vocant *proportionalitatem*. Quamvis Euclides apud Lynceum primam habitudinem vocat *rationem*; ſecundam vero proportionem. Non eſt autem cur ſecunda iſta habitudo ſupra primam illam fundata non ſit dicenda relatio, eodem iure, atque illa.

3794 Dices tamen male à nobis probari dari relationem ex eo, quod detur identitas inter duas relationes; nam identitas, quæ inter illas reperitur eſt improprie identitas: ergo improprie erit relatio

ratio. Respõdetur, quod ex eo, quod impropria sit identitas illa, potius est propria relatio. Sicut enim pictura, quæ improprie est homo est vera, & propria illius imago, ita, vt, si esset proprie homo, eius non diceretur imago: sic identitas, quæ impropria est, dicitur propria relatio ita, vt, si esset identitas propria, nequaquam relatio, sine fictione, dici posset.

3795 Secundo dices relationem esse debilissimæ entitatis ita, vt sustinere non possit, aut sustentare aliam relationẽ. Respõdeo tamen: si parvam entitatẽ habet relatio fundans, etiam relatio fundata parvo fundamento est contenta; cum in alijs modis durationis, & vbicationis, etiã iuxta aduersarios, fundetur: vnde autem constat, tum, quod minus perfecta sit relationis, quam duration s entitas, sive modus: tum, quod, etsi talis sit, ea minor perfectio non sufficiat sustentare aliam relationem, cum oppositum verisimilius appareat; nõ enim minus similes nobis apparent duæ relationes inter se, quam duæ vbicationes. Dices tamen duas relationes, etsi non minus similes appareant, tamen ob suam tenuitatẽ non fundare relationẽ formalem, sed similes dici sive à fundamento, & propter similitudinẽ fundamentalẽ; sive propter relationẽ secundũ dici, aut rationis. Sed contra est: quia cũ nõ minor similitudo inveniatur inter duas relationes, quam inter duas alias res, certe, eadem ratione, omnis similitudo formalis, omnisque alia relatio, posset de medio tolli; si enim nihil amplius similitudinis inter duas vbitates, aut durationes ego concipio, quam inter duas relationes, cur has salvari existimare possum, sine relatione formali, & illas absque simili relatione salvari non audebo asserere?

3796 Tandem dices: si vna relatio potest supra aliam fundari, supra istam poterit alia, & iterum supra hanc alia, & vsque in infinitum: dabitur ergo in infinitum modorum sive realitatum processus à nobis omnino negatus *q.* 8 *num.* 3745. Nec dici potest, quod relatio, quæ refert primã relationem ad aliam, se ipsa refertur etiam ad quãcumque aliã, & sic infinitus vitatur processus. Tum quia de prima idem dici poterat, & sic nulla relatio supra aliam distinctã fundari posset, quod intendit argumentum. Tum etiam, quia, quod relatio, quæ refert fundamentũ à se realiter distinctũ, non possit simul esse ratio, qua ipsa referatur, probatum est supra *q.* 8. *n.* 3744. Respondeo tamen, aliorũ omissis responsionibus, quod cũ relatio, iuxta dicta citata *q.* 8, non distinguatur realiter à fundamento, & termino, relatio fundata supra aliã ab ea, & termino tolum formaliter esset distincta & similiter quę supra istã fundaretur: vnde processus infinitus non esset modorũ, aut rerum realiter distinctarũ, sed solũ formalitatũ distinctarum formaliter: talis autẽ formalitatũ processus infinitus

ſine inconvenienti admitti poteſt, eſtque iam à nobis admiſſus *1.p. huius curſus tr.2.diſp.4.q.9 n.842.* Vnde cum D.Th.ait (ſi forte id ait aliquando) vnã relationẽ prædicamentalẽ non poſſe ſupra aliã fundari, id intelligit de relatione diſtincta realiter à fundamento, & termino; quia iuxta ſuã ſententiã nulla talis datur; aut quia, ſi admittatur relationẽ à fundamẽto, & termino realiter diſtingui, tunc nõ poterit vna ſupra aliã fundari; ita tamen nõ poterit, ob argumentũ hoc *n.* factũ, vt ſimul poſsit, ob rationes noſtrę reſponſionis vnde hoc argumento potius confirmatur, quod *q* 8. ſtatuimus, quam quod in præſenti affirmamus, impugnetur.

3797 Tertio dubitabis, an detur ratio communis relationis. Circa dubitationẽ iſtam, mirũ eſt, quã varie AA diſcurrant, origo autem tantæ varietatis eſt hoc argumentũ, quod contra rationẽ communẽ relationis formatur: relatio namque, cum eius eſſe ſit ad aliud ſe habere, neceſſario terminum poſtulat, & talis terminus debet eſſe realiter diſtinctus, vt relatio ſit realis: ergo relatio in cõmuni, ſi daretur, terminũ aliquẽ realiter diſtinctũ reſpiceret: ſed talis terminus ſimul à relatione in communi indiſtinctus eſſet: ergo ſi relationis daretur ratio cõmunis ſequeretur inter relationẽ in cõmuni, eiuſque terminum ſimul dari, ac non dari realẽ diſtinctionẽ. Minor proxime ſubſumpta probatur: nam terminus ille relationis, pro formali ſaltim, aliquid relativum eſſet, iuxta ſententiã Thomiſtarum, imo etiã iuxta noſtram ſententiã: ergo eſſet aliquid inferius reſpectu rationis cõmunis relationis, conſequẽterque realiter in diſtinctũ, cũ realis diſtinctio inter prædicata ſuperiora, & inferiora reperiri non poſsit.

3798 Hoc non obſtante reſpondeo dari rationẽ communẽ relationis, & non duas, vt aliqui, ad ſolvendũ argumentũ poſitũ, cõminiſcuntur, ſed vnã. Conſtat hæc noſtra reſolutio primo ex eo, quod nõ minus fundamentũ reperitur ad abſtrahendã rationẽ communẽ relationis, quã adeſt in alijs prædicamentis, vt illis genus generaliſsimũ detur ab inferioribus abſtractũ: ergo non minus dari debet ratio cõmunis relationis, quam aliorũ prędicamẽtorũ. Antecedens conſtat, cũ non minor ſit cõveniẽtia inter relationes inter ſe, quã, quæ datur inter qualitates, ſubſtãtias, aut res alias aliorũ prædicamentorũ. Secundo noſtra cõſtat reſolutio ex eo, quod, ſi propter aliquã rationẽ eſſet neganda ratio cõmunis relationis, maxime ob nuper poſitũ argumentũ: ſed illud, etſi plus difficultatis, quam ſoliditatis, conetur ſolvere conabimur ſtatim.

3799 Igitur, ob argumentũ ſupra poſitum, Lynceus *lib.3.met.tr. 6.c.24.n.341.* & 350. exiſtimat dari nõ poſſe rationẽ communẽ relationis in cõcreto, ſeu relativi; dari tamẽ poſſe eius in abſtracto rationẽ communẽ. Ratio autẽ eſt: quia, cum relativi in communi terminus ſit aliud

aliud relativum, si illud est realiter distinctũ non poterit contineri in relativo in communi; si vero nõ sit distinctum realiter, dabitur relatio realis sine termino realiter distincto. De relatione autẽ in abstracto diversa est ratio; nã quamvis illa terminetur ad relationẽ in communi, quæ realiter nõ sit distincta, adhuc habet terminũ realiter distinctum, quia terminatur non solũ ad aliam relationẽ, sed etiã ad absolutũ, sufficit autẽ, quod partialis terminus sit realiter distinctus, vt vere relatio sit ad aliud. Hæc solutio, iuxta principia Lyncei de termino relationis, probabilis est; sed nobis omnino nõ placet: tum quia facilius solvi potest argumentũ factũ: tum quia negat rationem communẽ relativi, seu relationis in cõcreto, quia eam excludi existimat argum. facto cũ tamẽ eã nõ excludi nobis probare anim⁹ sit.

3800 Alij autem respondent argumento posito n. 3797. relationẽ in cõmuni terminũ non habere, sed solũ illũ habere relationes particulares, sive in singulari: vnde non relinquitur locus argumẽto facto. Sed hanc solutionẽ Rubius nõ solũ impugnat, sed etiã ex ignorãtia procedere affirmat; inde enim ait fieri, vt relatio in cõmuni nõ habeat essentiã relationis; cum enim relationes particulares essentialiter habeant esse ad aliud, si relationi in communi id deficit, ei essentia relationis adimitur. Rigida tamẽ prædicta cẽsura iudicatur à N.P. Ildephonso ab Spiritu S. tũ propter AA. eã solutionẽ tradentes tũ quia ab ipso probabilis iudicatur. Mihi autẽ videtur, quod, si dicta solutio intendat omnimodo denegare relationi in cõmuni termi num, iusta est posita cẽsura, & recta impugnatio. Si autẽ solũ intẽdat relationi in cõmuni negare terminũ, ad quẽ in exercitio referatur, sentio cum prædicto N.P. qui in hoc sensu solutionẽ datam intelligens positam damnat censurã. Ei autem solutioni quatenus in hoc vltimo sensu ad veritatẽ accedit in re inferius conformabimur. Cũ DD. autẽ huius solutionis in re etiã conveniunt alij, qui dicunt relativũ in communi habere terminum; non autem in communi, sed in singulari,

3801 Ego autẽ respondeo primò relationem in communi habere terminũ, qui quidẽ nõ sit singularis, sed etiã cõmunis. Præterea admitto illum terminũ relativũ esse, & consequenter à ratione cõmuni relativi realiter nõ distingui, vtpote, qui includatur in ea; habet tamen ab eo sufficiẽtẽ distinctionẽ, vt dicatur ad aliud realiter, dicitur enim ad aliud iuxta distributionẽ accommodã ita, vt quolibet ex relativis in relativo in cõmuni contentis ad terminũ ad se realiter distinctũ referatur, & terminus quilibet in termino in communi contentus relativi à se realiter distincti terminus sit. Sic omnis causa dicitur cõmuniter influere esse in aliud, nõ obstãte, quod collectio, effectuũ à collectione causarũ nõ distinguatur; cum enim omnes causæ creatæ simul effectus sint eadem est

collectio causarum creatarũ, & collectio creatorũ effectuũ: id ergo intelligitur accommoda distributione ita, vt quælibet particularis causa contenta in causa in communi effectum respiciat à se realiter distinctum, & similiter quilibet effectus causam.

3802 Ratio autẽ à priori esse potest doctrina, quã intendunt, etsi eam nõ satis explicent, DD. qui tradunt solutiones *n.* 3800. relatas, scilicet, quod relatio per terminũ realiter distinctũ ne idem ad se ipsum realiter referri contingat: hoc autem salvatur cum distinctione termini à nobis explicata; cũ enim actu referri primario cõveniat relationibus, seu potius relativis singularibus & relationi, seu relativo in cõmuni tantũ secundario, quatenus in illis includitur, per hoc, quod termin⁹ relationis in cõmuni à relatione similiter in communi per distributionẽ accommodã distinguatur, salvatur, quod nunquã idẽ ad seipsum referatur: ea ergo est sufficiens distinctio relationis à suo termino, & consequẽter absque inconvenienti eius sive in abstructo, sive in concreto ratio cõmunis dari potest. Confirmatur hęc doctrina, quia, si vera nõ esset, sequeretur non solum non posse dari genus generalissimũ relationis; sed neque etiã alia genera intermedia: quod non admittent plures adversarij. Sequela probatur: nam, cũ idem, qui est Pater vnius sit Filius alterius, & in creatis, qui est vnius causa, sit alterius effectus collectio relativorum relatione causæ; aut Paternitatis non distinguetur satis à collectione terminorum, aut nullum erit argumentum, in quo solvendo versamur: vtendum ergo est nostra solutione, vt vbivis nullum sit præfatum argumentum.

3803 Secundo respondeti potest, etsi solutio præcedens solidissima sit, quam dum cogitarẽ expresse inveni in Oviedo *controv. 9. met. punct. 6 n. 5.* Respondeti, inquam, secundo potest consequenter ad doctrinam quæstionis præcedẽtis non solum relationis, sed etiã relativi rationem communẽ dari posse. Relativum namque fundamenti, & relativum termini ita distinguntur, vt ratio communis abstracta à relativo fundamenti nequaquam sit ratio superior respectu relativi, quod est in termino, vt tali; nam formalitas relativa, qua terminus terminat relationem, non est formalitas, qua ipse possit ad aliud referri: vnde ratio communis relativi, quod ad aliud refertur, terminatur ad rationem communem relativi, quod habet terminare aliud: sic autem terminus realiter à relativo distinguitur, si pro relativo, intelligatur, vt debet, relativum fundamenti. Sed dices datur per nos ratio communis relativi, quod ad aliud refertur, quodque est fundamenti relativum: datur etiam ratio cõmunis relativi, quod est terminus, & nequaquam, vt talis, habet referri; sed relationem terminare: ergo iam duplex relativi genus supre-

premum à nobis admittitur. Respondeo tamen, vtrumq; istud genus, supremũ non esse; quia ab vtroque abstrahi potest ratio communis relativi, quæ quidem ratio nec habebit ad aliud referri, nec alterius relationem terminare, sed ab vtroque præscindet. Nec obstat, quod relativum debet ad aliud esse; id enim communiter admittitur de relativo fundamenti; non tamen admitteretur, si intelligeretur de relativo termini, aut de eo, quod ab eo, & relativo fundamenti præscinditur: quæ si proprie relativa sint dicẽda, hoc vltimũ erit genus supremũ; si vero nõ ita, dicendũ, quod relativum abstractũ ab omnibus relativis fundamenti sit genus supremũ; quia, etsi detur aliud relativũ, scilicet termini, ipsi æquale in vniversalitate, illud tantum non est proprie relativum. Quidquid autem horum dicatur, nostra parum interest.

3804 Quarto denique dubitabis, quænam sint relativorum proprietates. Respondetur quatuor ab Aristotele assignari. Prima earũ est habere contrarium. Advertit tamen ipse Aristoteles, id nõ esse proprium omnis relationis, sed aliquarum. Et ego præterea adverto, etiam ijs, quibus convenit contrarietas, nõ convenire proprie; sed contraria dici ob fundamenti contrarietatem. Secunda relationis proprietas est susc ipere magis, & minus: ea autem iuxta Aristotelẽ non convenit omni relationi; ijs præterea, quibus cõpetit, non convenit proprie, & primario; nõ enim sunt intensionis capaces; sed solum aliquid dicitur magis, aut minus simile alteri, quatenus magis, aut minus habet de qualitate, penes quam est ei simile, idẽque de dissimilitudine, &, proportione servata, de æqualitate, & inæqualitate dicendũ est. Tertia proprietas est quod relativa dicãtur ad convertentiã, sive eodẽ casu, veluti: *Pater alicuius Filij est Pater, Filius alicuius Patris est Filius*; sive diverso: vt *scientia alicuius scibilis est scientia; scibile aliqua scientia est scibile*. Et ratio huius proprietatis est in nostra sententia, quia, cum omnia relativa sint mutua in eodem, vel in diverso genere, non potest dici fundamentum ad terminum, quin etiam dicatur sive ordinetur altera relatione terminus ad fundamentum.

3805 Quarta tandem relativorum proprietas est quod illa sint simul natura, & cognitione. Quomodo autem ista proprietas in relativis salvetur constat ex dictis à nobis *quæst præcedent. n.* 3783. ea autẽ dicitur propria quarto modo: si autem per esse simul intelligatur simultanea relativorum existentia erit id proprium quarto modo relationum earum, quæ terminum petunt existentem; si autem solum denotetur ea simul esse modo, quo esse debent, vt relatio inter ea versetur, cuiusvis relationis id proprium erit, vt ex dictis numero superius citato constat.

DISPVTATIO VII.

De Deo.

DEVM, Et Angelos intra obiectum Metaphysicæ contineri nemo est, qui dubitet. Vnde plura, quæ de illis, ratione naturali discurrendo, poterant disputari, huc spectabant; quia tamen ea frequēter in Theologia sacra simul cum alijs, quæ ex principijs fidei dependent, disputantur, breviter hanc percurram disputationē, omnia, quæ ad Angelos spectant, ad propriam de Angelis materiam remittendo, tantumque aliqua de Deo hic ad Theologiam præmittendo, non tam vt ea absolvam, quam vt opus nostrum coronetur, & ipsum habeat pro fine, quem omnia opera nostra, vt finem respicere debent.

QVÆSTIO VNICA.

An sit, & quid sit Deus.

3807 OMNIA Creata, quæ oculis, ac mente cernere possumus, ad Dei existentiam cognoscendam manuducunt iuxta illud Apostoli ad Roman. 1. *invisibilia Dei, à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Vnde ordo, varietas, pulchritudo aliquarum rerum vniversi, & à fortiori omnium simul sumptarum ita clare Deum esse testatur, omnium authorem, & gubernatorem, vt, nisi omnino insipienter nemo cogitare valeat, nedum dicere, *non est Deus.* Admirabilem autem ordinem, perfectionem pulchritudinē, & varietatem vniversi, quæ ad existentiā Dei cognoscendam manuducit, vnusquisque perpendere valet. Qui vero voluerit eam elegantius depictā, & evidentius expensā videre, adeat Carletonē *in metaph. disp. vlt. sect.* 1. Lynceum etiam *in metaph. lib.* 10. *tract.* 2. Theophilum Raynaudum *in Theologia naturali d. st.* 5. *tota q.* 1. præsertim *art.* 6. & alios apud ipsos.

3808 Prætērea communiter probatur hæc veritas: *Deus est*, ex causarum subordinatione. Aliæque etiā probationes communiter afferuntur, quæ à Theologis examinantur; sunt tamen difficiles aliquanto, quia Theologi intendūt hanc veritatem evidenter probare, & non facile appareat multarum rationū evidentia. Hanc ergo de subordinatione, quæ communior est, &

in

in quam conuerti debere illã, quæ desumitur ex illo principio: *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur*, dicebamus *disp.7 phys. q.1. num.2.* sic propono.

3809 Aliquod datur ens, quod sit improductũ, à se, & actus purus: sed tale ens est Deus: ergo Deus est, siue existit. Consequẽtia est optima. Minor, sine vlla dubitatione ab omnibus conceditur, etiã ab ijs, qui, omnino insipienter, Deũ esse negauerunt. Maior ergo probatur: dantur plura entia, quæ sint ab alio, producta, & non sint actus purus: ergo datur aliquod ens, quod sit improductum, actus purus, & à se. Antecedens & admittitur ab omnibus, etiam Deum esse negantibus, & cernitur ipsis oculis, & ratione etiam constat: quia entia omnia, quæ videmus, si essent actus purus, essent Deus: qui ergo Deum esse negant, fateri tenentur talia entia actum purum non esse: ex quo etiã infertur non esse à se; quia, si non sunt actus purus: ergo habent aliquid potentialitatis: ergo aliquando fuerunt in potentia, saltim pro aliquo naturæ signo, & consequẽter ab alio causata, & non à se: plura ergo entia dantur producta, quę nec sint à se, nec actus purus. Consequentia autem probatur: quia, si hęc entia sunt ab alio, illud rursus aut est ab alio, aut à se, si primum, idẽ de ipso inquiro, & inquiram semper, vsque dum deueniamus ad aliquod, quod sit à se: iam ergo necessario deueniendum est ad ens à se, & fatendum illud esse, siue existere.

3810 Dices necessarium non esse deuenire ad ens à se; sed solum procedere in infinitum: nos autẽ supponimus istum processum esse impossibilem, quin tamen id possimus euidẽter probare, vt opus erat ad nostræ rationis euidentiam. Contra tamẽ est, quia, adhuc admisso processu infinito, necessariũ est deuenire ad ens à se: ergo nulla solutio. Probo antecedens: ideo semper est procedendum ab vna creatura ad aliam, quia cum nulla sit actus purus, & à se, sed actus potẽtialitati admixtus, non potest in ea sisti: sed, etiamsi admittatur processus infinitus, in omnibus entibus in eo inclusis nullũ datur, quod sit actus purus, nec omnia simul actus purus sunt: ergo nec adhuc in processu infinito sistendum est; sed necessario vlterius deueniendum ad ens aliquod, quod sit à se, & actus purus, siue admittatur processus infinitus, siue non.

3811 Ad secundam quæstionis partem deueniendo. Dico Deum esse ens quoddam infinitum infinite iustum, infinite sapiens, immensum, æternum, simplex, omnipotens independens, & à quo cuncta dependent. His, & alijs similibus solet, vtcumque describi, quid sit Deus. Sed adeo excellens est diuina perfectio, vt, mente humana, nequaquã percipi queat, aut quia ista, quod voces dictæ significant, non valet capere, aut quia nullis mortalium vocibus, quod est,

valet significari: quapropter verius à nobis nihil de Deo concipitur, quam quod inexplicabilis indicibilis, & incomparabilis sit. Hinc D. Ambrosius *lib. de fide contra Arrianos cap. 6.* ait: *Certe hoc est Deus, quod, cum dicitur, non potest dici, cum æstimatur, non potest æstimari, cum comparatur, non potest comparari, cum definitur, ipsa sua definitione crescit.* Cum Aristoteles maris vastitatem, fluxusque, & refluxus illius considerati mente non posset, fama est, quod se in illud dejiciens dixerit *Quia ego te non capio, tu me recipe.* Cum ergo nos multo minus possimus mente capere immensum Divinitatis Oceanum, in eo demergamur dicentes singuli:

Quia ego te non capio, tu me recipe.

(?)

LAVS DEO.

INDEX RERVM,

QVAE IN HAC TERTIA PARTE CVRSVS PHILOSOPHICI CONTINENTVR.

CITANTVR NVMERI MARGINALES tantum.

Accidens.

ACCIDENS est ens in alio, num. 3450.

Duo Accidentia solo numero distincta in eodem subiecto esse possunt, 3773.

Accidentia non à subiectis, sed à seipsis individuantur, 3773.

Vid. *Individuatio.*

Actio.

Repugnat actio sine termino distincto, aut indistincto 3104.

Vid. *Vnio, intellectio, subsistentia.*

Actus.

Actus, & potentia debent esse in eodem genere, qualiter intelligendum, 2778.

Actus charitatis non est perfectior actu visionis Beatificæ, 3340.

Actus sine libertate malus moraliter non est; nec similiter est mala libertas sola; actus tamen cum libertate malus moraliter est, 3317.

Vid. *Libertas.*

Amor.

Amor efficax, & odium eiusdem obiecti divinitus esse possunt simul in eadem voluntate; non tamen naturaliter 3206. & 3207.

Actus, quem voluntas eliceret divinitus sine cognitione, non esset liber, sed necessarius, 3266.

Amor est vnio affectiva amantis cum re amata, 3274.

Non semper odium vnius obiecti est formaliter amor alterius, ibid.

Obiectum terminativum amoris, quo volo bonum amico, est bonum quod opto & non amicus; moraliter tamen potius est amicus, quam bonum, 3261.

Non datur actus medius inter amorem, & odium, 3275.

Amor (similiterque odium) dividitur in efficacem, atque inefficacem, 3276.

Dividitur etiam amor in amorem amicitiæ, & amorem concupiscentiæ, 3278.

Idem

Idem actus potest esse amor amicitiæ, & concupiscentiæ respectu diversorum; non tamen est necessarium, quod sit idem, 3278.

Dividitur præterea amor in amorem strictum, desiderium, & gaudium, 3279.

Amor strictus à desiderio, & gaudio differt non solum in modo tendendi, sed etiam in obiecto, num 3279.

Vid. *Desiderium*, *Gaudium*.

Angelus.

Angelus non est forma completa, nisi abusive, 2699.

De Angelis tractari poterat in Metaphysica, remittitur tamen ad Theologiam, 3806.

Angelus ad se cognoscendum non eget specie impressa, 2898.

Vid. *Discursus*. *Anima*.

Tractatus de anima obiectum est tum anima, tum etiam corpus animatum, 2742.

Prima animæ definitio traditur, num. 2744.

Anima perfectior est operatione sua etiam in ratione actus, 2747.

Secunda animæ definitio traditur, 2749.

Prima animæ definitio non demonstratur per secundam, nec è contra; sed differunt solum penes claritatem, 2750. & 2751.

Anima dividitur in vegetativam, sensitivam & rationalem, 2752.

Non dantur plura genera animatorum, quam animarum, 2755.

Animæ divisio in vegetativam, sensitivam, & rationalem vnivoca est, 2758.

Anima rationalis certè de fide est actus informans, 2776.

Adhuc reduplicative vt rationalis, materiam informat rationalis anima, 2777.

An, & quomodo anima rationalis includat vegetativam, & sensitivam, 2781.

Falsum est animam propagari cum semine, 2799.

Anima rationalis à solo Deo per creationem producitur, ibid.

Nulla anima producitur prius tempore informatione, 2803.

Anima rationalis spiritualis est, num. 2817.

Anima rationalis est immortalis, num. 2818.

Non solum ex dono Dei, sed etiam ex natura sua convenit animæ rationali immortalitas, 2820.

Anima rationalis an invisibilis sit, & an penetrabilis, 2831.

Anima rationalis non est essentialiter composita, 2832.

Anima rationalis etiam integraliter est indivisibilis 2833.

Cur anima rationalis corpus quantæcumque magnitudinis informare non possit, 2834.

An motus sursum, & deorsum animæ rationali possint simul convenire, 2835.

Animæ animalium imperfectorum divisibiles sunt integraliter, num. 2837.

Animæ plantarum etiam sunt integraliter divisibiles, 2837.

Etiam sunt divisibiles animæ materiales animalium perfectorum, num. 2839.

Qua

Qua ratione animæ materiales dicantur esse totas in toto & totas in qualibet parte, 2854.

Animæ materiales partibus homogeneis constant, 2856.

Partes dissimilares animalis nõ differunt specifice; sed solum accidentaliter, 2863. & 2866.

Possibiles sunt intra eãdem speciem animæ substantialiter inæquales, 2869.

Nec est necessarium, quod omnes animæ eiusdem speciei sint æquales, nec quod omnes sint inæquales. 2870.

De facto aliquæ animæ eiusdem speciei sunt æquales, & aliquæ inæquales, 2871.

Dato, quod omnes animæ humanæ ponerentur æquales, excipi saltim duæ animæ deberent, 2872.

Status separationis æque est animæ rationali connaturalis, ac status informationis, 2880.

Animæ separatio in fieri ipsi animæ, prout vnitæ, violenta est; non tamen ei secundum se, 2883.

Anima separata habet species, quas in corpore acquisivit, 2884.

Anima separata habet virtutem locomotivam, & potest movere alia à se, 2885.

Anima separata habet species, quibus possit intuitive cognoscere, num. 2887.

Quos habitus habitura sit anima separata, 2888.

Quare non moveat anima pari velocitate corpus languidum, ac robustum, 2905.

Vt anima sentiat non requiritur, quod sensationẽ recipiat; sed sufficit quod per illam informetur, 2928.

Omnes partes cuiusvis animæ divisibilis concurrunt partialiter ad cuiusvis earum operationes, 3019. Vid. *Pontentia, sanguinis, Vngues, capilli, dentes, lac, semen, forma, colera.* *Appetitus.*

Datur appetitus sensitivus, tũ in brutis, tum etiã in homine, 2993.

Dividitur appetitus in irascibilem & concupiscibilem, qualiter distinguantur, & quos actus habeãt, 2994.

Verius est, quod appetitus sensitivus resideat in cerebro, quam in corde, 2995.

Non solum datur appetitus internus, sed etiam quinque externi appetitus quinque externis sensibus correspondentes, 2997.

Apprehensio.

Vid. *Simplex apprehensio, cognitio.* *Assensus.*

Assensus, & dissensus eiusdem obiecti divinitus esse possunt simul in eodem intellectu; non tamen naturaliter, 3206. & 3207.

Incompatibilitas naturalis assensus, & dissensus amoris, & odij, non provenit ab illorum aliqua cõtrarietate immediata, 3209.

Astra.

Astrorum motu cessante, non cessarẽt sublunarium motus, 2720.

Idem Astrum moveri nequaquã potest motibus contrarijs 2730.

Cur non audiatur à nobis sonus Astrorum motibus causatus, 2733. Vid. *Cœlum.* *Au-*

Auditus.

Vbi nam fiat auditio, & quale illius organum, 2941.

Obiectum auditus est sonus, n. 2954.

Vid. *Species.*

Bonum, Bonitas.

Bonum aliud absolutum, aliud respectivum, 3255.

Bonum respectivum aliud honestum, aliud vtile, aliudque delectabile, 3256.

Obiectum voluntatis non solum est bonum respectivum, sed etiam absolutum, 3257.

Minus bonum reduplicative malum est nō vero specificative sumptum, 3289.

Bonitas physica est perfectio bonum autem, & perfectum dicitur, cui nihil deest, quod intellige in suo genere, 3445.

Bonitas intentionalis est amabilitas, seu appetibilitas, 3446.

Vid. *Obiectum.*

Capilli.

Capilli anima totius vivētis informantur, 2796.

Causa.

In creatis non repugnat virtus contentiva effectus impossibilis; verisimilius tamen de facto non datur, 3685.

Nullius effectus possibilitas intrinseca cum suæ causæ possibilitate est connexa, 3702.

Vid *Connexio, Relatio.*

Cœlum.

Cœlum Sydereum ex materia, & forma componitur, 2693.

Verisimile est, quod ex aqua sit factum, ibid.

Cœlum Sydereum habet lucem, quantitatem, & motum, ibid.

Cœlum Empyreum verisimilius etiam consta ex materia, & forma, 2694.

Habet quantitatem, & lucem, ibidem.

Materia Cœli est eiusdem speciei, ac materia sublunarium, 2703.

Cœlos incorruptibiles esse probabilius est, 2705.

Cœlum non habet quatuor primas qualitates, 2708.

Supernaturaliter est corruptibile, 2709.

An Cœli in fine mundi sint corrumpendi, 2710.

Astra Cœli vivere vita locomotiva falsum est, 2714.

Cœli, & Astra moventur ab Angelis, improbabile tamen non est, quod à se moveantur, 2717. & seq.

Cœlorum, & Astrorum motus naturales sunt, 2719.

Cœlum Empyreum solidum est, & quadratum, 2721.

Omnes Cœlos stellarum fluidos esse, verius est, 2723.

Canales quosdam in Cœlis adstruentes impugnantur, 2725.

Impugnantur ponentes in Cœlis epyciclos, 2726.

Cœli inferiores, & Astra non moventur ad motum primi mobilis, 2732.

Quis Cœlorum numerus, 2735.

Cœlorum magnitudo, 2736.

Vid. *Cometæ, Stellæ, Vinens.*

Chri-

Christus.

Potuerit ne Christus suam meteri incarnationem, 3543.

Vid. *Humanitas, Habitus.*

Chymæra.

Impossibilitas chymeræ non provenit ex defectu potentiæ ad illam, 3379.

Cognitio.

Cognitio quidditativa quid sit, num 3186.

Cognitio intuitiva quid sit, n. 3187.

Cognitio abstractiva quid sit, n. 3189.

Divinitus dari potest cognitio intuitiva rei absentis, aut non existentis, 3190.

Cognitio, qua homo suum actũ intellectus cognoscit, non est intuitiva, 3191.

Cognitio intuitiva potest attingere vnam formalitatem rei sine alia, 3192.

Cognitio comprehensiva quid sit num. 3195.

Quid requiratur ad cognitionem comprehensivam, 3197 & seqq.

Cognitio ita necessaria est ad amorem, vt naturaliter non possit voluntas amare, quod non cognovit, licet, supernaturaliter possit, 3262. & 3263.

Cognitio non influit in volitionem, sed tantum se habet, vt conditio, 3263.

Cognitio apprehẽsiva sufficit ad amorem non solum inefficacem, sed etiam efficacem, 3271.

Regulariter nemo appetit efficaciter finem sola simplici apprehensione suppositа, 3272.

Vid. *Amor, Præcisio.*

Colera.

Colera, melancholia, & flegma anima informantur, 2793.

Color.

Color est *motuum perspicui in actu*, 2944.

Color resultat ex primarum qualitatum temperie, 2944.

Color distinguitur realiter à luce, 2945.

Quid de coloribus apparentibus, num 2947.

An colores iris apparentes sint, 2948. & 2949.

Vid. *Visus, Lux.*

Cometæ.

Cometæ aliquando in Cœlo apparuerunt; sed non fuerunt de novo tunc producti, 2712. & 2713.

Compositio.

Vid. *Substantia Cœlum.*

Connexio.

Connexio essentialis quid sit, n. 3668.

Nulla causa, sive creata, sivẽ increata, connexionem essentialem habet cum suis effectibus possibilibus, sive cum illorum possibilitate, 3670.

Materia non implicaret in hypothesi, quod forma; & totum implicarent, 3697.

Implicante forma materia illam non appeteret, 3698.

Non est idem essentialis connexio, ac transcendentalis relatio, n. 3715.

Discrimen inter connexionem essentialem, & relationem transcendentalem in eo stat, quod omnis connexio est relatio; non tamen omnis relatio connexio, 3716.

Vid. *Causa, Possibilitas, Deus.*

Contingentia.

In quo contingentia à libertate differat, 3293.

Corporeum.

Corporeum quid sit, 2805.

Vt aliquid sit corporeum necessarium non est, quod sit divisibile, 2807.

Vid. *Spirituale, Receptio, Corpus, Potentia.*

Corpus.

Repugnat corpus indivisibile; non tamen res corporea indivisibilis, 2695.

Non repugnat corpus substantiale completum essentialiter simplex, 2698.

Tale corpus, nec esset materia, neque forma, 2699.

Differentia inter corpus, & rem corpoream, 2804.

Corpus quid sit, 2806.

Vid. *Quantitas.*

Creatura.

Claudere in vnica entitate perfectionem substantiæ, & accidentis non repugnat entitati creatæ, num. 2898.

Dentes.

Dentes anima totius viventis informantur, 2795.

Dependentia.

Res, quæ physice est nequit physice dependere à re, quę physice nihil est, 3680. & 3681.

Desiderium.

Desiderium, & gaudium non differunt in obiecto, sed solum in modo tendendi, 3279.

Desiderium, gaudium, & amor strictus sunt actus non tantum ratione, sed realiter distincti, 3280.

Vid. *Amor, Gaudium.*

Deus.

Deus vivit per productionē omnipotentiæ, & aliorum attributorum, 2773.

Deus cum intellectu Beati concurrit loco speciei ad plurium creaturarum cognitionem, 3031.

Deus licet sit potens producere creaturas sub conditione, quod non repugnent, dici non debet, quod sit impotens eas producere sub conditione quod repugnent, 3683.

Non potest dici, quod Deus, quātum est de se, & sub conditione, quod ei non repugnet mendacium, mentiri possit, ibid.

Sicut Deus non esset minus potens, si creaturæ repugnarent, sic nō esset minus liber, & Dominus, n. 3687.

Deus duplici contradictorio valet coexistere ex hypothesi, quod duplex contradictorium detur, num. 3690.

Deus non cognoscit necessario Petrum possibilem, nisi ex suppositione, quod sit possibilis, 3692.

Deus non connectitur adhuc vagè, & disiunctive cum possibilitate, vel impossibilitate creaturarum, 3693.

Sed adhuc admissa connexione cum

cum disiunctio illo, non sequeretur cum possibilitate determinata connexio, 3695.

Deum existere probatur, 3807. & seqq.

Deus quid sit, num. 3811.

Vid. *Omnipotentia*, *Quantitas*.

Discursus.

Discursus quid sit, num. 3173.

Discursus alius formalis, alius virtualis, 3174.

Discursus virtualis reperitur in Deo semper, frequenterque in Angelis, 3174.

Discursus virtualis potest in nobis reperiri, 3175.

In formali discursu potest conclusionis assensus non esse tempore posterior, sed solum natura assensu præmissarum. 3178.

Dispositio.

Vid. *Qualitas.*

Distinctio.

Distinctio solius rationis inter naturam, & subsistentiam impugnatur, 3485.

Repugnat, quod inter aliqua extrema detur aliquando distinctio actualis; aliquando sola potentialis, 3560.

Vid. *Identitas*, *Diuersitas.*

Diuersitas.

Non sufficit quæcumque diversitas in prædicatis essentialibus ad distinctionem specificam, 2874.

Diversitas specifica cum æqualitate compatitur, 2875.

Diuisibilitas.

Vid. *Quantitas.*

Diuisio.

Divisio ab alio non est constitutivum vnitatis, 3419.

Duratio.

Nulla res habet terminos intrinsecos suæ durationis, 2821.

Duratio an terminum intrinsecum suæ durationis habeat, 2828.

Non potest res esse, & nunquam esse, 3318.

Res existunt in tempore determinato sine duratione distincta ab ipsa re, & tempore, 3318.

Echo.

Specierum soni in echo reflexio comparatur reflexioni specierum in speculo, 3012.

Effectus.

Vid. *Connexio*, *Relatio.*

Electio.

Electio quid sit, num. 3282.

Ex pluribus medijs æqualibus potest voluntas vnum eligere, & ex inæqualibus minus bonum, 3286.

Vid. *Intentio.*

Empyreum.

Vid. *Cœlum.*

Epyciclus.

Vid. *Cœlum.*

Ens.

Ens proprie definiri non potest, num. 3368.

Ens 1. accipitur pro eo, quod aptum est esse, ibid.

Ens 2. accipitur pro eo, quod actu existit, 3369.

Accipitur 3. ens pro eo quod essentialiter existit, 3369.

Accipitur 4. pro eo, quod est per se, 3371.

Ens dividitur in infinitum, & finitum, 3449.

Di-

Dividitur 2. in increatum, & creatum, ibid.
3. In reale, & rationis, ibid.
4. In decem prædicamenta, ibid.

Essentia.

Essentia quid sit, 3396.
Essentia actualis non distinguitur realiter ab existentia, 3397.
Essentia per seipsam extra causas extrahitur, non solum incomplete, & non vltimo, sed etiam complete, & vltimo, 3399.
Existentia non recipitur in essentia, 3400 & seqq.
Prima rei cõpositio non est ex essentia, & existentia. 3402.
Essentia possibilis non distinguitur realiter ab existentia possibili, num 3403
Essentia possibilis realiter distinguitur ab existẽtia actuali, ibid.
Vid *Existentia.*

Eucharistia.

Vid. *Præsentia. Quantitas.*

Existentia.

Existentia quid sit, num. 3396. & 3398.
Existentia an accidentaliter prædicetur de essentia, 3406. & 3407.
Existentia hodierna, & crastina (idem dicito de essentia) eædem sunt quoad rectum, & intrinsecum; diverte vero quoad obliquum, & extrinsecum. 3408
Existentia quomodo sit vltima actualitas, 3410
Existentia non est actus potentiæ physicæ, sed metaphysicæ, 3411.
Essentia, & existentia, adhuc vir ualiter non distinguuntur, num. 3413.

Vid. *Essentia, Humanitas, Materia.*

Fides.

Actus fidei compatibilis est naturaliter cum actu scientiæ in eodem intellectu. 3224.
Actus fidei, & opinionis compatibiles sunt naturaliter in eodem intellectu, 3225. & 3229.
Vnus actus simul fidei, & scientiæ esse potest, 3228.
Vnus actus fidei, & opinionis naturaliter esse potest, 3229.
Actus, qui simul esset fidei, & scientiæ, cuius speciei esset? 3236.

Figura.

Vid. *Quantitas.*

Filiatio.

Vid. *Relatio.*

Finis

Vid. *Voluntas.*

Flegma.

Vid. *Colera.*

Forma.

Forma spiritualis potest informare rem materialem, 2778.
Vna forma non potest educi à duplici materia. 2841.
Vid. *Qualitas.*

Formalitas.

Vid. *Relatio.*

Fundamentum.

Vid. *Relatio.*

Gaudium.

Gaudium supponit desiderium, istud que supponit amorem, 3280.
Gaudium an causetur à solo obiecto, an etiam à potentia, ibid.
Vid. *Amor, Desiderium,*

Gratia.

Vid. *Potentia.*

Gustus.

Gustatio fit in lingua, 2943.

Gustus obiectū est sapor, 2957. Vid. *Sapor, Species.*

Habitus.

Non dantur in intellectu habitus ab speciebus distincti, 3348. Nec similiter in alijs potentijs cognoscitivis: nec in potentijs necessarijs, num. 3351.

Probabile est, quod in voluntate non dentur habitus à cognitione, & speciebus intellectualibus distincti, num. 3354.

Species sunt habitus respectu intellectus, & respectu voluntatis, etsi diversimode, 3356.

Quomodo à Christo Domino relegandi sint habitus vitiosi, & ponendi virtuosi, supposito, quod habitus à cognitione, & speciebus sint indistincti, 3358. & seqq.

Habitus, ex suppositione, quod dentur ab speciebus distincti, probabilius concurrunt effective ad actus potentiarum, 3362.

Potentia non potest sine habitu eandem numero actionem facere, quam cum habitu facit, ibid.

Quomodo concurrant habitus, si ab speciebus nō distinguātur, 3363.

Habitus producuntur ab actibus, 3364.

De habitibus supernaturalibus aliqua attinguntur, 3365. Vid. *Qualitas.*

Homo.

Vid. *Subsistentia.*

Humanitas.

Non habet humanitas Christi quidquid positivum habet Petri humanitas, 3496.

Humanitas Christi propria carens subsistentia probabiliter violētiam patitur, & probabiliter eam non patitur, ibid.

Opera humanitatis Christi D. non procedunt physice à personalitate verbi, 3541.

Humanitas Christi non existit per existentiam verbi, 3506. Vid. *Verbum diuinum.*

Hypothesis.

Hypothesis, quæ duplex contradictorium admittit destruit arguendi principia, ac proinde est inutilis ad arguendum, 3691.

Hypostasis.

Hypostasis quid sit, 3478. Vid. *Subsistentia.*

Identitas.

Omnis identitas est vnitas; non tamen è contra, 3426.

Identitas consistit in eo, quod vnum sit aliud; distinctio vero in eo, quod vnum non sit aliud, 3426.

Identitas est quid positivum, & ab entitate virtualiter distinctum, 3427.

Vt vna res distinguatur ab alia, necessarium non est quod ea, à qua distinguitur existat, 3428.

Ignorantia.

An, & quomodo sit verum, quod omnis peccans est ignorans, 3289.

Immortalitas.

Vid. *Anima.*

Imperium.

Imperium an pertineat ad voluntatem, 3346.

Impossibilitas.
Vid. *Possibilitas, Chymæra.*
Incompatibilitas.
Vid. *Assensus.*
Individuatio.
Individuatio non desumitur à materia signata quantitate, 3431. & 3564.
Accidentia non individuantur à subiecto, 3432. & 3773.
Individuatio rerum non determinatur à circunstantijs loci, & temporis, 3434.
Indivisibile.
Indivisibile nequit naturaliter videri, 2970.
Vid. *Corpus.*
Inhæsio.
Inhæsio accidentis est entitas modalis, 3536.
Intellectio.
Intellectio consistit simul in actione intellectus, & in qualitate obiecti repræsentativa per eam producta, 3100.
Variæ sententiæ de constitutivo intellectionis impugnantur, à num. 3102.
Quamvis actio nec sit de conceptu intellectionis, nec de conceptu creaturæ; est tamen de conceptu intellectionis creatæ, num. 3116.
Intellectio divina est actio equivalenter, 3117.
Intellectio, quamvis sit actio, potest intendi propter se, 3120.
Qualiter per intellectionem exprimatur obiectum, 3122.
Non datur duplex intellectio vna passiva, altera activa, 3125.
Qualiter intelligere sit quoddam pati, 3129.
Intellectio, si supponatur, quod in sola qualitate consistat, potest divinitus collocari in subiecto illam non eliciente, 3131. & seqq.
Etiamsi intellectio consistat in actione, & qualitate, collocari divinitus potest in subiecto illam non eliciente, 3134. 3137. & 3138.
Intellectio sic posita in subiecto illam non eliciente non constituet illud intelligens, num 3135. & seq.
Qualiter distinguatur qualitas, in qua partialiter intellectio consistit ab actione, in qua etiam conconsistit partialiter, num. 3139. & seqq.
Vnica intellectio plura, vt plura, attingere potest, 3162.
Vid. *Verbum, Vita.*
Intellectus.
Connexio in operando intellectus, & phantasiæ explicatur, 3044.
Quid sit intellectus agens, & quid possibilis, 3060.
Quomodo intellectus agens reddat obiectum intelligibile, & illustret phantasmata, ibid.
An distingui debeat intellectus agens à possibili supposita distinctione potentiarum ab anima, num. 3061.
Iuxta principia nostra necessarius non est intellectus agens, num. 3062.
Iuxta principia aliorum concedendus est agens intellectus, & in pro-

productione ſpeciei à phantaſmate materiali adiuvatur, 3065.

Intellectus poſsibilis eſt virtus cognoſcitiva ſpiritualis, 3071.

Obiectum adæquatum intellectus eſt ens in tota ſua latitudine, ibid. & 3075.

Obiectum noſtri intellectus pro hoc ſtatu proportionatum eſt quidditas rei materialis, num. 3075. & 3097.

Intellectus Angelicus, & humanus non poſſunt eſſe vnius ſpeciei prout ſunt potentiæ, & diverſæ, prout ſũt proprietates, 3077.

Abſolute veriſimilius eſt, quod ſint diverſæ ſpeciei, non tamen omnino certum, 3078.

Intellectus perfectior eſt quam voluntas, 3339.

Magis dependet voluntas ab intellectu, quam iſte à volũtate, num. 3345.

Vid. *Species*, *Vniuerſale*.

Iris.

Vid. *Color.*

Intentio.

Intentio quid ſit, 3281.

Idem actus poteſt eſſe intentio, & electio; ſed etiam eſſe poſſunt actus realiter diſtincti, 3283.

Intentio efficax eſt connexa cum electione, 3284.

Intentio non influit efficienter in electionem, 3285.

Iudicium.

Iudicium eſt ſimplex qualitas, 3158.

Iudicium humanum in quo differat à Diuino, & Angelico, 3166.

Vid. *Simplex apprehenſio*, *Propoſitio*, *Libertas.*

Lac.

Lac non informatur anima, nu. 2798.

Lac non eſt ſanguis nimis coctus, ibid.

Libertas.

Potentia libera eſt, quæ, poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari, num. 3291.

Libertas alia contrarietatis, alia contradictionis, 3292.

Neceſsitas item alia quoad ſpecificationem, alia quoad exercitiũ, 3293.

Iudicium indifferens quid ſit, & quare ad libertatem requiratur, nu. 3295 & 3298.

In illo libertas non conſiſtit precipuè, 3296.

In ſola voluntate datur libertas 3299.

Ad libertatem requiritur potentia ad agendum, & non agendum, ita tamen, vt potentia ad vtrumque detur ſimul; non tamen vt detur potentia ad vtrumque ſimul, num. 3300.

Actus liber quis ſit, 3301.

Libertas actui libero eſt partim intrinſeca & eſſentialis; partimque extrinſeca, & accidentalis, 3303.

Idem actus abſque intrinſeca variatione poteſt tranſire de libero in neceſſarium, 3306. & 3310.

Actus liber qualiter perfectior, quam neceſſarius, num. 3307. & 3313.

Libertas in actu primo non est essentialis potentiæ liberæ, 3308.

Voluntas per suam entitatem non est libera absolute ; sed præ alijs est libera, quia est capax, vt illi adveniant requisita, vt libera sit, n. 3308.

Vid. *Omissio, Contingentia.*

Linea.

Vid. *Quantitas.*

Locus.

Vid. *Quantitas.*

Lux.

Lux est actus perspicui, 2944.

Qua ratione requiratur lux, vt color videatur, 2951.

Vt obiectum videatur, in ipso, & non in medio lux requiritur, num. 2952.

Lux est qualitas prima, num. 2954.

Vid. *Visus, Species.*

Malum.

Malum non est entis attributum num. 3447.

Vid. *Voluntas.*

Maria.

Vt B.V. Maria sit Mater Dei nõ requiritur, quod subsistẽtia mediet inter essentiam, & existentiã, 3410.

Materia.

Vid *Cælum, Subsistẽtia, Connexio.*

Materiale.

Vid. *Sensus.*

Melancholia.

Vid, *Colera.*

Memoria.

Admitti debet memoria intellectiva specierum spiritualium conseruatiuas indistincta tamen ab intellectu, adhuc ex suppositione, quod potentiæ ab anima distinguantur, 3066.

Ad cognitionem memorativam quid requiratur, 3067. & 3068.

Metaphysica.

Metaphysica de quibus agat, n. 3366.

Modus.

Vid. *Subsistẽtia, Perfeitas. Inhæsio.*

Motus.

Vid. *Astrum.*

Necessitas.

Vid. *Libertas.*

Nositia.

Vid. *Cognitio.*

Numerus.

Numerus qua ratione sit ens per se, 3596.

Vnitas vltima an sit forma numeri, ibid.

Numerus ens rationis proprié non est, etsi ab intellectu dependeat, 3598.

Vid. *Quantitas.*

Nutritio.

Nutritio in quo sensu substantialis, & in quo accidentalis sit, n. 2787.

Obiectum.

Obiectum Appetitus elicitii non est præcise bonum cognitum, sed bonum absolute, 3267.

Vid. *Visus, Intellectus, Voluntas.*

Odium.

Odium quid sit, 3274.

Odium diuiditur in strictum odium, fugam, & strictissimam, num. 3279.

Odium Dei est pessimum in genere

perè moris; non vero in genere physico, 3343.
Vid. *Amor.*

Odor.

Odor quid sit, num. 2956.
Vid. *Olfatus.*

Olfatus.

Olfatio vbi fiat, & quale illius organum, 2942.
Olfatus obiectũ est odor, 2956.
Vid. *Odor, Species.*

Omissio.

Possibilis est plura omissio libera, 3321.
Pura omissio non est vitalis, quamvis sit libera, & voluntaria, 3326.
Quomodo pura omissio sit libertatis exercitium, 3330.
Pura omissio eoipso, quod non sit libera, non est voluntaria, num. 3331.
Omissio pura, quamvis immediate esse possit exercitium libertatis, potest etiam medio actu exercitium libertatis esse, 3334.
Omissio amoris præcepti, & simul eiusdẽ amoris nolitio non haberent maiorem malitiã quam sola nolitio talis amoris, 3335.

Omnipotentia.

Omnipotentia nõ solum est virtus productiva creaturarum possibilium, sed etiam Chymærarum sumptarum specificative, n. 3677. & 3684.
Vid. *Connexio, Causa, Relatio.*

Oratio.

Vid. *Quantitas.*

Paternitas.

Vid. *Relatio.*

Penetratio.

Vid. *Quantitas.*

Perfectio.

Quod est posterius generatione est prius perfectione, qualiter sit verum, 3344.

Perfectas.

Perfectas accidenti divinitus cõmunicata an realis, an modalis esset, 3540.

Persona.

Persona est rationalis naturæ individua substantia, 3500.

Phantasia.

Vid. *Intellectus.*

Phantasma.

Quare intellectus ad intelligẽdum indigeat conversione ad phantasmata, 3096.
Phantasma non requiritur ad cognitionem tanquam obiecti substitutum, 3099.
Vid. *Intellectus.*

Planta.

Vid. *Anima.*

Possibilitas.

Possibilitas alia intrinseca, alia extrinseca, 3375.
Possibilitas, & impossibilitas quid sint, 3377.
An rerum possibilitas ab æterno sit à se; an vero à Deo, num, 3384. & 3711.
Petrum habere duplicem possibilitatem à Deo distinctam falsum omnino est, 3385.
Res possibilis, & actualis quomodo sint idem, n. 3389.
Possibilitas intrinseca rei nullatenus consistit in aliquo prædicato Divino, 3391. & seq.

in hypothesi, quod lapis esset impossibilis, non esset simul possibilis, 3689.

Possibilitas effectus vere, & proprie non dependet à possibilitate causæ 3699.

Non habet Petrus, per suâ essentiam esse producibilẽ à Deo, 3705.

Deficiente Deo Petrus esset impossibilis extrinsece; non vero in possibilitate intrinseca, n. 3705. & 3710.

Potentia.

Potentiæ animę non distinguntur realiter ab ipsa tanquam tota ratio agendi, 2891.

Non sufficit, quod anima radicet potentias vitales, vt sic ipsa vita substantialis, 2892.

Anima non posset mereri, aut demereri per actus potentiarũ, si immediate ipsa eos non eliceret, 2893.

Idem principium, quod amat, debet cognoscere, 2895.

Non est possibilis anima realiter adæquate à potentijs distincta, 2900.

Quamvis requirantur aliqua accidentia, vt recipiantur vitales operationes, nulla requiruntur, vt vitales operationes vitales producantur, 2901.

Potentiæ sensitivę hominis corporeæ non sunt, 2902.

Potentia visiva in cæco non separatur ab auditiva, 2903.

Quare visus restitutio sit miraculosa, 2904.

Principium effectivum motus localis in homine non defatigatur, sed subiectum receptivum illius, n. 2906.

Non dantur potentiæ ab anima realiter distinctæ, adhuc inadæquatè, seu vt partialis ratio agendi, 2908.

Si darentur potentiæ, ab anima inadæquate adhuc distinctæ, innumeræ deberent dari, 2909. 2911. & 2916.

Non sunt ponendę in anima potentiæ inadęquate distinctæ, vt per eas anima cõstituatur in statu connaturali, 2915.

Quare, etsi virtutes à gratia distinguantur, non distinguantur potentiæ ab anima, 2916.

Potentię animę formaliter ab ipsa, & inter se distinguntur, 2918.

Patres Asserentes indistinctionẽ, sive identitatẽ potentiarum cum anima, non bene exponuntur de identitate radicali, 2919.

Potentiæ non specificantur ab actibus inadæquatis, sed ab adæquatis, 2923.

Potentiæ animę realiter non specificantur ab obiectis, aut actibus, sed solum formaliter, 2924.

Si potentię ab anima realiter distinguerentur, possent divinitus ab ea separari, 2934.

Potentiæ animæ spirituales ab omni separatæ subiecto operari divinitus possent, nõ tamen positæ in subiecto non animato. Materiales vero neque positæ in subiecto extraneo, neque ab omni subiecto separatæ, 2935. & 2936.

Potentiæ ab omni subiecto separatæ modum perfectatis non haberent, 2937.

An detur duplex potentia visiva, 2940.

Potentiæ materiales in homine iuxta sententiam nostram materiales non sunt, sed dicuntur tales ab earum actibus, & organis, 3059.

Potentia purè passiva libera esse non potest, potest tamen potentia activa per omissionem exercere libertatem, 3337.

Genus potentiæ cognoscitivæ perfectius est, quâ appetitivæ, 3339.

Vid. *Creatura, Intellectus, Qualitas, Anima, Substantia, Habitus.*

Præscio.

Cognitio intuitiva potest obiective præscindere, 3192.

Visio corporea potest obiective præscindere, 3194.

Præsentia.

Præsentia corporis Christi in Eucharistia est supernaturalis quoad substantiam, 2968.

Prima operatio intellectus.

Vid. *Simplex apprehensio.*

Primum cognitum.

Vid. *Vniuersale.*

Processiones Diuinæ.

Vid. *Subsistentia.*

Propositio.

Propositio hypothetica est simplex qualitas, 3171.

Propositio rationalis frequenter non est qualitas simplex 3176.

Vid. *Iudicium.*

Proprietas.

Exercitium proprietatis præcipuè convenit singularibus proprietas verò ipsa magis præcipuè rationi communi, 3477. & 3605.

Qualitas.

Cur essentia qualitatis non consistat in vi expellendi aliam ab eodem subiecto, 3576.

Qualitas quid sit, 3609. 3612. & 3613.

Species qualitatis assignantur, 3614. & 3619.

Habitus, & dispositio quid sint, 3614. & 3615.

Potentia, & impotentia quid sint, 3616.

Passio, & passibilis qualitas quid sint, 3617.

Forma, & figura quid sint, 3618.

Quomodo differant forma, & figura, ibid.

Habitus & dispositio specificè non distinguntur, 3621.

Potentia, & impotentia specificè non distinguntur nec similiter passio, & passibilis qualitas, 3625.

Qualitas non semper distinguitur realiter à substantia, 3626.

Qualitas an semper sit accidens, 3627.

Proprietates qualitatis declarantur, 3628.

Vid. *Cælum.*

Quantitas.

Quantitas spiritualis dari potest 2807.

Quantitas recipitur in solâ materia, 2932.

Substantia independenter à quantitate partes habet entitative actu, & substantialiter distinctas, 3557.

Quod substantia ante quantitatem habeat partes in ratione substantiæ, non verò in ratione partium, falsum est, 3561. & 3562.

Conceptus formalis quantitatis consistit in eo, quod sit ens proxime, & ratione sui impenetrabile cũ alio eiusdem rationis, 3570.

Effectus formalis primarius quãtitatis est substantiam constituere impenetrabilem cum alia quantitate, 3570.

Quod vna substantiæ pars sit extra aliam in toto non est effectus quantitatis, 3572.

Extensio partium substantiæ in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, 3573.

Divisibilitas physica est effectus secundarius quantitatis, 3574.

Ratio mensuræ est effectus secũdarius quantitatis, 3575.

An in corporibus glorificatis detur oppositæ exigentię penetrationis, & non penetrationis, 3578.

Duæ vbicationes spirituales diversis locis alligatę cur nõ sint quãtæ licet sint impenetrabiles, 3579.

Quare Deus, cum sit impenetrabilis cum alio Deo, quantus non sit, 3579.

Quantitas realiter distinguitur à re quanta, 3580.

In Eucharistia, destructa materia panis, remanet panis quantitas, 3583.

Vbicationes materiæ non permanent in accidentibus Eucharisticis, 3584.

Res penetrabiles per seipsas sunt penetrabiles, 3587.

Linea, & superficies veræ species sunt quantitatis, 3589.

Linea, & superficies sunt quantitatis species à corpore distinctæ, ibidem.

Locus extrinsecus est species quantitatis; non vero locus intrinsecus, etiamsi cum alio loco intrinseco sit impenetrabilis, 3590.

Motus, & tempus non sunt veræ quantitatis species, 3591.

Numerus vera species est quantitatis, 3592.

Quantitas numeri est diversa in specie à quantitate continua, 3594.

Ternarius Angelorum numerus est; non tamen quantitas discreta, ibidem.

Oratio proprie non est species quantitatis, 3599.

Prima quantitatis proprietas est non habere contrarium, 3600.

Magnum & parvum contraria non sunt, 3601.

Quomodo vnus locus sit alteri contrarius, 3602.

Secunda proprietas quantitatis est non suscipere magis, & minus, 3603.

Tertia proprietas quantitatis est esse æqualem, vel inæqualem alteri, estque quarto modo illius proprietas, 3604.

Quantitas in communi, an sit æqualis, vel inæqualis alteri, num. 3605.

Qualiter, si vna sola quantitas daretur, esset alteri æqualis, aut inæqualis, 3606.

Ratio fundandi.

Vid *Relatio.*

Receptio.

Quidquid recipitur ad modum recip-

recipientis recipitur, quomodo intelligatur. 1573. 2779. & 2811.

Res ſpiritualis non poteſt, adhuc inadæquate, recipi in ſubiecto corporeo. 2930.

Res materialis in ſubiecto ſpirituali recipi poteſt inadæquate, nõ vero adæquate. Ibidem.

V. *Quantitas.*

Reflexio.

Reflexio per actum diſtinctum poſsibilis proculdubio eſt in actibus intellectus. 3243.

In Deo datur reflexio vnius actus intellectus ſupra ſe ipſum. Ibid.

In nobis vnus actus intellectus ſupra ſe ipſum reflectere poteſt ſaltim confuſe, id tamen non eſt ſemper neceſſarium. 3244. & 3245.

Reflexio, qua vnus actus intellectus clare, & diſtincte ſe ipſum cognoſcat in homine non eſt poſſibilis naturaliter; bene tamen ſupernaturaliter. 3246.

Non omnis voluntatis actus in ſe ipſum reflectit. 3253.

Relatio.

Aliquæ dantur relationes reales. 3631.

Omnis relatio realis habet eſſe *ad* reale. 3635.

Relationis rationis non pertinent ad relationis prædicamentum. 3636.

Eſſe *ad* relationis præſcindi poteſt ab eſſe *in*. 3639.

Non datur conceptus relationis præſcindens à reali, & rationis prius, quam in alijs prædicamentis. 3637.

Diviſiones relationis commemoratur. 3641.

Diviſio relationis in relationem intrinſecus advenientem, & extrinſecus advenientem impugnatur, à n. 3642.

An dentur aliquæ relationes nõ mutuæ, à n. 3644. & 3790.

Quænam relationes prædicamẽtalis ſint, & quænam tranſcendentales. 3651.

Plures relationes tranſcendentales poſtulant ſui termini exiſtentiã. 3652.

Aliquæ relationes prædicamẽtales ſui termini exiſtentiam non poſtulant. 3653.

Pater an, dum orbatur Filijs, deſinat eſſe Pater. 3654.

Relatio, etiam dum terminus nõ exiſtit, ens reale eſt; immo etiamſi nec fundamentum, nec terminus exiſtat 3656.

Relatio tranſcendentalis à prædicamẽtali differt in eo, quod tranſcendentalis ſuo fundamento eſt adæquate eſſentialis, vel adæquate identificata, non ſic prædicamentalis. 3659.

Relatio tranſcendentalis non differt à prædicamentali in eo, quod fundamento ſuo perfectionem ſuperaddit. 3661.

Falſum eſt, quod relatio prædicamentalis reſpectu tranſcendentalis ſe habeat, vt ratio ſuperior reſpectu inferioris. 3663.

Differt tamen ſecundo relatio præ-

prædicamentalis à transcendentali in eo, quod prædicamentalis respicit terminum vt purum terminum; non sic transcendentalis. 3666.

Quæ sit causa, cur DD. aliquoties dissideant in relationibus trãscendentalibus, & prædicamentalibus computandis. 3667. 3729.

Omnis causa creata ad omnem effectum, quem in sua virtute continet transcendentalem dicit relationem. 3712.

Effectuum possibilitas ad nullius causæ possibilitatem dicit transcendentalem relationem, à n. 3713.

Omnipotentia ad omnes effectus, quos continet, transcendentaliter refertur 3714.

Relatio transcendentalis non postulat terminum possibilem; sed ad impossibilem terminari valet. 3718.

Causa refertur transcendentaliter ad omnes suos effectus, non tantum in communi, sed etiam ad singulos in particulari. 3720.

Causa refertur transcendentaliter non ad putam suorum effectuum possibilitatem, sed etiam ad illorũ existentiam 3720.

Non est absurdum dicere, quod Deus transcendentaliter refertur ad omnes chymæras excogitabiles, à n. 3722.

Quid intelligatur *fundamenti* nomine, & quid etiam nomine *rationis fundandi* relationis. 3724.

Quæ sit ratio fundandi relationum primi generis. 3725.

Quæ sit ratio fundandi relationum secundi generis 3728.

Quæ ratio fundandi relationum tertij generis 3729.

Fundamentum, & terminus relationis prædicamentalis realiter distingui debent; sufficit tamen, quod distinguantur realiter inadæquate. 3730. & 3731.

Relatio prædicamentalis non consistit in fundamento, connotato termino, sed in vtriusque coniuncto. 3736.

Relatio realis prædicamentalis non consistit in comparatione intellectus. 3740.

Relatio non est ad aliud vt *quod* sed vt *quo*. 3746.

Relatio est ens per se. 3751.

Quare fundamentum potius, quã terminus subiectum, & causa relationis dicatur 3754.

Relatio prædicamentalis formaliter distinguitur à fundamento, & termino 3755.

Formalitas à fundamento formaliter distincta non est relativa, quãvis simul cum formalitate à termino formaliter distincta relationem constituat. 3759.

Formalitates, in quibus relatio similitudinis consistit non debent esse similes, vt *quod*, sed vt *quo*, termino relationis 3760.

Relatio unitatem tam specificã, quam numericam à sua intrinseca entitate desumit. 3762.

Relatio si nec realiter, nec formaliter distinguatur à fundamento, & termino, ab ipsis intrinsece spe-

ci-

cificatur ; à nullo tamen extrinfece. 3763.

Si relatio distingui realiter supponatur a fundamento & termino, habet realiter specificativum extrinsecum 3764.

Si relatio formaliter à fundamento, & termino distingui supponatur, specificativum extrinsecum formaliter habet. Ibid.

Specificativum extrinsecum relationis, modo, quo illud habere potest, non est solum fundamentum, aut solus terminus, aut sola ratio fundandi, sed tria ista simul. 3765.

Prædictorum trium vnitas requiritur ad relationis vnitatem; ad diversitatem vero sufficit cuiuslibet illorum diversitas. 3765.

Idem numero subiectum relationes plures solo numero distinctas habere potest. 3770.

Relatio, quam Filius dicit ad Patrem, & quam dicit ad Matrem, numerice saltem distinguitur, supposita distinctione relationis à fundamento, & termino. 3774.

In quo sensu inquiratur, an relatio terminetur formaliter ad relativum. 3776.

Terminus relationis realiter est aliquid relativum ; formaliter vero à relativo distinguitur. 3777.

Terminus relationis vt *quo*, seu ratio formalis relationem terminandi quid relativum est. 3779. & 3785.

Ratio, qua Filius terminat relationem Paternitatis, non est filiatio ; sed inadæquata Paternitas. 3780.

Si relatio distinguatur realiter à fundamento, & termino, terminus relationis, vt *quo*, nihil relativum est. 3781.

Fundamentum, & terminus relationis specificative sumpti sunt quid absolutum; reduplicative vero quid relativum. 3783.

Quomodo intelligendum quod *relativa sunt simul natura, & cognitione.* 3783. 3805.

Quomodo Paternitas cum filiatione connectatur. 3784.

Quomodo relativum cum termino connectatur. 3789.

Nullæ dantur relationes nō mutuæ. 3790. & 3644.

Dubi, quod aliquę sint relationes non mutuæ, datur in illarum termino formalitas relativa 3791.

An vna relatio in vnico, an potius in pluribus sit subiectis. 3792.

Vna relatio prædicamentalis potest esse alterius relationis prædicamentalis fundamentum. 3795.

Sine inconvenienti admittitur processus infinitus relationum, si solum distinguatur relatio formaliter à fundamento, & termino. 3796.

Ratio communis relationis datur, & hæc non est duplex, sed vnica tantum. 3798.

Relatio in communi habet terminum in communi. 3801.

Relativorum proprietates assignantur. 3804.

V. *Connexio.*

Reproductio.

Reproductionis effectus impossibilitas naturalis ad divinam determinationē revocanda est. 3438.

Repugnantia.

V. *Deus.*

Sanguis.

Probabilius est quod sanguis informetur anima. 2783.

Verbum Divinum immediate fuit vnitum sanguini humanitatis Christi Domini. 2785.

Sanguis est alimentum animalis. 2787.

An sanguis extra venas existens anima informetur. 2789.

Sanguis augetur per intus sumptionem. 2790.

Sanguis habet poros. Ibid.

Sanguis est corporis humani pars. 2783. & 2791.

Sapor.

Sapor quid sit. 2957.

V. *Gustus.*

Scientia.

Actus opinionis, & scientiæ naturaliter compatibiles sunt. 3224. & 3229.

V. *Fides.*

SECVNDA INTELLECTVS operatio.

V. *Iudicium.*

Semen.

Semen non informatur anima 2798.

Sensatio.

Sensationes materiales in quo subiectentur. 2926.

Sensibile.

Sensibile commune quid sit. 2961.

Sensibile commune sine proprio adhuc divinitus non valet sentiri. Ibid.

Sensibile proprium indivisibiliter existens à sensu externo percipi supernaturaliter potest; non tamen naturaliter 2963.

Sensibile proprium sine communi nequit naturaliter videri. 2966.

V. *Species.*

Sensus.

Nullus sensus materialis potest adhuc divinitus percipere obiectū spirituale. 2978.

Nullus sensus externus suam potest percipere sensationem. 2979.

Sensus decipi possunt circa sensibile commune; circa proprij vero rationem communem non possunt. Verius tamen, quod possint circa eius rationis particulares. 2980.

Qualiter sensibile positum supra sensum non faciat sensationem. 2981.

Sensus externus potest, saltim divinitus, percipere rationem communem. 2982.

Datur sensus internus tam in hominibus, quam in belluis. à n. 2983.

Munera varia, & nomina sensus interni. 2984.

Prædicta munera non sunt potentiæ realiter distinctæ, sed solum formaliter. 2985.

Quodnam sit organum sensus interni. 2986.

Sensus internus non tantum obiecta, sed etiam sensationes externorum percipit. 2987.

Sensus internus non exercet actum æstimativæ, neque dantur insensatæ species. 2988.

Sensus internus non percipit negationes 2989.

Sensus internus nec propriè iudicat, nec discurrit. 2992.

V. *Species.*

Simplex apprehensio.

Simplex apprehensio versari potest circa obiectum integræ propositionis 3154.

An simplex apprehensio potius, quam iudicium, quidditatem percipiat. 3156.

Idem actus simul apprehensio simplex, & iudicium esse nequit circa obiectum idem; bene tamen circa diversa. 3157.

Singulare.

Singularia ab intellectu directe sunt cognoscibilia. 3088. & seqq.

Somnus.

Somnus ad quid institutus, quomodo contingat, & quomodo etiam abigatur. 2999.

Sonus.

Sonus quid sit. 2954.

Non solum aer, sed etiam à qua apta est ad sonum recipiendum. Ibid.

Sonus est qualitas prima Ibid.

Vnus sonus alium valet producere. 3014.

V. *Auditus. Vox. Species. Astrum.*

Species.

Species impressæ intellectuales in nobis quomodo à phantasmate dependeant. 2816.

Species impressæ quomodo corrumpantur. 2828.

Obiectū indivisibiliter existens nequit naturaliter sui speciem producere 2965.

Species impressæ admittendæ sunt, & quid ipsæ sint. 3000.

Speciebus impressis indiget potentia visiva. 3001.

Etiam lux media specie videtur. 3007.

Speciebus impressis etiam vitiatur auditus. 3008.

Species soni successive producuntur, vnde & sonus non existens potest naturaliter audiri. 3014.

Olfatus, gustus, & tactus speciebus impressis non indigent. 3015.

Sensus internus speciebus indiget impressis. 3017.

Sensatio quævis externa species est, qua tam ipsa, quam ipsius obiectum, sentitur à sensu interno. 3018.

Species sensibilis proprij, & communis partialiter distinguuntur. 3020.

Qua nam specie cognoscatur à sensu interno sensatio externa præterita iam. 3021. & 3022.

Intellectus multoties vtitur speciebus; multoties eis non vtitur. 3023.

Spe-

Species non ſunt eiuſdem naturæ cum obiectis in eſſe entis. 3027.

Species repræſentativè eſt ipſum obiectum, & non ſolum eiuſdem cum illo ſpeciei. 3028.

Species impreſſa eſt formalis obiecti repræſentatio. 3030.

Quare ſpecies impreſſa, etiamſi ſit formalis obiecti ſimilitudo, non reddit potentiam cognoſcentem. 3036.

Species impreſſa non concurrit ad cognitionem, vt imago prius cognita. 3037.

Species impreſſa effectiue ad cognitionem concurrit. 3038.

A quo ſpecies impreſſæ excitentur vt actu ad cognitionem concurrant. 3042. & ſeqq.

Quæ res cognoſcantur per ſpecies proprias, & quæ per alienas. 3045. & ſeq.

Partes ſpeciei impreſſæ non producuntur ab obiecto indiuiſibiliter. 3048.

Species expreſſa indiuiſibiliter à potentia producitur, & diuiſibiliter ab ſpecie impreſſa. 3054.

An detur, aut ſit poſsibilis ſpecies impreſſa ad viſionem claram Dei elicienda remiſsiue. 3058.

Species quomodo denudetur à materialitate. 3092.

V. *Speculum. Echo. Deus. Intellectus. Senſus.*

Specificativum.

Quid ſit ſpecificativum intrinſecum, & extrinſecum, proprium, & improprium. 2920.

V. *Potentia. Relatio.*

Speculum.

Viſus ſpecies probantur ſpeculi experientia. 3005.

Quare obiectum non videatur vbi eſt, ſed in ſpeculo. Quare non appareat in ſpeculi ſuperficie. Quare facies dextera appareat in parte ſiniſtra ſpeculi. Ac tandem quare in fluvio turres, aliæque res ordine inverſo appareant. 3006.

Spirituale.

Spirituale quid ſit. 2805.

Vt aliquid ſit ſpirituale neceſſarium non eſt, quod ſit inviſibile. 2807.

Res vna nequit ſimul ſpiritualis, & corporea eſſe. 2812.

V. *Receptio. Senſus.*

Spiritus.

Differentia inter ſpiritum, & rem ſpiritualem. 2804.

Status.

V. *Anima.*

Stellæ.

Stellæ de novo apparentes in cœlis, non producuntur de novo. 2713.

Stellarum fixarũ numerus. 2737. Magnitudo. 2738.

Stellarum errantium, ſive planetarum numerus, & magnitudo. 2739.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia eſt entitas poſitiva realis, ac incompleta à natura realiter diſtincta. 3481.

Subſiſtentia non poteſt in aliquo negativo conſiſtere. 3482. & ſeqq.

Sub-

Subsistentiæ in divinis sunt aliquid positivum. 3484.

Totalitas non est de conceptu formali subsistentiæ. 3488.

Subsistentiæ divinæ in totalitalitate non consistunt. 3489. & seq.

Subsistentia non consistit in totalitate à natura realiter adæquate distincta. 3492.

Id, quod rationem partis habet, dici non potest hypostasis; potest tamen subsistere 3494.

Homo in vna acceptione includit subsistentiam, in alia non. 3498.

Subsistentia non substentat partes substantiales; sed potius ab eis sustentatur. 3499.

De facto saltim nulla datur natura creata, quæ non distinguatur realiter à subsistentia sua 3499.

Subsistentia non est media inter essentiam, & existentiam: neque ad istam præparat. 3502 & 3506.

Subsistentia non est ab existentia indistincta 3506.

Subsistentiæ effectus formalis nõ est complere naturam ad operandũ. 3502. & 3507.

Effectus formalis subsistentiæ nõ est reddere substantiam ab inhęsionis subiecto independentẽ. 3503. & 3507.

Effectus formalis subsistentiæ est terminare substantiam. 3508.

Effectus subsistentiæ non est vltimo complere naturam in ratione substantiæ. 3509.

Effectus formalis subsistentiæ est rem completam vltimoque indepẽdentem constituere. 3510.

Qua ratione subsistentia sit, vltimum complementum. 3512.

Omni entitati substentiali convenit subsistentia. 3513.

Nullum accidens subsistentia terminatur. 3514.

Partes compositi substantialis subsistunt per diversas partiales subsistentias. 3516.

Materia prima propriam producit subsistentiam 3524.

Vnio subsistentiæ cum natura subsistit, vt *quo*; vnio vero materiæ, & formæ subsistit, vt quod. 3525.

Vnio inter subsistentias partiales porius integralis, quam essentialis est. 3528.

Subsistentia non est entitas modalis, sed absoluta. 3530.

Ex eo, quod subsistentia sit res non sequitur processus in infinitũ. 3533.

Aliqua subsistentia datur modalis; sed id non habet ex conceptu subsistentiæ. 3534.

In quo differat subsistentia propria ab aliena. 3535.

Subsistentia non consistit in actione productiva termini substãtialis independentis ab alio supposito. 3538.

Subsistentia, an sit vltimus terminus, & an purus terminus. 3540.

Subsistentia non est comprincipium operationum naturæ. 3541.

Subsistentia nõ est conditio prævia ad operationes naturæ. 3542.

In divinis subsistentiæ relativæ non solum conditiones, sed principia

pia ſunt diuinarum proceſsionum. 3544.

Subſiſtentia non ſolum diuina, ſed etiam creata terminare diuinitus poteſt alienam naturam. 3546.

Vna natura diuinitus poteſt duplici ſubſiſtentia terminari. 3547.

Natura non poteſt naturaliter ſine omni ſubſiſtentia conſeruari, poteſt tamen diuinitus. 3552.

Natura cum propria ſubſiſtentia identificata nequiret adhuc diuinitus aliena ſubſiſtentia terminari. 3552.

Natura identificata realiter, diſtincta tamen formaliter, aut virtualiter à ſubſiſtentia poſſet diuinitus per alienam ſubſiſtentiam terminari. 3553.

Subſiſtentia creata non poteſt diuinam terminare naturã. Ibid.

V. *Suppoſitum. Hypoſtaſis. Verbum Diuinum. Humanitas.*

Subſtantia.

Subſtantia eſt immediate operatiua. 2896.

Non eſt verũ vniverſaliter, quod ſubſtantia prius producat accidentia invariabilia, quam variabilia. 2917.

Subſtantia eſt ens per ſe. 3450.

Eſſe per ſe non conſiſtit in eo, quod ſubſtantia nulli ſubiecto inhæreat. 3451.

Eſſe per ſe non conſiſtit in eo, quod ſit de primo conſtitutiuo rei. 3455.

Eſſe per ſe nõ cõſiſtit in eo, quod ſit prima radix eſſendi, aut præcipua radix operandi. 3456.

Nec conſiſtit eſſe per ſe in eo, quod primario, & propter ſe intendatur à natura. 3459.

Nec eſſe per ſe conſiſtit in eo, quod adveniat enti per ſe conſtituto, & completo. 3460.

Eſſe ergo per ſe ſubſtantiæ conſiſtit in eo, quod per ſe ſubſiſtat, id eſt, in eo, quod ſit ſubſiſtentia, aut illam radicet. 3461.

Diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam ſubſtantiam. 3467.

An prima ſubſtantia ſit magis ſubſtantia, quam ſecunda. 3468.

Diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundã rigoroſa non eſt 3469.

Proprietates ſubſtantiæ declarantur. 3470.

Partes ſubſtantiæ faciunt compoſitionem; non tamen eſſentialem, aut accidentalem, ſed integralem. 3565.

V. *Quantitas.*

Superficies.

V. *Quantitas.*

Suppoſitum.

Suppoſitum, ſubſiſtens, & perſona quomodo differant. 3478.

Actiones ſuppoſitis tribuuntur, non vero totis. 3500.

V. *Subſiſtentia.*


Tactus.

Tactus per omnes carnis, cutis, & nervorum partes divagatur. 2943.

Tactus obiectum quod. 2958.

Tactus percipere poteſt primas qualitates in ipſius organo exiſtentes. 2959.

An





REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
PALENCIA

Cursus
Philos
Physicus
Trin
Tom. 3.

G

365